






Dioscorides
Mat. Med:











1797
L A

℞ Aruginis ℥ x i Lithargyri
℥ xij Colophoniæ Aluminis
scissi ana ℥ j
quibus adjiciantur olei et
aceti singulæ heminæ
f. ut artis est Emplastrum
cruentis vulneribus carnis imponendū
℞ Aluminis scissilis ℈ iv
Sal. ammoniaci ℈ iij ß
squamæ æris ℥ ij & ℈ ij
Myrrhæ et Thuris subtilis
pulver. ana ℥ iij Ceræ
℥ iij & ℥ j Colophoniæ
℥ ij ℥ vij & ℈ ß olei
heminam aceti
sextarium f. ut artis
est emplastrum cruentis
vulneribus nervorum vel
cartilaginis imponendum



S. Zampi

PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBÆI DE MATERIA MEDICA, LIB. V.


Eiusdem de Venenis libri duo.

Interprete IANO ANTONIO SARACENO Lugdunæo, Medico.




Apud heredes Andreæ VVecheli, Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.

M. D. XCVIII.





HENRICO IIII. REGI GALLIARVM ET NAVARRÆ Christianissimo.





Mportunus hauddubiè, REX CHRISTIANISSIME, *parúmque circunspectus, imò verò temerarius fortasse videbor, qui tuam Maiestatem hoc tempore in apparando bello Aremorico quàm occupatissimam compellare ac potiùs interpellare non erubescam. Sed mihi ipse temperare non possum, quominùs eidem meas hasce quales-*

cunque in Dioscoridem lucubrationes offeram, cui iam multis abhinc annis illas voui atque consecraui. Enimuerò quando pro tua summa benignitate me nil minùs cogitantem misso etiam sacro Regio diplomate in Medicorum tuorum collegium cooptasti, iam tùm eas parturiebat animus, simúlque præsentiebat iis non aliunde fœliciùs lucem splendorémque affulgere posse, quàm si sub Augustæ tuæ Maiestatis nomine in publicum prodirent. Etsi enim in istis quæ mea sunt, vt quæ sint operæ leuioris, libens agnosco minimè digna esse, quæ tanti præsertim Regis nomen præferant: attamen cùm & Dijs olim suis rustici multæque Gentes lacte supplicarent, & mola tantùm salsa litarent, quibus deerant thura: sic & ego cum neque mihi sit in

præ-

præsentia quicquam aliud ad manum, vixque mea tenuitas imposterùm ampliora polliceri poßit, malui hoc quantuloquoque testimonio, quam debet & seruulus domino & subditus Regi suo, à quo tantum etiam beneficium acceperit, reuerentiam quoquo modo profiteri, quàm committere ut tantam benignitatem videri possem silentio dißimulasse. Cæterùm quòd ad scripta ipsius Dioscoridis attinet, nulla, sat scio, ne apud Regiam quidem Maiestatem indigent commẽdatione. Continent enim amplißimam stirpium aliarúmque id genus naturalium rerum ad summam hominum & utilitatem & honestißimam voluptatem comparatarum historiam, quæ nullum non hominum genus ad sui cognitionem per sese mirum in modum alli-

ciat. Nam & permulti iam olim Principes viri tantum ad illorum Naturæ operum contemplationem studij adhibuerunt, vt Philosophis etiam ac Medicis, ad quos potißimùm ea pertinebat, minimè ceßisse videantur. Testabantur id olim varij aliquot potentissimorum Regum Solomonis, Mithridatis, Iubæ, Attali & Euacis de Stirpibus commentarij, de quibus variæ loquuntur historiæ, quique temporum iniuria non sine magno mortalium damno ac detrimento interciderunt. Testantur idipsum etiamnunc & nonnullæ stirpes, vti Gentiana, Lysimachia, Clymenon, Telephium, Artemisia & Helenium, quas Principes quondam Maximos non puduit suis nominibus honestare: partim vt studij quo fuerant magnoperè delectati posteris

fidem

fidem faceret, eósque suo etiam exemplo ad contemplanda suspiciendáque Naturæ miracula prouocarent, partim etiam vt sempiternam sui memoriam relinquerent, quam non dubitabant vnà cum plantis ipsis repullantibus atque reuirescentibus quotannis esse quasi reuicturam. Sed te quoque, REX CHRISTIANISSIME, *confido mihique ipse polliceor, prout es ingenio virtutum, disciplinarum scientiarúmque omnium capacissimo, cumprimùm à grauissimis illis laboribus, quibus Gallia tua salutem etiam suam velut alteri Parenti meritò acceptam refert, respirare tibi Deus Opt. Max. precibus suorum perpetuis exoratus concesserit, leuiora hæc, animi quasi relaxandi gratia, minimè aspernaturum. Ego verò summæ, sicuti par*

erit, fœlicitatis loco ponã, si meum hunc quodammodo factum Dioscoridem in gratiam clientelámque tuã comiter ac beneuolè recipere Maiestas tua nõ dedignabitur. Quod vnũ superest, Deum Opt. Max. precibus omnibus obtestari non desinam, vt post domitos ac planè debellatos hostes huic per te florentissimo Regno tuo viciniśque populis omnibus optatissimam pacem, eámque stabilem ac firmam, tãdem aliquando largiatur: qua tum fœlicissimè, tum quàm diutissimè, perpetua cum Sacratissimi nominis gloria perfruantur: ac te interim nobis, qui fatorum tuorum auspicia sequimur, totíque Christianæ Reip. seruet incolumẽ. Kal. Mart. 1598.

Tuæ Maiestati addictissimus
IAN-ANTONIVS SARACENVS Lugdunæus.



CL. MARNIVS ET IO. AVBRIVS LECTORI S.



SIMVLATQVE Dioscoridis operum editioni colophonem imposuimus, in qua Græco contextui Cl. viri Iani Antonij Saraceni Latina interpretatio noua ex aduerso respondet, adduntúrque per quàm erudita eiusdem Interpretis Scholia, cùm aliis quibuscunque, tum vel maximè Linguę Græcæ studiosis plurimùm, vti speramus, profutura: eandem illam librorum de materia Medica & de Venenis Latinam versionem separatim hac Enchiridij forma in lucem emittere visum est, in eorum gratiam, qui & sumptibus parcere cupiunt, & de

lingua Græca haud ita ſunt ſolliciti. Tu,ſi placet,hoc noſtrum conſilium, tanquam ab iis profectum, qui tuis potiùs quàm ſuis commodis ita conſultum voluêre, grato animo interpretaberis. Indicem prętereà morborum & Symptomatũ, quibus à Dioſcoride remedia è ſimplicibus petita intus foríſque accommodantur, libenter adieciſſemus, itémque eiuſdem Autoris Parabilium libros: ſed veriti ſumus, ne liber Enchiridij formam excederet. Si tamẽ impoſterùm deſiderare te intellexerimus, hac eadem forma ſeorſum excudendos curabimus. Hiſce interim fruere & vale.





INDEX EORVM QVAE LIBRIS V. DE materia Medica continentur.

Prior numerus librum, posterior caput indicat.

Cicuta

Lapis


Muſte

Pedicu-

è Sal-

V


Vinum



ELENCHVS CAPITVM QVÆ in Alexipharmacis continentur.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM QVÆ in Theriacis continentur.





PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARbæi De Medica materia Liber I.

IANO ANTONIO SARACENO, LVGDVNAEO, INTERPRETE.

Præfatio.

QVONIAM, amicissime Aree, conscripsere multi, non modò veteres, sed & recentiores, de medicamentorum cùm præparatione, tum etiam facultate atque examine: demonstrare tibi conabor, me neque frustra, neque citra rationem ad hanc commentationem impulsum fuisse: quòd ex iis ipsis alij nihil absolutum reliquerint: alij pleraque ex narratione descripserint. Enimuero Iolas Bithynus & Heraclides Tarentinus, prorsum omissa, herbarum

tractatione, rem ipſam leuiter ac paucis attigerunt: quin neque metallicorum aromatúmve omnium meminerunt. Crateuas autem herbarius & Andreas medicus (qui quidem accuratiùs quàm reliqui hac in parte verſati exiſtimantur) radices multas apprimè vtiles, herbáſque nonnullas non ſatis deſignatas reliquerunt. Veruntamen priſcis, etſi pauca tradiderint, adhibitæ nihilominus in iis ipſis accuratæ ſolertiæ teſtimoniũ reddi par eſt. At minùs probandi recentiores, (quo in numero ſunt, Iulius Baſſus, Niceratus, Petronius, Niger & Diodotus, Aſclepiadæ omnes) quippe qui vulgatã & vnicuique cognitã materiã quadantenus accurata deſcriptione dignati ſint: medicamẽtorum verò facultates & examina curſim tradiderint, ac minimè vim eorum ad experientiæ normam examinantes, ſed inania in aſſignandis cauſis verba funditantes, ſingula in controuerſiarum aceruum extulerint: præterquam quòd alia pro aliis deſcripſerunt. Siquidem Niger, qui inter eos eximius cenſetur, euphorbium eſſe chamelææ in Italia naſcentis ſuccum aſſerit: vt & androſæmon, cum hyperico vnum & idem eſſe: quinetiam aloëm in Iudæa foſſilem naſci, aliáque plurima hiſce ſimilia prodit, manifeſtò falſa. Quæ quidem argumento ſunt,

ea non

ea non ex oculata fide, sed accepta potiùs ex auditu ab aliis narratione, ab illo tradita fuisse. Porrò etiam in ordine peccarunt: nã alij nulla facultatis cognatione iuncta medicamina consociarunt, alij ordinem modò elemẽtorũ secuti, eorũ tum genera tũ vires à sua cognatione ita disiũxerũt, vt vel hãc vnã ob causam difficiliùs memoriæ mãdari possint. Nos verò à primis, vt ita dicã, annis iugi quodã pernoscẽdæ materiæ desiderio capti, postquã terras multas obiuimus (nec enim militarẽ vitã egisse nos ignoras) cõmẽtationẽ quinque libris cõprehensam te hortãte exarauimus: cui etiam opus ipsum dedicamus, gratum tuæque erga nos beneuolentiæ debitum implentes officium. Etenim, quæ tua est natura, cùm omnibus doctrina excultis, tum verò maximè iis qui tecum eandem artem factitant, ac nobis etiam aliquantò peculiariùs, teipsum familiarem exhibes. Neque verò paruo est ad tuam morum integritatem argumento viri optimi Licinij Bassi insigne erga te studium, sat nobis perspectum, cùm vna vobiscum ageremus, mutuámque inter vos beneuolentiam æmulatione dignam obseruaremus. Cæterùm te & quotquot alij estis hosce lecturi commentarios, rogatos velimus, vt ne ad nostrum dicendi genus attendatis, sed ad

eam potiùs quæ rebus est adhibita cum peritia industriam. Cùm enim maxima cum cura diligentiáque accurata, plurima quidem oculata fide cognouerimus, alia verò partim ex concordi apud omnes historia, partim ex eorum indagatione quæ apud singulos essent domestica atque vernacula perdidicerimus: dabimus certè operam vt & diuerso ab aliis vtamur ordine, & tum genera tum vires vniuscuiusque medicamenti accuratè describamus. Porrò tractatum de medicamentis esse necessarium nulli non est in cõfesso, quandoquidem arti toti coniunctus est, eiúsq; partibus omnibus incomparabile pręstat auxilium: insupérq; ars ipsa per illorũ pręparationes ac misturas, eorundémq; in morbis experimenta, incremẽtum capere potest, plurimùm ad id cõferente singulorũ medicaminum notitia. Familiarem verò vulgatámque materiam etiam complectemur, quò scriptum euadat numeris omnibus absolutum. Igitur ante omnia danda est opera, vt suis quæque temporibus singula tum legantur, tum etiam reponantur. Nam ad horum rationem medicamenta vel sunt efficacia, vel penitus exolescunt. Siquidem serena cœli constitutione legere illa oportet: neq; parui refert, siccáne an pluuia tempestate colligantur. Illud quoque multùm

tùm intereſt, an loca ſint montoſa, edita, perflabilia, frigida, arida & ſiticuloſa. His enim in locis medicamentorum vires maiores validioréſque habentur. At quæ in campeſtribus, vliginoſis, vmbroſis, ac vento minimè peruiis enaſcuntur, vtplurimùm effectu viribúſque ſunt infirmioribus, multóq; magis ſi nec ſuo tempore nec opportunè collecta fuerint, aut etiam per infirmitatem intabuerint. Sed nec illud ignorandum eſt, ea ſæpenumero pro loci proprietate & anni temperatura citius tardiúſve adoleſcere. Nonnulla quoque per hyemem propria peculiaríque vi flores foliáque proferunt: ſunt & quædam bis anno florifera. Porrò cui in animo eſt horum peritiam aſſequi, eum oportet tum primo germinatu è terra erumpentibus, tum adultis, atque etiam flacceſcentibus adeſſe. Nec enim qui tantummodo pullulanti herbæ aſtiterit, eandem adultam noſſe poterit, nec qui adultã viderit, recèns ex terra emergentẽ agnoſcat. Quo fit vt propter mutatã foliorum faciem, ac caulium, florum fructuúmque magnitudinem & id genus alias peculiares notas, magno in errore interdum verſentur, qui non ita ſtudioſè ſingula fuere contemplati. Háncque ipſam ob cauſam in eum errorem quidam ſcriptores impulſi fuere, vt nonnulla neque

flores neque caulem neque semen producere asseruerint: veluti de gramine, tussilagine & quinquefolio proditum est. Ergo qui sępius ac multis in locis illa obseruauerit, eorum etiam cognitionem maximè consequetur. Quin & illud scire conuenit, sola ex herbarum medicaminibus veratrum album & nigrum in multos annos perdurarę: reliqua verò, maxima ex parte donec trimatum excesserint, esse ad vsum accommodata. Quæ verò fruticosa sunt, vti stœchas, trissago, polium, abrotonum, seriphium, absinthium, hyssopum & id genus alia, dum semine prægnant, colligenda sunt: flores autem, antea quàm sponte decidant. At fructus maturos decerpere oportet, vt & semina, cùm primùm siccari cœperint, priusquã in terram defluant. Sic & herbarum æquè ac foliorum succi, recèns germinantibus cauliculis eliciendi sunt. Liquores autem & lacrymæ excipiendæ, incisis caulibus iam adultis. Quæ verò radices asseruandæ sunt, aut è quibus exprimi succi, corticésve auferri debent, eas eruere conuenit, cumprimùm herbæ folia amittere cœperint. Ac eas quidem quę mundę videbuntur, ex tempore siccis locis exiccare: quæ verò terra lutóve fuerint obsitæ, aqua priùs eluere oportet. Flores autem & quęcunque odorata fuerint,

rint, capſulis tiliaceis minimè humectis reponantur. Sunt & qui chartis foliíſve ad ſeminum conſeruationem vtiliter inuoluantur. Cæterum liquidis medicamentis conueniet materia quæuis denſior: qualis eſt argentea, vitrea aut cornea. Quin & fictilis, ſi modò rara non ſit, accommodatur: itémq; lignea, eáque potiſſimùm quæ ex buxo paratur. Apta verò erunt ænea vaſcula medicamentis oculariis ac liquidis, iiſque omnibus quæ ex aceto, pice liquida aut cedria componuntur. Adipes autem ac medullas ſtanneis vaſis recondi oportet.

De Iride. CAP. I.

IRIS à cœleſtis arcus ſimilitudine nomen obtinuit. Folia fert gladiolo ſimilia, ſed maiora, latiora & pinguiora: flores verò in caule ita è regione inter ſe collocatos, vt ſibi mutuo reſpondeant, reflexos ac varios. Partim enim albi, partim pallẽtes, partim nigri, partim purpurei, partim deniq; cęrulei conſpiciuntur. Atq; adeò propter hanc varietatẽ factũ eſt, vt planta ipſa iridi cœleſti aſſimilata fuerit. Radices ſubiacent geniculatę, ſolidæ, odoratæ: quas inciſas in vmbra ſiccari, tandémq; lineo filo traiici, atq; ita recõdi oportet. Eſt porrò præſtãtior Illyrica & Macedonica: ac inter has ipſas optima, cui dẽſa radix

est,quasi decurtata,frangenti contumax,colore subfuluo,perquàm odorata,gustu amariore,odore sincero, quæque situm non redolet, ac inter tundendum sternutamenta ciet. Secundum verò quoad vires locum obtinet Africana, colore alba, gustu amara. Veterascẽtes teredinum iniuriam sentiunt: tunc tamen odoratiores reddi solent. Cæterùm vim habent omnes excalfactoriam, attenuantem, & contra tusses efficacem, vt quæ humores ægrè excreabiles attenuent. Crassos biliosósque humores ex mulsa septem drachmarum pondere potæ purgant: somnum quoque conciliant, lacrymásque cient,& torminibus medentur. Eædem ex aceto potæ venenatorum morsibus auxiliantur: itémque lienosis,conuulsis, perfrigeratis aut rigentibus, iísque quibus genitura effluit: ex vino verò bibitæ,menses ducunt. Sed & earum decoctum ad muliebres fotus est accommodatum: quippe quod locos emolliat & aperiat:nec minùs idoneum ad ischiadicorum infusa,itémque ad ea medicamenta quæ fistulas & sinus carne explent. Radices ipsæ cum melle collyrij in modum subditæ, fœtus extrahunt. Coctæ verò & admotæ, strumas inueteratósque scirrhos emolliunt. Siccæ eædem ac tritæ vlcera implent,& cum melle expurgant, ossaque

ſaque nudata carne operiunt. Conferunt & ad capitis dolores, ex aceto & roſaceo applicitæ: lentigines & maculas à Solis ardore contractas exterunt, cum veratro albo & duplo melle illitæ. Induntur & peſſis, malagmatis & acopis: ac in vniuerſum ad multa ſunt vtiliſſimæ.

De Acoro. CAP. II.

ACORVM folia habet iridis æmula, attamen anguſtiora, radicéſque non diſſimiles, verùm implicitas, neque in rectum actas, ſed obliquas & in ſumma terræ ſuperficie ſparſas, geniculis interceptas, ſubalbidas, guſtu acres & ódore non ingratas. Præſtat verò denſum, album, carie non exeſum, plenum & odoratum. Huiuſmodi autem eſt quod in Colchide naſcitur, quódq; ex Galatia aduectum Aſplenium dicitur.

Vim habet radix calfactoriam: potúmq; eius decoctum vrinas ciet, lateris, thoracis, hepatíſque doloribus ſubuenit: itémq; torminibus, ruptis, conuulſis. Lienes abſumit: iuuat & eos quibus ſubſtillum eſt lotium, & à beluis venenatis demorſos: ac inſeſſu tanquam iris ad muliebria conducit. Succus radicis ea, quæ pupillæ officiunt caliginémq; offundunt, diſcutit. Vtiliter etiam ipſa radix antidotis immiſcetur.

De Meo. CAP. III.

MEVM, quod Athamãticum cognominatur, plurimum in Macedonia & Hispania naſcitur, caule foliiſque anetho ſimile, ſed eo ipſo craſſius, ad duos aliquando cubitos aſſurgens: ſparſis ima parte radicibus tenuibus, partim obliquis, partim etiam rectis, longis, odoratis & linguam excalfacientibus. Hæ in aqua decoctæ, aut etiam citra decocturam ad læuorem tritæ, vitia ex veſicæ renúmque anguſtiis orta potu leniunt, & vrinæ difficultati conducunt: itémque ſtomachi inflationibus, torminibus, vterinis affectibus, & articulorum doloribus. Thoraci quoque fluxione laboranti eclegmatis inſtar cum melle tritæ auxiliantur. Earundem decoctum inſeſſu ſanguinem per menſtrua pellit. Infantium autem imo ventri illitæ, vrinas mouent. Quòd ſi Meum largiùs quàm oporteat ebibatur, capitis dolorem conciliat.

De Cypero. CAP. IIII.

CYPERVM nonnulli æquè atque aſpalathum, eryſiſceptrum nominant. Folia [ima] fert porro ſimilia, ſed longiora & exiliora: caulem verò cubitalem aut etiam maiorem, angulosum, iunco ſimilem: cuius in cacumine minuta folia ſeſe proferunt, inter quæ eſt ſemen. Radices ſubiacent,

quarum

[quarum etiam vſus eſt] oblongę inſtar oliuarum, inter ſe cohærentes, aut etiam rotundæ, nigræ, odoratæ, amarulentæ. Naſcitur in locis cultis iuxtà atque paluſtribus. Optima radix quæ grauiſſima eſt, denſa, plena, ægrè fragilis, aſpera & odorata cum quadam acrimonia. Huiuſmodi verò cenſetur Cilicia, itémque Syriaca, & quæ à Cycladibus inſulis petitur. Vis ei excalfaciendi, vaſorum oſcula recludendi, & vrinas mouendi. Calculoſis & hydropicis pota auxilio eſt, vt & à ſcorpione ictis. Quin & vuluæ perfrigerationibus & obſtructionibus fotu accommodatur, menſéſque euocat. Sicca & ad læuorem trita facit ad oris vlcera, etiam depaſcentia. Miſcetur & malagmatis calfacientibus, & ad vnguentorum ſpiſſamenta aptatur. Memoratur & altera Cyperi ſpecies, quæ in India naſcitur, zingiberis effigie: quæ commanducata croci vim reddere & amarore prædita eſſe animaduertitur. Illita verò, pilos quamprimum aufert.

De Cardamomo. Cap. v.

Cardamomvm pręſtantiſſimum cenſetur, quod ex Comagene, Armenia & Boſphoro importatur. In India quoque & Arabia prouenit Eligito quod eſt frangenti contumax, plenum, occluſum (quod enim tale non eſt, exoletum iudicatur) & caput

odore tentans, gustu acre & subamarum. Vim habet calfactoriam. Ex aqua potum facit ad epilepticos, tussientes, ischiadicos, paralysim, rupta, conuulsa, tormina: & latum lumbricum expellit. Confert autem ex vino epotum renum vitio laborantibus, difficulter meientibus, à scorpione ictis, omnibúsque quos virulenta animantia venenis appetiuerunt. Cum lauri verò radicis cortice drachmæ pondere bibitum, calculos comminuit: nec non fœtus suffitum enecat, & psoras ex aceto illitum aufert. Quin & ad spissamenta vnguentorum aliásque antidotos additur.

De Nardo. Cap. VI.

NARDI duo sunt genera. vna siquidem Indica, altera Syriaca nuncupatur: nõ quòd in Syria inueniatur, sed quòd montis in quo nascitur, pars vna Syriam, altera Indos spectet. Ac in eius quidem, quæ Syriaca dicitur, genere præstantior ea censetur, quæ recens est, leuis, comosa, colore flauo, perquàm odorata, quæque præterquàm quòd odore cyperum imitatur, breuem habet spicam, gustu est amaro linguámque maximè siccante, ac in sua odoris gratia diutinè permanet. Ex Indicæ verò nardi genere est quę Gangetica dicitur, à fluuio quodam Gange nominato, qui montem, ad cuius radicès ea nascitur,

nascitur, præterfluit. Hæc viribus est infirmioribus, quòd in locis aquosis proueniat, estque procerior, atque complures habet spicas ab eadem radice tum comosas, tum sibi inuicem circumuolutas, virúsque redolentes. At quæ in editiore montis parte legitur, odoratior est, pusillásque habet spicas, iucundúmque cyperi odorem æmulatur, ac cæteras habet in se dotes, quas & Syriaca cognominata. Est & quædam, cui Sampharitícæ nomen à loco inditum est, admodum pusilla, attamen magnas habẽs spicas, inter quas medius interdum prorumpit caulis, candidior & supramodum hircum olẽs. Hanc damnare in totũ oportet. Venditur & madefacta: sed huiusmodi vitiũ ex eo deprehenditur, quòd cãdida sit spica, squalida, nullaq; obsita lanugine. Adulteratur inspirato stibio cum aqua aut vino palmeo, quò videlicet magis compacta ponderosiórque appareat. Vsus tempore si quod lutum radicibus hæserit, idipsum auferre oportet, vt & puluerem cribro incernere, qui quidem ad aquam eluendis manibus dicatam accommodatur. Vim habent excalfaciendi, exiccandi, vrinásque ciendi. Quamobrem & aluum epotæ sistunt, & appositæ, ex vtero fluxiones saniémque compescunt. Ex frigida verò potę, nauseæ & stomachi rosionibus

auxiliantur: itémque iis qui à flatibus exagitantur, hepaticis, ictericis atque nephriticis. Aquæ autem incoctæ, seu fotu seu insessu vuluæ inflammationibus medentur. Faciunt & ad superfluo humore redundantes oculorum palpebras, dum ipsa cilia astringunt & condensant. Quin & siccæ, humentibus corporibus ad summouendam grauceolentiam vtiliter insperguntur. Miscentur etiam antidotis. Porrò ad ocularia quoque medicamenta vsque ad summum læuorem tritæ & cum vino in pastillos conformatæ, vase nouo non picato reconduntur.

De Nardo Celtica. CAP. VII.

Celtica Nardus nascitur quidem in Liguriæ Alpibus, vernaculo sermone Gallica dicta, sed & in Istria prouenit. Est verò pusillus breuisque frutex, qui cum radicibus in manuales fasciculos colligitur: foliis oblongis, subflauis, flore luteo. Caulium & radicum duntaxat vsus est & oderis suauitas. Quare pridie aspersos aqua fasciculos, amoto terreni si quod inhæserit, in humidiore solo supposita priùs charta insternere oportet, ac postridie repurgare: siquidem vtile cum aceroso & alieno minimè propter humoris vim excutitur. Adulteratur autem herba persimili, quæ vnà cum ea vellitur, quámque propter virosum odorem, hirculum.

ſum nominant. Facile verò eſt hanc ab illa internoſcere: quandoquidem herba eſt caulis expers & candidior, minúſque oblongis prædita foliis: quin neq; radicẽ habet amarã aut aromaticam, quemadmodũ legitima nardus. Itaque abiectis foliis cauliculos radicéſque ſeponito: ac ſiquidem ad vſum reponere volueris, tritos vino excipito, tandémque ex iis concinnatos paſtillos fictili vaſe nouo ac diligenter operculato reſerua. Optima verò cenſetur, quæ recens eſt & odorata, radicoſa, plena miniméque fragilis. Iiſdem quibus & Syriaca viribus pollet: ſed & valentiùs vrinas ciet, & ſtomacho eſt accommodatior. Iecoris inflammationibus ſuffuſiſque felle auxiliatur: itémque ventriculi inflationibus, cum abſinthij decocto pota. Eodem planè modo valet & ad lienis, veſicæ renúmque vitia: itémque ex vino, ad venenatorum morſus. Cæterum additur etiam in malagmata, potiones & vnguenta calfacientia.

De Nardo montana. CAP. VIII.

Nardus montana, quæ à quibuſdam thylacitis & neris appellatur, in Cilicia & Syria naſcitur, foliis & caulibus eryngio ſimilibus: ſed minoribus, non tamen aſperis & aculeatis. Radices ſubiacent nigræ, odoratæ, binæ pluréſve, ceu haſtulæ regiæ, ſed graci-

liores longéque minores. Neque verò caulem neque fructum, neque florem diu ſuſtinet. Valet ad eadem omnia radix, ad quæ & Celtica nardus.

De Aſaro. CAP. IX.

ASARVM aliqui ſylueſtre nardum appellant. Folia habet hederæ, ſed denſiora multò & rotundiora: florem inter folia iuxta radicem, cæruleum, hyoſcyami cytinum referentem, in quo ſemen acini nucleo ſimile. Radices ſubiacent numeroſæ, geniculatæ, tenues, obliquæ, gramini ſimiles, longè tamen graciliores & odoratæ: quę quidẽ linguã excalfaciũt, valdéq; mordent.

Calfaciendi, vrinas vomitúmque ciendi vi præditæ ſunt: ideóque hydropicis & inueteratæ iſchiadi proſunt, ac menſes quoque proliciunt. Senis drachmis ex mulſa bibitæ radices, veratri albi modo purgant. Miſcentur & vnguentis. Prouenit autem aſarum in opacis montibus: plurimum verò in Ponto, Phrygia, Illyrico & Veſtino Italiæ agro.

De Phu. CAP. X.

PHV, quod & ipſum aliqui ſylueſtre nardum appellant, in Ponto naſcitur, foliáque profert elaphoboſco aut oleri atro ſimilia: caulem cubitalem, aut etiam maiorem,

rem, læuem, mollem, purpurascentem, in medio cauum, geniculis interceptum. Flores ad narcissinos proximè accedunt, sed & minores sunt & teneriores, & in albicante colore purpurei. Radix superiore quidem sui parte digiti parui crassitudinem fermè æquat, sed habet ex obliquo capillamenta iunci aut veratri nigri instar inuicem implicita, flauescentia, odorata, atque adeo odore nardum æmulantia, cum virosa quadam grauitate. Trita potui data, calfaciendi vrináque mouendi vim habet. Eius verò decoctum & idipsum præstare potest, & ad lateris dolorem est efficax, menséque cit, & antidotis inseritur. Adulteratur rusci radicibus admista: sed facile est illas dignoscere: sunt enim duræ & frangi contumaces, citra gratiam odoris vllam.

De Malabathro. Cap. XI.

MALABATHRVM nonnulli nardi Indicæ folium esse arbitrantur, odoris quadam cognatione decepti: sunt enim multa odore nardo similia, veluti phu, asarum, neris. Secus autem se res habet. Etenim peculiare genus est, quod in paludibus Indicis gignitur. Folium id est, quod lentis palustris modo aquæ innatat, nulla fultum radice. Idipsum collectum statim lino traiicitur, siccatúmque reconditur. Aiunt &

aqua per æſtiuos ardores exiccata cremiis fomitibúſve aridis terram peruri: atque id niſi fiat, non ampliùs renaſci. Laudatur recens & in nigrore quodam albicans, minimè fragile, integrum, nares odore feriens, illiúſque ſuauitate diutius implens, nardo ſapore ſimile, nullo ſalis guſtu. Infirmum verò ac minutatim conciſum, quódque recepta vetuſtatis carie ſitum quaſi redolet, vitioſum eſt. Eaſdem cum Nardo vires ſortitur, ſed illud efficaciùs omnia præſtat: attamen malabathrum & vrinas ciendi maiore vi pollet, & ſtomacho conuenientius eſt. Oculorum inflammationibus in vino feruefactum tritúmque ac illitum apprimè confert. Subditur & linguæ ad commendandum oris halitum. Quin veſtibus etiam vtiliter interponitur: eas ſiquidem & à tineis defendit, & odore non ineleganti tuetur.

De Caſsia. CAP. XII.

CASSIAE complura ſunt genera, quæ circa feracem aromatum Arabiam gignuntur. Habet autem craſſi corticis ſarmentum, foliáque piperis. Delige fulueſcentem, probè coloratam, corallj æmulam, perquàm anguſtam, longam, craſſam, fiſtularum plenã, guſtu mordacẽ & cum aliquanto feruore aſtringentem, aromaticam, odore vi-

re vinoſo. Talis ab indigenis achy nuncupatur: à mercatoribus verò Alexandrinis daphnitis cognominatur. Huic præfertur nigra, purpuraſcens ſimul & craſſa, quæ Gizir appellatur, tanquam roſarum odorem ſpirans, & ad vſum medicum maximè accommodata. Secundum locum tenet antedicta. Tertia verò cenſetur quę Moſyleticus blaſtus [hoc eſt, Moſyleticũ germen,] nominatur. Reliquæ viles habentur, velut ea quæ Aphyſemõ dicitur, nigra, iniucũda & cortice tenui, aut etiam rimoſo: necnon & ea quæ Moto & Darca vocitatur. Eſt & quædam adulterina caſſia, ſimilitudine ineffabili: attamen guſtu deprehenditur: quippe quæ neque ſit acris, neque aromatica, adhęrentémque medullæ corticem habeat. Reperitur & lata fiſtula, tenera, leuis, ſurculoſa: quæ quidem illi alteri præſtat. Reiice albicantem, ſcabram, quæque hircinum virus oboleat, neque fiſtulam habeat craſſam, ſed tum ſcabram tum tenuem. Vim habet calfaciendi, vrinas mouendi, exiccandi & leniter aſtringendi. Conuenit ad ea medicamenta, quæ exacuendæ oculorum aciei gratia concinnantur, & ad malagmata. Lentigines tollit ex melle illita, menſtruáque ciet. Quin & à vipera demorſis pota auxiliatur. Confert & epota internis inflammationibus omnibus,

renibúsque affectis. Prodest quoque fœminis tum insessu tum suffitu, ad vteri dilatationem. Si desit cinnamomum, huius duplum medicamentis admistum eadem quæ illud præstat. Est denique ad multa perquàm vtilis.

De Cinnamomo. CAP. XIII.

CINNAMOMI plura sunt genera, gentilitiis regionum in quibus nascuntur designata nominibus. Excellit verò quod Mosylum ex eo dicunt, quòd aliquantulam retineat similitudinem eius cassiæ quæ Mosylitis nuncupatur: prætereáque in eo ipso genere quod recens est, colore nigrum, ex vinoso in cinereum vergens, tenuibus virgultis, læue, nodis frequentibus præditum, perquàm odoratum. Ferè siquidem præstantissimum ex odoris iucundi proprietate diiudicatur. Etenim in optimo & singulari reperitur odor rutæ aut cardamomo proximus. Præfertur & gustu acre ac mordacitatis particeps, necnon etiam cum calfactione quadamtenus salsum, quódque inter atterendum non citò friatur, ac inter frangendum etiam ex se puluisculum emittit, læuiáque interim habet internodia. Facturus periculum sumito ab vna radice surculum. siquidem facilis est huiuscemodi probatio. Enimuerò fragmenta miscellanea quædam

sunt:

ſunt: atque adeò cùm primum ſit experimentum, quæ pręſtantiora fuerint, dum halitu afflatúve ſuo odoratum implent, deterioris iudicium impediunt. Eſt & mõtanum craſſum, pumilum, colore admodum fuluescens. Itémq; tertiũ iuxta atq; quod Moſylũ dicitur, nigrum & valdè odoratum, ſed fruticoſum, nec ita multis interſtinctum geniculis. Quartum verò album eſt, fungoſum, aſpectu tuberoſum ac vile, fragile, grandíq; radice caſſiam redolente. Quintum odore nares ferit, fulueſcit, corticémque habet caſſiæ ruffæ ſimillimum: tangenti verò ſolidũ animaduertitur, non valde neruoſum eſt, radicéque craſſa firmatur. In hoc genere quod thus, myrrham, caſſiam aut amomum odoris ſuauitate imitatur, deterius eſt. Deligito candidum, ſcabrum rugoſóque cortice: at læue & quod circa radicem lignoſum eſt, tanquam inutile repudiato. Eſt & aliud quiddam ſimile, quod adulterinum Cinnamomum cognominatur, vile, odoris inualidi, viribúſque defectum. Appellatur & quiddam zingiber, quod habet aliquam cum Cinnamomo cognationem, cùm tamen ſit xylocinnamomum. Eſt verò lignoſum cinnamomum, virgultis longis robuſtíſq; præditum, ſed odore longè cinnamomo inferioribus. Sunt & qui xylocinnamomum ge-

nere ipſo à cinnamomo differre dicant, quaſi alterius ſit naturæ. Porrò cinnamomum omne vim habet calfaciendi, vrinas ciendi, emolliendi atque concoquendi. Menſtrua quoque ac fœtus pellit cum myrrha, tum epotum, tum & appoſitum. Contra beſtias quæ virus eiaculantur, venenáque conuenit. Quæ pupillis caliginem offundunt diſcutit, calfacit ſimul & attenuat. Illitum ex melle, lentigines & maculas à Solis ardore contractas exterit. Facit & ad tuſſes, defluxiones, hydropem, renum vitia, vrinęq́; difficultatem. Quin & vnguentis pretioſis admiſcetur: ac in vniuerſum ad multa eſt vtile. Quò diutiùs eduret, tritum vino excipitur, in vmbra ſiccatur, atque ita reconditur.

De Amomo. CAP. XIIII.

AMOMVM puſillus eſt frutex, in vuæ modum ſuopte ligno in ſeipſum conuolutus. Florem habet paruum ceu violę albæ, folia verò vitis albæ ſimilia. Præſtantiſſimum cenſetur Armeniacum, colore aureolum, ligno fulueſcente, valde odoratum. Medicum, quoniam in planis aquoſiſq́ue locis prouenit, infirmius exiſtit. Eſt autem magnum & ſubuiride, tactu molle, virgultis ligneis, venoſis, odore origani. Ponticum fulueſcit, nec longum, nec ægrè fragile: racemoſum

cemosum verò est, fructu plenum & odore nares feriens. Deligito recens & candidum aut subrubrum: non compactum aut cohærens, sed laxum atque diffusum, semine refertum acinis simili, ponderosum, valde odoratum, minimè mucidum sitúve obsitũ, acre linguámque mordicans, simplici minimèque vario colore. Vim habet excalfaciendi, astringendi & exiccandi. Somnificum est dolorémque sedat, fronti illitum. Inflammationes ac meliceridas maturat & discutit. A scorpione ictos ex ocimo illitum iuuat. Podagricis confert. Et iuuat & lenit etiam oculorum inflammationes, itémque viscerum, ex vua passa. Ad muliebria vitia, tũ pessorum appositu, tum & insessionibus, vtile. Eiusdem decoctum epotum, ex hepate renúmque vitio laborantibus & podagricis apprimè conuenit. Inseritur & antidotis, vnguentísque pretiosissimis. Sunt qui Amomum herba simili, quæ Amomis dicitur, adulterent: sed quæ & inodora sit, & fructu careat. Nascitur ea in Armenia, florémque profert origani. Porrò in huiuscemodi simplicium medicamentorum probationibus fragmenta fugienda sunt: eligẽda verò, quæ ab vna radice suos habeant integros surculos.

De Costo. CAP. XV.

COSTVS præcellit Arabicus, candidus & leuis, eximio ſuauíque odore præditus. Secundum locum obtinet Indus, craſſus, leuis ac niger ceu ferula. Tertius eſt Syriacus, grauis, colore buxeus, odore feriens. Præſtantiſſimus cenſetur recens, candicans, omnino plenus, denſus, aridus, à teredinibus non exoſus, minimè viroſus, ſapore mordaci ac feruido. Vim habet excalfaciendi, vrinas ciendi, menſtruáque ducendi. Vteri vitiis & appoſitu, & tum humido tum etiam ſicco fotu, opitulatur. A vipera demorſis ſuccurrit, ſemunciæ pondere potus: itémque pectoris affectibus, conuulſis, inflationibúſque, ex vino & abſinthio. Venerem ex mulſo ſtimulat. quin & latum lumbricum ex aqua pellit. Contra febriles rigores ante acceſſionum initia, necnon etiam paralyſin, ex oleo perunctione prodeſt. Ex aqua aut melle itidem illitus, diſcolorem à Sole cutem emendat. Additur quoque in malagmata & antidota. Cæterùm nonnulli admiſtis helenij Commageni validiſſimis radicibus ipſum adulterant. Sed facilè deprehenditur dolus: ſiquidem neque guſtu feruet helenium, neque iucundum odorem, potentem ſenſúmque ferientem, expirat.

De Iunco odorato.

CAP. XVI.

IVNCVS odoratus alius in Africa, alius in Arabia naſcitur: rurſúmque alius in ea parte Arabiæ quæ Nabatæa dicitur. Et hic quidem omnium eſt laudatiſſimus. Secundum locum ſibi vendicat Arabicus, quem nonnulli Babylonium, alij Teuchitin cognominant. Afer verò inutilis cenſetur. Deligito recentem, ſummè ruffum, flore copioſo: quíque dum ſcinditur finditúrve purpuraſcat: tenuem, quíque dum manibus con fricatur, ſuauem roſæ odorem emittat, multóque cum feruore linguam mordeat. Vſus eſt floris, culmorum & radicis. Vim habet vrinas menſéſque ciendi. Inflationes diſcutit, caput aggrauat, leuiter ac modicè aſtringit: itémque calculum comminuit, concoquit, oſculáque vaſorum aperit. Flos eius in potiones adhibitus, vtilis ad ſanguinis reiectiones & oris ventriculi, pulmonis, iecoris & renum affectus. Additur & in antidota. Radix eſt magis aſtrictoria: ideóque ad ſtomachi faſtidia exhibetur: itémque hydropicis & conuulſis ad drachmam vnam cum pari piperis pondere per dies aliquot. Eius verò decoctum vuluæ inflammationibus inſeſſione conuenientiſſimum.

De Calamo odorato. CAP. XVII.

CALAMVS aromaticus in India naſcitur. Eſt verò probatiſſimus in eo genere fuluus, crebris diſtinctus geniculis ſeu internodiis, quique confractus in aſſulas multas diſſilit, plenam habens araneorum fiſtulam, ſubalbidus, in commanducando lentus viſcidúſve, aſtringens & ſubacris. Potus ad vrinam ciendam valet. Quare cum gramine aut apij ſemine decoctus & potus, conuenit hydropicis, renum vitio laborantibus, iíſq; quibus ſubſtillum eſt lotium, & ruptis. Menſes quoque & potu & appoſitu trahit. Tuſſi ſuffitu medetur, tum per ſe, tum etiam cum reſina terebinthina, ore nimirum hauſto per fiſtulam fumo. Decoquitur & ad muliebres inſeſſus, nec non & infuſiones. Miſcetur denique malagmatis atque ſuffitibus, ad conciliandam odoris gratiam.

De Balſamo. CAP. XVIII.

BALSAMVM arbor lycij ſeu pyxacanthę magnitudine conſpicitur, foliáque habet rutæ proxima, ſed candidiora multò & perpetuò magis virentia. In vnius Iudææ certa quadam conualle & Ægypto naſcitur, differens ipſum à ſeipſo ſcabritia, proceritate & gracilitate. Quod igitur in frutice tenue & capillaceum eſt, theriſton, quaſi demeſſile, dicitur: quoniam fortaſſis ob gracilitatem

litatem facilè demetatur. Quod verò opobalſamum dicitur, æſtiuis ſub ortu Canis ardoribus excipitur, inciſa ferreis vnguibus arbore. Sed tam paucum extillat, vt quotannis vix plures quàm ſeni ſeptenìve congij colligantur, inibíque pondus argento duplo rependatur. Eſt autem bonus liquor qui recens eſt, validi odoris, ſincerus, non ſubacidus, dilui facilis, læuis, aſtringens, & linguam modicè mordens. Sed variè vitiatur. Sunt enim qui ipſi olea vnguentáve admiſceant, quale terebinthinum eſt, cyprinum, lentiſcinum, ſuſinum ſeu liliaceum, balaninum ac metopium: itémque mel & ceratum myrtinum aut cyprinum valdè liquidum. Huiuſmodi verò maleficium facilè deprehenditur. Siquidem ſincerus laneæ veſti inſtillatus, ſi deinde eluatur, neque maculam facit, neque notam vllam relinquit: at vitiatus, inhæreſcit. Rurſúmque purus lacti inſtillatus, idipſum coagulat: id quod adulteratus non efficit. Quin & ſincerus lacti aut aquæ infuſus, celeriter diffunditur, atque laƈteſcit: at adulteratus olei modo innatat, in orbem circumagens aut diffundens ſeſe ſtellæ in modum. Attamen ſincerus etiam vetuſtate craſſeſcens, ſeipſo deterior euadit. Porrò hallucinantur qui ſincerum hunc exiſtimant aquæ inſtillatum priùs ad ima

ſidere fundúmque petere, ac poſtea, tanquam qui facilè diffundatur & diffluat, ſurſum remeare. Lignum verò, quod xylobalſamum vocant, probatur recens, ſarmento tenui, rufum, odoratum, quadantenus opobalſamum ſpirans. E fructus genere (nam & huius neceſſarius eſt vſus) eligito flauum, plenum, grandem, ponderoſum, guſtu mordentem & feruentem in ore, modicè opobalſamum redolentem. Aſportatur à Petra oppido ſemen hyperico ſimile, quo fructus hic adulteratur: ſed ex eo dignoſces, quòd maius illud ſit, inane, ignauum, ſapore piperis. Efficaciſſima liquori vis ineſt, vt qui quam maximè calfaciat. Quæ pupillis tenebras offundunt exterget: itémque vuluæ perfrictionibus medetur, cum cerato roſaceo appoſitus. Menſes quoque, ſecundas & fœtus extrahit: rigores illitu ſoluit, ſordidáque vlcera expurgat. Quin & potus concoctionem iuuat, vrináſque ciet: ægrè ſpirantibus conuenit, necnon & iis qui aconitum hauſerunt, ſi cum lacte exhibeatur, itémque à vipera demorſis. Miſcetur & acopis, malagmatis & antidotis. Ac in vniuerſum efficaciſſimam vim habet balſami liquor, proximam huic fructus, minimam verò lignũ. Fructus potui datus conuenit pleuriticis, peripneumonicis, tuſſientibus, iſchiadicis, comitialibus,

initialibus, vertiginoſis, orthopnoicis, torminoſis, difficulter meientibus, & à vipera venenatíſque aliis animalibus demorſis. Porrò & ad muliebres ſuffitus accommodatur: itémque decoctus inſeſſu vuluam aperit, humiditatémque exhaurit. Lignum eaſdem cum fructu vires habet, attamen minores: ex aqua decoctum & potum, cruditatibus, torminibus, virulentorum morſibus, conuulsíſque opitulatur. Vrinas quoq; cit, & capitis vulneribus cum iride ſicca conuenit: ſquamas etiam oſſium extrahit. Denique ad vnguentorum etiam ſpiſſamenta additur.

De Aſpalatho. Cap. XIX.

ASPALATHVS, aliis eryſiſceptrum, frutex eſt lignoſus, ſpinis crebris aculeatus. Naſcitur in Iſtro, Niſyro, Syria & Rhodo: eóque vnguentarij ad ſpiſſanda vnguenta vtuntur. Probatur ponderoſus, detracto cortice rubens aut in purpuram vergens, denſus, odoratus, & guſtu amareſcens. Eſt & alterum genus, candidum, lignoſum, inodorum, quod etiam deterius habetur. Vim calfactricem cum aſtrictione obtinet. Quo fit vt ad tetra oris vlcera in vino decoctus collutúſque conueniat, atque etiam ad genitalium nomas, immundámque illuuiem, necnon ad ozænas commodè infundatur.

Pesso additus, fœtus detrahit. Eius verò decoctum, aluum sistit: quin & potu sanguinis reiectionem cohibet, vrinæque difficultatem ac inflationes discutit.

De Musco. Cap. XX.

Mvscvs, Græcis bryon, à nonnullis etiam splanchnon appellatur. In arboribus, cedro, populo alba aut quercu reperitur. Præstat verò cedrinus: proximus huic populneus: quo in genere probatur, qui odoratior est & candidus: nigricans autem, deterior censetur. Muscus astringendi vim habet, in caliditate ac frigiditate medius, facítque decoctus insessu ad vuluæ affectus. Miscetur & vnguentis balaninis ac oleis seu illitibus, propter eam qua præditus est inspissandi vim. Est & ad suffituum & acoporum medicamentorum præparationes vtilis & accommodatus.

De Agallocho. Cap. XXI.

Agallochvn lignum est, quod ex India & Arabia deportatur, thyiæ ligno simile, punctis maculísve distinctum, odoratum, gustu quodammodo astringens cum quadam amaritudine, cortice vestitum cutis instar molli & aliquantulum versicolore. Facit autem commanducatum, itemq; decocto collutum, ad commendandum oris halitum: ac toti quoque corpori siccum tritúmque

túmque odoris gratia inspergitur: ad suffimenta denique thuris instar adhibetur. Radix verò drachmæ vnius pondere pota, stomachi superfluos humores, imbecillitatem ardorémque mitigat. Iis quoque quos lateris & iecinoris dolor excruciat, ac dysentericis aut torminosis ex aqua bibita opitulatur.

De Nascaphtho. CAP. XXII.

NASCAPHTHVM, aliis narcaphthum, etiam ex India defertur. Est verò corticosum, mori libro simile, quod iucundi odoris gratia suffitur. Factitiis suffimentis inseritur: vuluam quoque astrictam suffitu iuuat.

De Cancamo. CAP. XXIII.

CANCAMVM est arboris Arabicæ lacryma, myrrham quadantenus referens, virosi gustus: qua quidem tanquam suffimento vtuntur. Ea quoque vestes, additis myrrha & styrace, suffumigantur. Porrò corpora obesa emaciandi vim habere perhibetur, si ternûm obolorum pondere ex aqua aut aceto mulso plusculos dies ebibatur. Datur & lienosis, comitialibus & suspiriosis. Menses ex aqua mulsa prolicit. Oculorum cicatrices confestim exterit, & eorundem hebetudinibus medetur, vino dilutum. Quin & aduersus gingiuas humore prægnantes, &

ad dentium dolores tam est efficax, quàm quod maximè.

De Cyphi. CAP. XXIIII.

CYPHI suffimenti compositio est Diis grata & accepta, qua Ægyptij Sacerdotes abundè vtuntur. Sed miscetur & antidotis, ac suspiriosis datur in potu. Plures verò circunferuntur componendi rationes: quarum vna hæc est: Sumito cyperi dimidium sextarium, crassiorum iuniperi baccarum tantundem, vuarum passarum pinguium à vinaceis expurgatarum minas xij. resinæ repurgatæ minas v. calami aromatici, aspalathi & iunci odorati singulorum minam, myrrhæ drachmas xij. vini veteris sextarios ix. mellis minas ij. Vuam passam exemptis nucleis tundito, & cum myrrha ac vino subigito: cætera verò tusa & cribrata his admisceto, sinitóque humorem combibere diem vnum. Deinde cocto melle dum sibi glutinis asciscat crassitudinem, eliquatam resinam ei accuratè permisceto, ac tùm demum etiam reliqua diligenter simul contrita: tandem vase fictili recondito.

De Croco. CAP. XXV.

CROCVM in vsu medico præstantissimum est Corycium, recens, ac probè coloratum, paulum candidi gerens in capreolo, oblongum, suis partibus omnibus constans,

constans, minimè fragile aut pingue, plenum, cuius dilutum manus inficiat, non cariosum aut humidum, odore illiciens ac leuiter acre. Nam quod tale non est, aut vetustum est, aut maceratum. Secundum verò à Corycio locum obtinet, quod è tractu Lyciæ contermino, itémque quod ex Olympo Lyciæ monte: mox quod ex Ægis Æoliæ defertur. Cyrenaicum verò, & quod ex Centuripino Siciliæ agro, viribus minùs pollent: quippe cùm sint omnia olerum instar satiua. Veruntamen propter succi copiam & coloris bonitatem, qui in Italia ligna thyina inficiunt, hoc postremo vtuntur: atque ideò etiam magno venditur: sed ad medicamẽta quod primo loco descriptum est, vtilissimum existit. Adulteratur autem admixto crocomagmate tuso, aut sapæ sublitu, intrita simul, quò pondus adiiciatur, argenti spuma aut plumbagine. Sed maleficium indicant, tum quod occurrit puluerulentum, tùm etiam defruti odor. Porrò vim habet crocus concoquendi, emolliendi, leuiter astringendi, & vrinas ciendi. Elegantem colorem præstat, crapulámque arcet, ex passo bibitus: oculorum fluxiones illitus ex lacte muliebri cohibet. Miscetur & vtiliter potionibus quæ ad internos parantur affectus, itémque subdititiis nodulis & cataplas-

ſmatis vtero ſedíve adhibendis. Venerem quoque ſtimulat, inflammationéſque eryſipelate comitatas inunctus demulcet: ac deniq; ad auriculares inflammationes cõfert. Aiunt etiam exitioſum eſſe, ſi trium drachmarum pondere ex aqua bibatur. Quò verò faciliùs ad ſummum læuorem conteratur, apud ſolem in fictili calido exiccari, túmque celeriter identidem verſari oportet. Cæterùm & ipſius radix ex paſſo pota, vrinas mouet.

De Crocomagmate. CAP. XXVI.

CROCOMAGMA ex crocino fit vnguento, expreſſis aromatis & in paſtillos digeſtis. Probatur quod odoratum eſt, modicè myrrheum, ponderoſum, nigrum, ligni ramentorum expers: quódque ſufficienter dilutum croci colorem reddat, læue, ſubamarum, ac dentes linguámque vehementer & ad horas multas permanente colore inficiens. Tale verò eſt, quod è Syria defertur. Vim habet ea detergendi quæ pupillis caliginem offundunt, vrinam ciendi, molliendi, concoquendi & excalfaciendi. Denique ad croci vires quadantenus accedit: quippe cuius etiam plurima parte ſit particeps.

De Helenio. CAP. XXVII.

HELENIVM folia habet verbaſco anguſtioribus foliis prædito ſimilia, ſed

aſperiora

aſperiora & oblonga: caulem verò quibuſdam in locis non emittit. Radice eſt ſubrufa, odorata, grandi, ſubamara: ex qua ad conſitionem, velut in ſerendis cinaris, opimi & inſignes oculi decerpuntur. Prouenit in montibus, locis vmbroſis & humidis. Æſtate radix eruitur, & conciſa ſiccatur. Huius decoctum potum, vrinas menſéſque ciet. Ipſa verò radix in eclegmate ſumpta cum melle, prodeſt tuſſi, orthopnϾæ, ruptis, conuulſis, inflationibus & venenatorum morſibus: quippe quæ in vniuerſum excalfaciendi vi polleat. Folia ex vino decocta vtiliter iſchiadicis illinuntur. Eſt & radix ſtomacho vtilis, dulci miſto condita. Siquidem ſalgamarij paululum exiccatam eam, mox decoctam, aqua frigida demergunt: poſtea in defrutum coniiciunt & ad vſum reponunt. Trita potáque ad ſanguinis reiectiones eſt efficax.

De Helenio Ægyptio.
CAP. XXVIII.

Helenij genus alterum in Ægypto gigni Crateuas memorat. Herba verò eſt ramis cubitalibus, ſerpylli modo humi ſeſe ſpargentibus: foliis lenticulæ proximis, ſed longioribus numeroſíſque circa ramulos: radice pallida, digiti minimi craſſitudine, ac per ima quidem tenui,

ſupernè verò craſſiore, nigro veſtita cortice. Naſcitur locis maritimis & tumuloſis. Radix vnica ex vino bibita, contra ſerpentium ictus auxiliandi vim habet.

De oleo omphacino. CAP. XXIX.

OLEVM ad vſum per ſanitatem optimũ, quod, quia ex crudis & acerbis ſeu immaturis oliuis exprimitur, crudum nec non etiam omphacinum appellatur. Excellit in hoc genere recens, minimè mordens, atque odoratum. Eſt & tale ad vnguẽtorum compoſitionem vtile: quinetiam propter aſtringendi vim ſtomacho accommodatum. Ore ſi contineatur, gingiuas contrahit, dentéſq; firmat: ſudores denique cohibet.

De oleo communi. CAP. XXX.

Quod vetuſtius ac pinguius eſt, ad medicamentorum vſum eſt accommodatum. In vniuerſum autem oleum omne calfaciendi vim habet, carnem emollit, corpus contra algores munit, ipſúmque ad actiones obeundas expeditius reddit. Bonam etiam aluum facit, éſtque molliendi vi præditum. Exulcerantium medicamẽtorum vires permiſtum hebetat. Exhibetur quoque contra venena, ſic vt ſubinde bibatur ac reuomatur. Purgat, heminæ menſura cum pari ptiſanæ ſucco aut aqua epotum. Torminoſis vtiliter datur in potu cum ruta decoctum

ſex cyathorum menſura, lumbricóſque pellit. Infunditur & idipſum ad ileoſos maximè affectus. At vetus tum magis excalfacit, tum etiam vehementiùs diſcutit, & ad exacuendam oculorum aciem ſublinitur. Sin deſit vetus, hac præparatione opus eſt: De eo cuius eſt copia quod præſtantius erit in vas defundito, & ad mellis craſſitudinem decoquito, atque ita vtitor. Eandem enim cum prædicto vim aſciſcit.

De oleo ſylueſtris oliuæ. CAP. XXXI.

Quod è ſylueſtri oliua exprimitur oleum, vehementiùs aſtringit, & ad vſum ſanorum ſecundum ſibi locum vendicat. Caput dolentibus roſacei vice conuenit. Sudores ſiſtit, & defluos capillos inhibet. Quinetiam furfures & vlcera capitis manantia, ſcabiem ac lepras extergit: moratúrque canos, ſi quotidie illinatur.

De olei Cãdidi confectione. CAP. XXXII.

Candidatur oleum hunc in modum: Sumito album colore, nec anniculo vetuſtius, & in fictile nouum lati oris infundito centum heminarum menſura. Mox in ſole expoſitum quotidie circa meridiem concha refundito, ex alto deturbans, vt frequenti volutatione ac verberatu agitatum alteretur & ſpumeſcat. Octaua deinde die fœnumgræcum purgatum drachmarum quinqua-

ginta pondere, aquáque calida maceratum, atque adeò remollitum, aqua interim neutiquam expressa, in supradictum oleum conijcito: tædam quoque pineam præpinguem & in tenues assulas concisam pari pondere insuper addito: atque ita dies octo alios elabi finito. His transactis, concha oleum denuo confundito. Postremò, si finem assecutum fuerit, in vas nouum priùs vetere vino elutum, substratis anteà sertulæ Campanæ corollis drachmas vndecim pendentibus cum iridis pari pondere, decapulato atque recondito. Sin autem candorem nondum contraxerit, oleum rursus insolãdum, & opus ipsum repetendum, dum candidum illud euaserit.

De Sicyonio oleo. CAP. XXXIII.

Sed & ex prædicto Sicyonium hoc modo parare licet. In lebetem oris ampli stanno inductum recentis olei omphacini candidíque cõgium vnum, aquæ verò dimidium infundito: tùm igne leui coquito leniter agitando. At cumprimùm bis efferbuerit, ignem subtrahito: & vbi refrixerit, oleum decapulato. Tandem alia adiecta aqua simul iterum feruefacito: ac reliquis, veluti præmonstratum est, peractis reponito. Maximè verò conficitur oleum huiusmodi in Sicyonia: atque inde Sicyonij nomen accepit.

Vim

Vim habet leuiter calfactoriam, in febribus ac neruorum affectibus accommodatum. Vtuntur & eo mulieres, ad inducendum cuti nitorem.

Strigmenta à balneis. CAP. XXXIIII.

STRIGMENTA quæ in balneis destringuntur, calfaciendi, molliendi, discutiendíque vim habent: ad rimas sedis & condylomata pervnctione prosunt.

Strigmenta palæstrica. CAP. XXXV.

Quæ verò in palæstra puluerem sibi asciuêre, similia sordibus, articulorum collectiones ac nodos imposita iuuant. Quin & calentia ischiadicis fotus aut malagmatis instar vtiliter admouentur.

Strigmenta gymnasiorum. CAP. XXXVI.

Sordes è gymnasiorum parietibus, simulachrísque derasæ, excalfactoriam vim habent, discutiúntque tubercula quæ ægrè ad coctionem maturitatémve perducuntur: abrasis seu desquamatis & senum vlceribus aptè conueniunt.

De Elæomelite. CAP. XXXVII.

IN Palmyreno Syriæ tractu quod Elæomeli vocant ex quodam caudice manat, oleum crassius melle, sapore dulci. Id cyathis duobus bibitum cum vna aquæ hemina, crudum biliosúmque humorem aluo detrahit. Sed qui assumpsêre torpescunt,

viribúsque deficiuntur: attamen eo minimè terreri oportet. Quin excitandi sunt, neque permittendum vt somno grauiore consopiantur. Paratur & è germinũ oleaginorũ pingui oleum: in cuius genere optimum vetus, crassum, pingue, neque turbidum. Id verò calefacit, priuatímque superillitum facit ad ea, quæ pupillis caliginem offundunt: quin & ad lepras neruorúmque dolores illitum confert.

De Cicino oleo.

CAP. XXXVIII.

CICINVM oleum fit hoc modo: Sumito maturorum ricinorum quantum videbitur, & instratos vuarum in morem, quæ super cratibus dispositæ insolantur, ad solem exiccato, dum ambiens cortex disruptus excidat: túmque collectam eorum carnem in pilam coniicito, ac diligenter tusam in lebetem stãno inductum qui aquam habeat transferto, succensóque igni feruefacito. Cùm verò insitum humorem prorsus deposuerint, sublato ab igni lebete innatans oleum conchula tollito, atque reponito. At Ægyptij quoniam copiosum ipsum expetunt, aliter conficiunt. Nam repurgatos ricinos molæ mandant accuratéque molunt: deinde quod molitum est in sportulas coniectum torculo exprimunt. Tùm porrò tem-

tempestiui sunt ricini, cùm vestiẽtibus folliculis exuuntur. Facit verò Cicinum oleum ad vlcera capitis manantia, psoras & sedis inflammationes, nec non ad vteri obstructiones atque euersiones: itémque ad cicatrices fœdas, auriúmque dolores. Quin & emplastris admistum, ea reddit efficaciora. Potum denique, aquas per aluum ducit, lumbricósque pellit.

De Amygdalino oleo. CAP. XXXIX.

Amygdalinum oleum, quod aliqui Metopium vocant, hoc modo paratur: Amygdalarum amararum repurgatarum & arefactarum chœnices quatuor in pila ligneo pistillo leuiter in offam contundito, affusísque aquæ feruentis heminis duabus finito semihoræ spatio humorem imbibere, túmque postea maiore vi terito, ac deinde tabellis comprimens exprimito, quódque digitis hæserit concha excipito. Tandem magmati iterum aspersa aquæ hemina quã combibere siueris, idem facito. Singulas porrò heminas reddũt quaterni chœnices. Est autem efficax contra vuluarum dolores & strangulatus, ac eorundem locorum tum conuersiones, tum etiam inflammationes: itémque ad capitis dolores, auriúmque ægritudines, sonos incertos atque tinnitus. Iuuat & vitiis renum laborantes,

ægrè meientes atque calculosos. Suspiriosis itidem lienosísque prodest. Quin & maculas tollit è facie, à sole vstis medetur, & cutem erugat, admixtum melli, lilij radici, ac cyprino rosaceóve cerato. Hebetem etiam oculorum aciem emendat: denique vlcera quoque manantia & furfures cum vino expurgat.

De Balanino oleo. CAP. XL.

Simili modo fit & oleum balaninum. Vim autem habet repurgandi maculas, lentigines, varos & çicatricum nigritias. Purgat idem aluum, sed stomacho aduersatur. Contra dolores aurium, sonos atque tinnitus auxilio est, cum anserino adipe infusum.

De oleis Sesamino & Caryino.

CAP. XLI.

Eodem quoque, quo antedicta, modo Sesaminum oleum ex sesama præparatur: itémque Caryinum, quod è iuglandibus nucibus conficitur. Easdem verò cum balanino vires obtinent.

De Hyoscyamino oleo. CAP. XLII.

Hyoscyaminum autem sic præparatur: Semen ipsum album, siccum, recens accipito, & contusum aqua calida subigito, veluti in amygdalino dictum est. Dum verò insolabis, arescentes eius quæ sub manu sunt

hoc

hoc eſt, ſuperiores] partes toti maſſæ permiſceto. Idipſum tandiu facito, dum nigreſcat graueolénſque reddatur: mox per linteolum percolatum & expreſſum reponito. Ad aurium dolores eſt efficax: peſsíſque immiſcetur, emolliendo vtile.

De Gnidico oleo. CAP. XLIII.

Similiter etiam paratur quod ex Gnidio grano fit oleum, decorticato ſemine atque contuſo. Potum id aluum ſoluendi vim habet.

De Cnicino oleo. CAP. XLIIII.

Eodem quoque modo Cnicinum oleum conficitur. Vis autem eadem quæ Gnidico, ſed remiſſior.

De Raphanino oleo. CAP. XLV.

Raphaninum ex ipſo fit raphani ſemine, quemadmodum & reliqua. Iis qui ex mala valetudine phthiriaſes contraxêre conuenit, ſcabritiáſque cutis in facie emendat. Eo vtuntur Ægyptij, vnà cum obſoniis ipſum coquentes.

De Melanthino oleo. CAP. XLVI.

Melanthinum eaſdem cum raphanino vires, conſimilémque præparationem, ſortitur.

De Sinapino oleo. CAP. XLVII.

Sinapinum fit ad læuorem trito Sinapis ſemine & aqua calida macerato, adiecto

posteà oleo ac simul expresso. Facit ad dolores diuturnos, dum ipsa vitia ex alto extrahit.

De Myrtino oleo.

Cap. XLVIII.

Myrtei olei præparandi ratio hæc est Myrti nigræ seu syluestris seu satiuæ tenerrima quæque folia tundito atque exprimito, succo deinde omphacini olei parē mensuram admisceto,& ad prunas calfacito,donec simul cocta fuerint,tollens id quod supernatat. Fuerit verò minùs operosa confectio, si foliorum mollissima contusa in aqua & oleo decoquas, & quod innatat deradas: peculiari quoque modo, si exposita Soli folia in oleo maceres. Nec desunt qui oleum priùs inspissent malicorio, cupresso, cypero ac iūco odorato. Efficacius est quod gustu subamarum deprehenditur, oleosum, viride & translucidum cernitur, ac myrtum redolet. Vis porrò ei astringendi & indurandi: quare efficaciter cicatricem obducentibus medicamentis immiscetur. Facit quoque ad ambustiones, vlcera capitis manantia, furfures, papularum eruptiones, attrita, rhagadas, condylomata & laxatos articulos. Sudores compescit, ac denique ad omnia valet, quæ astrictionem densationémve desiderant.

De

De Laurino oleo. CAP. XLIX.

Laurinum è drupis ſeu maturitate deci-
uis lauri baccis in aqua decoctis confici-
ır. Tùm enim ex ambiente cortice pin-
uitudinem quandam exudant,quæ mani-
us priùs expreſſo è tritis baccis ſucco con-
his excipitur. Nonnulli verò vbi ompha-
inum oleum cypero , iunco odorato & ca-
ımo priùs inſpiſſauerunt , tenera deinde
ıuri folia in id coniecta ſimul decoquunt.
unt qui lauri baccas addant, dum iuſtus o-
or acceſſerit:alij ſtyracem & myrrham am-
ıiſcent.Porrò ad eiuſmodi olei confectio-
em optima eſt laurus montana & latifo-
a. Laurinum verò oleum excellit,quod re-
ens eſt,colore viride, amariſſimum & acre.
'is ei excalfaciendi , emolliendi , ſpiracula
enarum aperiendi,& laſſitudines diſcutien
i. Quin & malis neruorum omnibus , do-
oribus aurium ac deſtillationibus confert:
enum verò vitio ex frigore contracto la-
orantibus illitus eſt præſtantiſſimus,& ma-
imè ſi quid aliud vtilis. At potum idem,
ıauſeoſum eſt.

De Leutiſcino & Terebinthino.

CAP. L.

Lentiſcinum verò ſimiliter atque lauri-
ıum ex maturo fructu confectum ac priùs
nſpiſſatum, ſcabiem iumentórum canúm-

que ſanat. Peſſis, acopis & ad lepras tollendas accommodatis medicamentis aptè & vtiliter immiſcetur: ac ſudores etiam cohibet. Eodem quoque modo paratur Terebinthinum, quod exiccat & aſtringit.

De Maſtichino. Cap. LI.

Maſtichinum è trita maſtiche paratur. Contra omnia vuluæ mala efficax eſt, leniter calfaciens, aſtringẽs ſimul & emolliens. Eſt & vtile ad prominentes circa ſtomachum ſcirrhos, vt & ad cœliacorum dyſentericorúmque cruciatus. Vitia quæ in facie ſunt emendat, colorémque meliorem præſtat. Optimum verò in Chio inſula componitur.

De Vnguentorum compoſitione. Cap. LII.

QVANDOQVIDEM vnguenta nonnullis affectibus accommodantur, partim medicamentis admixta, partim inſtillata ſeu perfuſa, partim etiam naribus obiecta, conſequens eſſe ducimus, vt horum quoque tractationem perſequamur. Eorum porrò periculum facientes obſeruare oportet, an illud olfactui repræſentent, ex quo temperamentum ipſorum conſtat. Optimum ſiquidem eſt huiuſcemodi iudicium. Attamen id in nonnullis locum non habet, propter vehementiorum quæ miſcentur præualens domi-

dominium: velut in amaracino, crocino & telino, nec non & aliis quibusdam: quę quidem ex crebra circa ipsa exercitatione probare conueniet.

De Rosacei præparatione. CAP. LIII.

Rosaceum oleum fit hoc modo: Iunci odorati contusi & aqua subacti libras quinque & bessem in olei libris xx. & quincunce subinde mouendo coquito: deinde vbi percolaueris, in olei libris illis xx. & quincunce rosarum numero mille non madefactarum foliola coniicito: vnctísque melle odorato manibus sensim aliquãtulum premens identidem moueto: deinde vbi noctẽ vnam siueris, exprimito. Quum verò id quod fæculentum est subsederit, mutato recipiente vase in craterem melle oblitum recondito. Porrò expressis rosis in labellum coniectis olei inspissati libras viij. & quadrantem affundito, iterúmque exprimito: éritque hoc tibi secundarium oleum. Quòd si volueris ad tertiam vsque quartámve macerationem progredi, toties oleum rosis affundito & exprimito. Fit enim & primariũ & secundarium & tertiarium & quartarium vnguentum. Sed quoties id feceris, crateras melle priùs oblinito. Sin secũdam iniectionẽ instituere libet, in primò expressum oleũ recẽtium ac minimè madidarũ rosarũ parẽ-

numerum immittito, & manibus mellē priùs imbutis agitans exprimito: ac secundò, tertiò aut quartò simili modo exprimēs facito, totiésque recentes rosas detractis vnguibus adiicito. Sic enim oleum multò potentius euadet. Porrò ad septimam infusionem oleum iniectionem rosarum admittit, prætereà verò minimè. Ceterùm melle prelum illinatur: oleum verò à succo diligenter secerni oportet. Nam si huius vel tantillum relinquatur, vnguentum vitiabit. Sunt qui rosas ipsas solas vnguibus detractis insolatas selibræ pondere immergunt in olei sextarium vnum: ac per dies octo permutantes, & ad dies quadraginta insolantes sic vt tertiò rosarum maceratio fiat, ita recondunt. Nonnulli additis calamo & aspalatho oleum priùs inspissant: alij anchusam, pulchri coloris conciliandi gratia, & salem quò minùs corrumpatur, adiiciunt. Vim astringendi & refrigerandi obtinet, irrigationibus & cataplasmatum mixtionibus accommodatam. Aluum quoque potum soluit, ardorémque stomachi restinguit. Caua item vlcera nutrit ac replet: maligna verò demulcet. Ad manantia capitis vlcera ac feruidas eruptiones illinitur. Caput dolens eo perfunditur. Ad dentium dolores inter initia colluitur. Illitum quoque ad palpebras

bras induratas efficax eſt: denique ad inteſtinorum ac vuluæ roſionem proritationémve vtiliter infunditur.

De Elatini confectione. CAP. LIIII.

Tuſam diſcerptámque elaten [hoc eſt, florentium adhuc palmarum fructus corticem ſeu inuolucrum] in labrum coniicito, & omphacinum oleum affundito: in quo tridui ſpatio eam macerari ſinito. Mox fiſcella excipito & exprimito. Sint verò vtraque paría pondere. Tandem vbi vaſe mundo repoſueris, vtitor. Vim habet roſaceo proportione reſpondentem: ſed aluum minimè mollit.

De Melini compoſitione. CAP. LV.

Oleum Melinum huncin modum præparatur. Vbi olei ſextarios ſex & aquæ ſextarios decem ſimul commiſcueris, ſpathæ ſeu elatæ contuſæ vnc. iij. iunci odorati vnc. j. adiicito: ac poſteaquam diem vnum macerari ſiueris, coquito. Mox excolatum oleum in vas oris lati coniicito, ac impoſita matta arundinacea aut ſtorea rariore, mala cotonea deſuper inſternito, eáque obuelata veſtimentis ad dies ſatis multos ſinito, dum oleum malorum vires ad ſeſe allexerit. Alij mala operimentis obuoluunt ad dies decem, vt coërceatur, miniméque exhalet odoris ſuauitas: ac poſtea duorum dierum

totidémque noctium ſpatio in oleo macerant, tandémque oleum expreſſum recondunt. Vim porrò aſtringentem & refrigeratoriam obtinet: facítque ad ſcabioſa vlcera, furfures, perniones & herpetas. Ad vuluæ exulcerationes commodè inſtillatur: quin & concitatam vrinam infuſum ſiſtit, ſudoréſque cohibet. Bibitur & contra cantharidas, bupreſtes & pinorum erucas. Probatur verò in hoc genere maximè, quod cydonia mala redolet.

De Œnanthini confectione. CAP. LVI.

Œnanthen ex vua [ſylueſtri] odoratam poſteaquam marceſcere ſiueris, in oleum omphacinum coniicito, & vndiquaque verſando agitato: porrò cùm ad biduum ſiueris, exprimito atque reponito. Vim habet aſtrictoriam, roſaceo proportione reſpődentem, præterquàm quòd aluum neque ſoluit neque mollit. Probatiſſimum verò etiam eſt, quod œnanthen odore quàm maximè refert.

De Telini componendi ratione.

CAP. LVII.

Fœnigræci libras v. olei libras ix. calami libram vnam, cyperi libras ij. macera in oleo ad dies ſeptem, ita vt ter quotidie agites: dein exprimito atque reponito. Sunt qui pro calamo quidem cardamomum, pro cypero

pero verò xylobalſamum ſimul macerant: alij oleum iis ipſis priùs inſpiſſant, ac deinde fœnumgræcum in ipſo macerant, tandémque exprimunt. Porrò vim habet apoſtemata molliendi atque maturandi: maximè autem omnibus circa vterum duritiis accommodatum eſt: ægrè parientibus commodè inſtillatur, vbi excretis antè humoribus loci muliebres ſiccitatem contraxerint. Quin & ad ſedis inflammationes, necnon ad teneſmos vtiliter infunditur: furfuréſq; & vlcera capitis manantia detergit. Facit & ad ambuſta & perniones, addita cera. Maculas quoque à Solis ardore contractas exterit, atque medicamentis ad faciei nitorem inducendum admiſcetur. Cæterùm eligito recens, quódque fœnigræci odorem non admodum referat, manúſque abſtergat, ac dulcedinis amarori permixtæ ſaporem redoleat. Tale ſiquidem præſtantiſſimum iudicatur.

De Sampſuchini componendi ratione.

CAP. LVIII.

Serpylli, caſſiæ, abrotoni, florum ſiſymbrij, myrti foliorum, ſampſuchi, ſingulorum ſumito quantum ad ipſorum vniuſcuiuſque vires animum attendens ſat eſſe conieceris, vnáque omnia tundito: & olei

omphacini quantum fuerit ſatis affundito, dummodò ne euincatur eorum vis quæ in ipſo macerantur, ac poſt quatriduum exprimito. Rurſum verò illorum eorundem recentium par pondus æquali tempore in eodem oleo macerato & excolato: ſic enim efficacius reddetur. Verùm ſampſuchum eligito colore ex nigro viridi, plurimùm odoratũ ac mediocriter acre. Vim habet calfactoriam, extenuãtem & acrem. Facit porrò ad vuluæ præcluſionem atque diſtorſionem: menſtruáque, ſecundas & partus extrahit, ac vuluæ ſtrangulatus recreat. Lumborum inguinúmque dolores lenit. At cum melle ſatius eſt ipſo vti: quandoquidem vehementi aſtrictione locos indurat. Laſſitudines etiam illitum diſcutit, ac denique aptiſſimè opiſthotonicorum alitérque conuulſorum cataplaſmatis inſeritur.

De Ocimini præparatione. CAP. LIX.

Olei libras XX. ocimi pondo libras XI. & beſſem ſumito: huius decerpta folia in oleo ipſo diei vnius noctiſque ſpatio macerato, dein exprimito atque reponito. Exemptis porrò è quaſillo foliis, rurſum olei parem menſuram affundito & excolato. Vocatur autem hoc ſecundarium: tertiam enim macerationem minimè admittit. Exinde recentis ocimi æquale pondus iterum

macera, vt in rosaceo dictum est, ita vt affuso prioris macerationis oleo temporis eodem spatio madere sinas: túmque postea exprimito atque recondito. Quòd si ter quatérve macerare volueris, recens ocimum semper iniicito. Potest & ex omphacino confici: sed illo modo meliùs. Eadem quæ sampsuchinum præstat: at minùs est efficax.

De Abrotonini confectione.
CAP. LX.

Abrotoninum. In olei ad cyprinum conficiendum aromatibus imbuti libras IX & quincuncem, abrotoni foliorum libras viij. immittito, ac posteaquam diem noctémq; vnam maceraueris, excolato. Quòd si perennius ac magis durabile conficere volueris, abiectis prioribus foliis, alia apponito, & macerata exprimito. Vim porrò habet calfactoriam, ad vuluæ præclusiones & duritias efficacem: menstrua secundásque pellit.

De Anethini componendi ratione.
CAP. LXI.

Anethi florum libras xj. & bessem in olei libris octo & dodrante diem vnam immergito, ac deinde manibus exprimito, atque reponito. Sin macerationem iterare volueris, recentem anethi florem similiter madefacito. Locos muliebres emolliendi rela-

xandíque vi pollet, & ad rigores certo circuitu redeuntes conuenit, quippe quod excalfaciat: laſſitudines diſcutit, & articulorum doloribus auxiliatur.

De Suſini compoſitione. CAP. LXII.

Suſinum, quod lirinum ſeu liliaceum nonnulli appellant, ita temperatur: Olei libras ix. & quincuncem, calami libras v. & quadrantem, myrrhæ quincuncem poſteaquam vino odorato ſubegeris, coquito. Deinde colo traiectum oleum vna cum cardamomi tuſi & aqua pluuia macerati libris iij. & ſemiſſe refundito: ac vbi macerari ſiueris, exprimito. Tum olei huius inſpiſſati tres libras cum ſemiſſe ſumito, liliáque numero mille. Horum decerpta folia in labello lato, non tamen profundo, ponito; affuſóque oleo perunctis melle manibus verſato. Tandem vbi diem noctémque vnam conquieſcere ſiueris, mane in fiſcellã tranſlatum excolato: quod verò ſupernatabit oleum illico ab aqua, quæ ſimul cum eo expreſſa fuerit, ſecernito. Neque enim vti roſaceum miſtam ſibi patitur aquam: concalfactum ſiquidem referuet atque computreſcit. In alia porrò vaſa melle oblita ſæpius transfundito, ſalem tenuem priùs inſpergens, & collectam immunditiem diligenter auferens. Expreſſum autem magma poſtquam

quam ex quasillo in labrum transtuleris, aromatibus imbuti olei par priori pondus rursum affundito, simúlque cardamomi tusi drachmas x. coniicito. Hæc vbi probè manibus agitaueris, interiecta breui mora exprimito, & quod defluet repurgato. Tertiò demum affuso oleo, idem rursum facito, & cardamomum ac etiamnum salem insuper adiiciens, & manibus melle imbutis premens. Erit porrò primò expressum oleum optimum: ab hoc secundum, quod sequitur: tertium locum sibi vendicat, quod postremum est. Tùm verò denuo lilia mille decerptis foliis sumito atque disponito: & affuso quod primò expressum est oleo, eandem quam in primo viam & rationem inito, idémque facito, cardamomum adhuc admiscens, ac deinde exprimens. Eadem quoque in secundo ac tertio, veluti dictum est, præstato, cardamomum pariter adiiciens: deinde excolato, ac reliqua denique similiter conficito. Quò porrò frequentiùs lilia recentia maceraueris, eò potentius efficaciúsve vnguentum habebis. Tandem cùm satis esse tibi visum fuerit, vnicuique præparationi myrrhæ quàm optimæ drachmas lxxij. croci drachmas x. cinnamomi drachmas lxxv. misceto. Alij croci & cinnamomi æquale pondus immiscent.

Hæc tuſa cretáque in labrum cum aqua coniicito, primóque expreſſum vnguentum affundito: ac non ita multò pòſt in vaſcula excipito ſicca, priùs illita gummi aut myrrha, & croco ac melle aqua dilutis. Eadem in ſecunda, itémque tertia expreſſione facito. Nonnulli verò ſimplex ex balanino alióve oleo ac liliis conficiunt. Excellere porrò videtur quod in Phœnice & Ægypto paratur, ac cumprimis laudatur quod lilia redolet. Vim habet excalfaciendi, molliendi, aperiendíque vuluæ præcluſiones: eiuſdem inflammationibus accommodatum eſt, ac in vniuerſum ad muliebria mala eſt vtiliſſimum. Conuenit & ad vlcera in capite manantia, varos, furfures ac feruidas eruptiones. Vibices etiam quamprimùm emendat, & reliquæ cuti concolores efficit: denique egregiè rarefacit. Potum quoque bilem per aluum extrahit, vrinámque ciet: at ſtomacho noxium eſt, nauſeámque parit.

De Narciſsini miſtura.

CAP. LXIII.

Narciſſinum oleum ſpiſſatur hunc in modum: Olei eloti libras lxx & quincuncem, aſpalathi libras vj. cum ſextante ſumito. Hunc tuſum & aqua maceratum tertiæ olei parti miſceto & coquito. Dein exempto aſpalatho, calami libras v. & beſſem adiicito: quin

quin & myrrhæ grumum vbi contuderis atque cribraueris, vino vetere odorato subigito, itidémque miſceto atque decoquito. Simulac autem cum iis efferbuerit oleum, ab igne amoueto, & refrigeratum excolato. Tandem eius portionem in labellum refundito, & flores narciſſi quamplurimos immittito, biduíque ſpatio agitato: túmque, vt in Suſino dictum eſt, excolato, ac frequenter decapulato: ſiquidem hoc quoque corruptioni eſt obnoxium. Facit autem ad vuluæ vitia: quippe quod ipſius duritias emolliat, præcluſionéſque aperiat: ſed capitis dolores facit.

De Crocini confectione.

CAP. LXIIII.

Ad præparandum Crocinum, oleum priore loco ſpiſſabis, velut in Suſino dictum eſt, eadem ſeruata menſuræ ponderíſque æqualitate. Sumptis igitur olei ad Suſinum conficiendum ſpiſſati libris tribus & ſemiſſe, croci drachmas octo immittito, ac ſæpius quotidie verſato, opere ad dies quinque cõtinuato. Sexta demum die oleum purè probéque à croco ſuccernito: eidémque croco parem olei modum affundito, & triduo agitato. Deinde vbi refuderis, myrrhæ tuſæ & cribratæ drachmas XL. admiſceto, ac in pila exactè moueto, tandémque recondito.

Nonnulli verò oleo ad cyprinum conficiendum aromatibus imbuto, etiam ad crocinum vtuntur. Eſt porrò præſtantiſſimum, quod abundè crocum ſpirat, éſtque id vſui medicinæ aptum: proximum verò, quod myrrham redolet. Vim habet excalfaciendi ſomnúmque conciliandi: quò fit vt ſæpenumerò phreniticis ſubueniat ſeu perfuſum, ſeu olfactum, ſeu denique naribus illitum. Pus quoque mouet & vlcera purgat. Valet & ad vteri duritias, præcluſiones malignáque vlcera, cum cera, croco, medulla & oleo duplo. Concoquit enim, emollit, humectat ac etiamnum lenit. Facit & ad oculorum glaucomata ex aqua ſublitum. Huic autem proportione reſpōdent butyrinum, onychinum & ſtyracinum: quæ quidem vnguenta nominibus tantùm differunt, præparandi verò modo ac viribus ſunt perquàm ſimillima.

De Cyprini olei ſpiſſamento ac præparatione.
CAP. LXV.

Sumito olei omphacini eloti ceramium vnum, aquæ pluuiæ tantundem cum ſemiſſe: huius partem vnam oleo affundito, alteram iniiciendis aromatis admiſceto. Dein aſſumptis aſpalathi libris v. cum ſemiſſe, calami libris vj. & ſemiſſe, myrrhæ libra vna, cardamomi libris iij. & dodrante, hele-

nij libris ix.& quincunce, helenium & aſpalathum vbi contuderis & aqua maceraueris, oleo incoquito donec conferueſcant. Calamum autem contuſum ſimul cum myrrha vino vetere odorifero diluta ſubigito, exemptóque aſpalatho calami miſturam illam immittito. Vbi verò cum hac efferbuerit oleum, amotum ab igne de aheno excolato, & ad cardamomum contuſum aquáq; reliqua ſubactum affundito, ac ſpatha perpetuò & ſine intermiſſione donec refrixerit peragitato. Poſteà percolato oleo, in xlviij. libras olei, floris cypri libras xlvj. & beſſem iniicito: atque vbi macerari ſiueris, per fiſcellam exprimito. Quòd ſi copioſius deſideraueris, florum recentium par pōdus immittito, ac ſimiliter exprimito. Potes etiam iterum tertióve macerare, ſi volueris: efficacius enim hoc modo redditur. Eligi autem oportet bonum, quódque cum odoris gratia nares feriat. Sunt & qui cinnamomum immiſceant. Porrò vim habet calfaciendi, molliendi, oſculáque vaſorum aperiendi: atque adeò vuluæ neruorúmque vitiis conuenit: ſic & pleuriticis & fracturis, tum per ſe, tum etiam cerato immiſtum. Quin & in malagmata quæ opiſthotonicis, angina laborantibus & inguinum inflãmationi conueniunt, itémque in acopa additur.

De Irini spissamento. CAP. LXVI.

Spathæ seu elatæ quàm minutissimè contusæ libras vj. cum besse in olei libris lxxiij. & quincunce, ammixtis aquæ heminis decem, æreo vase coquito, quoad oleum odorem spathæ contraxerit: hoc postea in craterem melle oblitum excolato. Ex hoc ipso aromatis imbuto oleo primum Irinum temperatur, iride in oleo spissato, velut inferiùs scriptum est, macerata, vel hoc modo: In olei libris lxx. & quincunce, xylobalsami contusi, veluti dictum est, libras v. & sextantem excoquito: postea detracto xylobalsamo, calami contusi libras ix. & dextantem ac myrrhæ grumum vino vetere odorato perfusum adiicito. Postmodùm assumptis olei spissati & aromatibus imbuti libris xiiij. iridis contusæ par pondus ad duos dies totidémque noctes in eo macerato: tandémque fortiter ac strenuè exprimito. Quòd si vis efficacius fieri, æquale pondus secundò ac tertiò similiter maceratum exprimito. Est verò longè optimum, quod nullius alius præterquam solius iridis qualitate odoratum afficit. Tale porrò est, quod in Perga Pamphyliæ & Elide Achaiæ præparatur. Vim habet emollientem & calfactoriam: crustas vlcerum, putredines ac sordes repurgat: vuluæ affectibus confert, nimirum eius inflam-

inflammationibus atque præclusionibus: partus eiicit: hæmorrhoidas recludit: ad aurium sonitus ex aceto, ruta & amaris amygdalis prodest. Diuturnis etiã distillationibus, si nares eo illinantur, itémque contra ozænas, auxiliatur. Aluum quoque purgat, cyathi mensura potum. Facit & ad ilei cruciatus, vrinámque ciet. Ægrè vomentibus opitulatur, perunctis eo digitis, aliísve quæ ad vomitum ciendum ori induntur. Angina quoque laborantibus illinitur, aut ex aqua mulsa gargarizatur, vt & contra arteriæ asperitatem Datur & iis qui cicutam, fungos aut coriandrum hauserint.

De Gleucini compositione.

CAP. LXVII.

Gleucinum simplex præparatur ex oleo omphacino, schœno, calamo, nardo Gallico, spatha, aspalatho, meliloto, costo, musto, circundatis interim vinaceis vasi, quod aromata, vinum oleúmque continet. Triginta porrò diebus, bis singulis, permiscẽtur: pòst demum expressum oleum reconditur.

Vim habet calfaciendi, molliendi atque relaxandi: quò fit vt ad rigores & neruorum vuluæque affectus conferat. Omni autem acopo vtilius est: quippe quod emolliat.

De Amaracino. CAP. LXVIII.

Fit in Cyzico Amaracinũ probatissimum

Paratur autem ex oleis omphacino & balanino: quæ quidem xylobalſamo, iunco odorato & calamo ſpiſſata fuerint: ſuauiora verò reddita amaraco, coſto, amomo, nardo, carpobalſamo & myrrha. Miſcent & cinnamomum, qui ſumptuoſius ipſum conficiunt. Aſſumuntur autem mel & vinum, tum ad vaſorum illitionem, tum ad comminuta aromata ſubigenda. Porrò calfacit, ſoporem inducit, vaſorum ſpiracula recludit, emollit, feruorem excitat, vrinam cit, putredinibus ac fiſtulis conducit, necnon & aquoſis ramicibus, poſt curationem ope manus adhibitam. Cruſtas quoque ac efferata vlcera circumquaque rumpit. Vrinæ difficultati illita ſede ſuccurrit. Quin & huius ipſius inflammationibus & ad recludendas hæmorrhoidas itidem oblitum auxiliatur. Vtero appoſitum, menſes ciet, vuluæ duritias & œdemata diſcutit: ſauciatis denique neruis ac muſculis confert, rarioribus lanæ hapſis eo irrigatis & impoſitis.

De Megalio. CAP. LXIX.

Quondam factitabatur, quod Megalium appellatur: at nunc planè intercidit. Veruntamen ad hiſtoriæ complementum, eius quoque meminiſſe non abs re fuerit. Huius igitur miſtura cum amaracino eadem eſt, niſi quòd reſina ampliùs accedit, qua quidem

dem ſola diſcrepat. Leniter emollit. Reſina porrò neque conſeruationis, neque voluptatis gratia, ſed coloris craſſamentíque cauſa vnguentis adiicitur. Miſcetur autem terebinthina decocta, donec olere deſinat. Eius verò coquendæ ratio in reſinæ tractatione declarabitur.

De Hedychroo. CAP. LXX.

Sed & quod Hedychroon cognominãt, quódque in Co præparatur, eaſdem vires eundémque præparandi modum cum Amaracino obtinet: at odoratius exiſtit.

De Metopio. CAP. LXXI.

Præparatur & in Ægypto vnguentum, vernaculo nomine Metopium dictum: ſcilicet propter galbani permiſtionem. Lignum enim è quo galbanum emanat, Metopion Ægyptiis appellatur. Ex oleo omphacino & amygdalarum amararum, cardamomo, ſchœno, calamo, melle, vino, myrrha, balſami ſemine, galbano & reſina componitur. Probatur quod grauiter olet ac pingue eſt, quódque cardamomum & myrrham potiùs quàm galbanum reſipit. Vehementer autem calfacit, adurit, ora vaſorum aperit, attrahit, vlceráque expurgat. Ad neruos & muſculos præciſos efficax eſt, itémque ad aquoſos ramices, ſepticis emplaſtris adhibitum. Malagmatis

etiam ac ceratis inſeritur. Rigoribus quoq́, ac retrorſum curuato corpore conuulſis conducit. Ciet & ſudores, atque vteri vaſorum oſcula reſerat, eiuſdémque duritias laxat. Atque in vniuerſum molliendi vi prææditum eſt.

De Mendeſio. CAP. LXXII.

Quod Mendeſium dicitur, ex balanino conflatur oleo, myrrha, caſſia & reſina. Nonnulli poſtquam alia ſingula certis ponderibus iniecerunt, cinnamomi exiguum inſuper addunt, ſed vtilitate nulla. Nec enim ſuas vires conferunt, quæ non ſimul contrita fuerint. Cæterùm ſimilem Metopio vim obtinet, attamen inferiorem.

De Stacte. CAP. LXXIII.

Stacte verò vocatur, pinguitudo recentis myrrhæ cum aqua pauca contuſæ & organo expreſſæ. Ea per quàm odorata ac pretioſa eſt: quippe quæ vnguentum per ſe faciat, quod ſtacte nominatur. Probatur quæ olei nihil admixtum habet, quæq́ue vel minima quantitate vim maximam ſortita eſt, nimirum calfactoriam, ac myrrhæ vnguentíſque calfacientibus proportione reſpondentem.

De Cinnamomino. CAP. LXXIIII.

Cinnamominum ex oleo conſtat balanino, & xylobalſami, calami ac ſchœni ſpiſſamentis:

mentis: cinnamomi verò, balſami ſeminum & quadruplæ ad cinnamomum myrrhæ odoramentis. Quin & ad ea ipſa ſubigenda mel adiicitur. Probatur minimè acre, molli odore, myrrhæ quiddam referens: quippe quod craſſum ſit & odoratum, ac guſtu perquam amaro. Tale enim non à reſina, ſed myrrha, craſſitudinem obtinet: quin neque reſina amaritudinem, neque odoris gratiam addit. Vim habet admodum acrem, calfacientem & amaram. Proinde ora venarum calfaciendo aperit: humores quoque ac flatus diſcutit, diffundit & attrahit: ſed caput aggrauat. Facit & ad vuluæ vitia cum oleo duplo, cera & medulla: ſic enim de acrimonia ſua multum amittit, emolliendíq; vim aſciſcit. Nam alioqui comburit, ac præ cæteris craſſis vnguentis vehementiſſimè indurat. Ad fiſtulas etiam ac putredines euidenter eſt efficax: itémque ad aquoſos ramices, carbunculos & gangrænas, cum cardamomo. Quin & ad rigores circuitu redeuntes, tremores ac virulentarum beſtiarum morſus, illinitur: ſcorpionum verò ictibus phalangiorúmq; morſibus cum tritis groſſis imponitur.

De Nardino Vnguento.

CAP. LXXV.

Nardinum vnguentum variè addito ma-

labathri folio, aut ſine eo, præparatur.

Vtplurimùm autem balanino oleo aut omphacino, ſpiſſandi quidem gratia iuncus odoratus admiſcetur: ad odoris verò gratiam conciliandam, coſtus, amomum, nardum, myrrha, balſamum. Laudatur tenue, minimè acre, nardi aridæ aut amomi odorem retinens. Vis ei extenuans, acris ac detergens: nec non & humores rarefaciendi & excalfaciendi vi pollet. Liquidum verò eſt, nec habet ſtrigmenti craſſitudinem, niſi reſinam recipiat. Conficitur quoque vilius ex omphacino oleo, iunco, calamo, coſto atque nardo.

De Malabathrino. CAP. LXXVI.

Malabathrinum ſeu Foliatum eadem habet quæ nardinum ſpiſſamenta, myrrhæ autem pluſculum additur: qua de cauſa calfacit, crocino aut amaracino viribus reſpondens.

De Myrrha. CAP. LXXVII.

MYRRHA lacryma eſt arboris naſcentis in Arabia, Ægyptiacæ ſpinæ ſimilis: qua quidem inciſa lacryma in ſubſtratas tegetes deſtillat, pars verò circa caudicem ipſum concreſcit. Ac myrrha quidem quædam pediaſimos, quaſi campeſtris, appellatur, pinguis: qua expreſſa, ſtacte excipitur. Alia verò Gabirea, læto ac pingui ſolo proueniens,

ueniens, quæ multam quoque stactem sudat. Primas verò tenet quæ Troglodytica cognominatur à loco in quo gignitur, subuiridis ea quidem, mordax atque pellucida. Colligitur etiamnum tenuis quædam, quæ à Troglodytica secunda est, bdellij modo lentescens, odore quodammodo viroso, locis nascens apricis. Alia Caucalis dicitur, exolcta, nigra & retorrida. Omnium deterrima quæ Ergasima nominatur: quippe quæ sit squalore obsita, acris ac minimè pinguis, & aspectu viribúsque gummi referat. Improbatur etiam quæ Aminea nominatur. Ex iis porrò expressiones fiunt: è pinguibus quidem, odoratæ ac pingues: è siccis verò, haudquaquam pingues, nec odoratæ, inualidæ: propterea quòd oleum dum conformarentur asciuerint. Adulteratur permisto gummi aqua macerato in qua myrrha maduerit. Eligito recentem, friabilem, leuem, vndiquaque concolorem, quæque confracta intercurrentes lineas intrinsecus habeat candidas, vnguium speciem præse ferentes ac læues: quæque insuper minutis sit glebis, amara, odorata & acris. Ponderosa autem & quæ picei coloris est, inutilis censetur. Vim habet calfaciendi, fluxiones sistendi, soporem inducendi, glutinandi, siccandi & astringendi. Emollit etiam præclu-

ſam vuluam & aperit. Menſes & partus celeriter extrahit, cum abſinthij vel lupinorum diluto aut rutæ ſucco admota. Deglutitur verò catapotij inſtar ad molem fabæ, contra diuturnam tuſſim, orthopnœam, lateris ac thoracis dolorem, alui profluuium atque dyſenteriam. Rigores quoque maximéque quartanarios, diſcutit, horis ante acceſſionem duabus cum pipere & aqua, fabæ magnitudine, pota. Subdita linguæ liquatáque, arteriæ aſperitatem ac vocis raucitatem emendat. Quin & lumbricos enecat, & ad oris graueolentiam commanducatur. Aduerſus alarum tædia cum alumine liquido illinitur: cum vino verò & oleo colluta, dentes ac gingiuas ſtabilit. Inſperſa quoque, capitis vulnera glutinat. Fractis auribus nudatíſque oſſibus cum cochleæ carne perunćta medetur. Itémque purulentis auribus, nec non & inflammatis, cum meconio, caſtorio & glaucio. Ad varos autem, cum caſſia & melle illinitur. Impetigines ex aceto detergit: defluentes capillos cum ladano, vino & myrtino oleo firmat. Diuturnas etiam defluxiones compeſcit, ſi narium pinnæ illinatur. Oculorum vlcera complet, exterítque albugines & ea quæ pupillis tenebras offundunt: quin & ſcabritias ſeu aſpritudines expolit. Fit & ex ea, quemadmodum è thure,

thure, fuligo, veluti poftea oftendemus, ad eadem efficax.

De Bœotica myrrha. CAP. LXXVIII.

Bœotica verò myrrha ex arbore quadam in Bœotia nafcente ftillat, incifa radice. Eligito quæ myrrham odoris fuauitate repræfentet. Calfaciendi, molliendi, diffundendíque vi pollet. Vtiliter quoque fuffimentis inferitur.

De Styrace. CAP. LXXIX.

STYRAX lacryma eft arboris cuiufdam cotoneæ malo fimilis. Præfertur flauus ac pinguis, refinofus, albicantibus grumis, quàm diutiffimè in fua odoris gratia permanens, quíque dum mollitur fubigitúrve, melleam quandam humiditatem ex fe remittit. Talis eft Gabalites, itémque Piffidiacus atque Cilicius. Deterior niger, friabilis ac furfurofus. Inuenitur & lacryma gummi fimilis, tranflucida, myrrhæ æmula: verùm hæc perpauca nafcitur. Adulteratur porrò arboris ipfius fcobe, quæ vermiculorum erofione facta fuerit, admifto melle ac iridis craffamento & quibufdam aliis. Nonnulli quoque ceram aut febum aromatis imbutum ad Solem acerrimum vnà cum ftyrace fubigunt, & per colum latis foraminibus peruium in aquam frigidam quafi vermiculos effingentes exprimunt & vænundant.

Styracem hunc ideò Scolecitem, quaſi vermiculatum, cognominant: atque imperiti tanquam ſincerum admittunt, non attendentes ad inſignem odoris vehementiam. Eſt enim admodum acris, qui fraudis expers eſt. Vim habet calfactoriam, emollientem & concoctoriam. Medetur tuſſi, deſtillationibus, grauedinibus, raucitatibus & vocis interceptioni: vuluæ quoque præcluſæ duritiáque laboranti conuenit. Cit menſes potu appoſitúque, & aluum leuiter mollit, ſi exiguum cum reſina terebinthina deglutiatur. Vtiliter etiam malagmatis diſcutientibus & acopis admiſcetur. Vritur autem, aſſatur torretúrve: atque ex eo, quemadmodum & è thure, fuligo colligitur: quæ quidem ad eadem ad quæ thuris fuligo, accommodatur. Styracinum verò vnguentum quod ex eo in Syria concinnatur, calfacit ac potenter emollit: verùm capitis dolorem grauitatémque ac ſoporem conciliat.

De Bdellio. CAP. LXXX.

BDELLIVM nonnulli madelcum, alij bolchum appellant. Lacryma eſt arboris Saracenicæ. Probatur guſtu amarum, tranſlucidum, taurino glutini ſimile, pingue intima parte, & facilè molleſcens, lignorum ac ſordium expers, in ſuffitione vnguis odorati in modum odoratum. Eſt &

alterum ſordidum ac nigrum, grandioribus glebis, in offas conuolutum, quod quidem ex India aduehitur. Defertur etiam à Petra oppido ſiccum, reſinoſum, ſubliuidum, ſed facultate ſecundum. Adulteratur admixto gummi: verùm ita vitiatum non perinde guſtui amaritudinem repræſentat, neque vſqueadeò ſuffitionibus odoratum eſt. Vim porrò obtinet calfaciendi, molliendi, diſcutiendi duritias, turgeſcentia guttura, & aquoſas hernias, ieiuni ſaliua dilutum. Tum appoſitu, tum etiam ſuffitu vuluæ ſpiracula laxat, & partus humiditatémque omnem extrahit. Calculos potu comminuit, & vrinas ducit. Tuſſientibus & iis qui à virulentis beſtiis demorſi fuerint, vtiliter exhibetur. Valet quoque ad rupta, conuulſa, lateris dolorem & vagos ac diſcurrentes flatus. Inſeritur & malagmatis quę ad duritias & nodos neruorum conueniunt. Contuſum verò ſubigitur, affuſo vino aut aqua calida.

De Thure. CAP. LXXXI.

THvs in ea quidem Arabia gignitur, quæ Thurifera cognominatur. At primas tenet maſculum ſtagonias appellatum, naturæ ſponte rotundum. Tale autem minimè ſectum eſt, candidúmque viſitur, & cùm frangitur, intrinſecus pingue, cúmque adoletur, ſtatim ardet. Indicum verò, ſub-

fuluum est & liuido colore: sed rotundum etiam arte & industria factitatur. Nam in quadrangulares formas dissectum fictilibus tandiu versant atque volutant, donec formam rotundam contraxerit. Verùm huiusmodi Thus tempore flauescit, atomúmque ant syagrium appellatur. Secundum locum tenet orobium, quódque in Amelo nascitur. Id nonnulli copiscum nominant, & minus ac fuluius existit. Est & genus quoddam, cui amomitę cognomen, quódque cętera candidum quidem est, at dum mollitur subigitúrve, masticheś more digitis cedit. Adulteratur porrò Thus omne, pinea resina & gummi artificiosè tractatum. Sed maleficium facilè deprehenditur. Siquidem incensum gummi flammam non concipit: resina in fumum vanescit: thus verò conflagrat. Eiusmodi præterea fraudem & odor ipse prodit. Calfaciendi astringendíque vi pollet, nec non & ea exterendi quæ pupillis caliginem offundunt. Caua vlcera implet & ad cicatricem perducit. Cruenta vulnera glutinat: sanguinis eruptionem omnem cohibet, ac eam etiam ipsam quæ fit è meningibus. Cum lacte tritum & linamento exceptum, sedis ac reliquarum partium maligna vlcera mitigat. Myrmecia inter initia impetiginésque ex aceto & pice illitum tollit.

Quin

Quin & igni ambusta vlcera pernionésque cum adipe suillo aut anserino sanat. Vlcera verò capitis manantia cum nitro affrictum percurat. Paronychiis cum melle,& contusis auribus cum pice, medetur. Ad reliquos autem aurium dolores cum vino dulci vtiliter infunditur. Perunctum quoque cum Cimolia & rosaceo,mammis confert à partu inflammatis.Sic & arteriæ internorúmq; viscerum medicamentis vtiliter ammiscetur, & sanguinem expuentes potu iuuat. Verùm in secunda valetudine haustum, furorem inducit, & largius cum vino potum, etiam interficit. Cæterùm Thus in fictili mundo positum crematur grano succẽsum de lucerna accenso, donec exuratur: post perfectam autem vstionem, operculo quodam integere oportet,vsquedum restinguatur: sic enim in cineres minimè redigitur. Nonnulli porrò ollulæ vas æneum cauum & in medio perforatum superimponunt ad fuliginem excipiendam,veluti mox,cùm de thuris fuligine fiet mentio, demonstrabimus.Alij in ollam crudam luto oblitam immittunt,vrúntq; in fornace.Torretur quoque candentibus carbonibus in fictili nouo, dum non ampliùs bullet, aut pinguitudinem vaporémve vllum emittat. Friatur verò facilè quod perustum est.

De Thuris cortice. CAP. LXXXII.

Cortex thuris præſtat craſſus, pinguis, odoratus, recens, læuis ac minimè ſcaber aut membranaceus. Adulteratur autem admixto ſtrobilino aut pineo cortice. Sed & horum index eſt ignis. Siquidem reliqui cortices incenſi, nequaquam conflagrant, ſed citra odoris gratiam in fumum euaneſcunt: thuris verò cortex ardet, & cum odoris fragrantia ſuffitur. Cæterùm & hic ipſe thuris modo vritur. Vis autem ei eadem quæ thuri, verùm efficacior & magis aſtrictoria. Quare potus, ſanguinem expuentibus accommodatior eſt: itémque alui vteríve fluxione laborantibus, noduli vice ſubditus. Eſt & ad oculorum cicatrices, cauitatéſque ac ſordes, efficax. Torrefactus autem, ſcabris etiam lippitudinibus auxiliatur.

De Manna thuris. CAP. LXXXIII.

Manna thuris probatur candida, pura & granoſa. Vim habet eandem quam thus, ſed aliquantò remiſſiorem. Sunt qui admixtis reſina pini cribrata & polline, aut etiam thuris contuſi cortice, ipſam adulterent. Sed hæc quoque maleficia ignis arguit. Neque enim incenſa æquè ac pari vigore aëris modo purum vaporem, ſed fuliginoſum & impurum emittet. Quin & odori grato permixta graueolentia comperietur.

De

De Thuris fuligine.

Cap. LXXXIIII.

Thuris verò fuliginem ſic facito: Thuris grana forcipicula ſingulatim apprehenſa de lucerna accendito, & in nouam fictilem ollam concauam imponito. Deinde æreo vaſe introrſum cauo ac in medio perforato diligentérque deterſo obtegito. Tùm ex altera eius parte, aut etiam vtrinque, lapillos quaternûm digitorum altitudine ſubiicito, quò faciliùs introſpici queat, vtrum illa vrantur: & locus vt ſit, per quem grana alia ſupponas, priuſquam granum primum penitus reſtinctum fuerit. Hoc verò facies, donec ſat fuliginis collegiſſe videare. Aſſiduè tamen externas æramenti partes aqua frigida ex ſpongia vndique imbuito. Sic enim ipſo non magnopere calente, fuligo omnis firmiùs adhæreſcit: quæ alioqui ſua leuitate delapſa thuris cineri permiſcetur. Deraſa itaque prima fuligine, idem opus repetito, quoties viſum fuerit: ac cinerem quoque è cremato thure ſeorſim excipito. Cæterùm illa oculorum inflammationes leniendi vi pollet, fluxiones cohibet, vlcera expurgat, caua explet, & carcinomata compeſcit.

De Fuliginis confectione. CAP. LXXXV.

AD eundem modum è myrrha, resina & styrace, fuligo conficitur, quam ad eadem accommodant. Ex reliquis quoque lacrymis fuliginem similiter excipito.

De Pinu. CAP. LXXXVI.

PINVS vulgò nota arbor est. Eiusdem verò generis est, quæ picea dicitur: specie siquidem dūtaxat hæc ab illa differt. Vtriusque cortex astrictorius est: ad intertrigines tritus & inspersus confert, itémque ad superficiaria vlcera & ambusta, cum argenti spuma & manna. Cerato myrteo exceptus, vlcera tenella cute præditorum ad cicatricem perducit: eadem illa serpentia cum atramento sutorio tritus cohibet. Suffitu partus & secundas eiicit: potu verò, aluum sistit & vrinas mouet. Quin & ipsarum folia trita & imposita inflammationes leniunt, & vulnera ab inflammatione vindicant. Ad læuorem autem trita & in aceto decocta, dentium dolores demulcent, si calida colluantur. Prosūnt & hepaticis folia, drachmę vnius pondere ex aqua mulsáve pota. Eadem præstant strobili cortex foliáque epota. Quinetiam tæda ex ipsis in tenues assulas concisa & in aceto cocta, dentium dolores mitigat, si qua parte dens dolet, decoctum id

ore:

ote contineatur. Ex ipſis etiam ſpatha fit, ad acoporum & peſſorum præparationes idonea. Quin & ex iis, dum cremantur, fuligo excipitur, ad librarij atramenti confectionem vtilis: itémque ad medicamenta honeſtandis palpebris dicata. Eroſis quoque oculorum angulis, glabris calloſíſque genis, & lacrymantibus oculis, opitulatur.

De Pityidibus. CAP. LXXXVII.

Pityidum nomine picearum & pinorum fructus appellantur, qui in conis reperiuntur. Vim habent aſtrictoriam & aliquatenus excalfacientem. Tuſſi pectoríſque vitiis tum per ſe, tum etiam cum melle ſumptæ, auxiliantur.

De Strobilis. CAP. LXXXVIII.

Strobili ſi repurgati edantur, aut cum paſſo & cucumeris ſemine bibantur, vrinas cient, & humorum acrimoniam hebetant, qui veſicam & renes infeſtant: ſedant & roſiones ſtomachi ſumptæ cum portulacæ ſucco: necnon corporis infirmitatem roborant, corruptorúmque humorum labem obtundunt. Toti autem ſtrobili ab arboribus decerpti, ac recentes contuſi & in paſſo decocti, ad vetuſtam tuſſim & tabitudinem conducunt, ſi ex eo liquore terni quotidie cyathi aſſumantur.

De Lentisco.

CAP. LXXXIX.

LENTISCVS nota arbor eſt,partibus ſui omnibus aſtrictoria. Etenim ipſius fructus, folium, ramorum & radicis cortex, pares vires ſortiuntur. Exprimitur & ſuccus ex cortice, radice ac foliis, hunc in modum: Hæc ſimul in aqua ſufficienter coquuntur: quæ deinde, vbi à coctione refrigerata fuerit, abiectis foliis iterum coquitur, donec mellis habeat craſſitudinem. Valet is, qua pollet aſtringendi vi, ad ſanguinis reiectiones, alui profluuia & dyſenterias, in potu: itémque contra ſanguinis ex vtero eruptiones, atque tum ipſius vteri, tum etiam ſedis procidentias. In ſumma denique acaciæ & hypociſtidis vice ipſo vti licet. Eadem quoque præſtat ſuccus è tritis foliis expreſſus. Quin & eorum decoctum fotu caua explet, oſſáque quæ nondum conferbuerunt, obducto callo ſolidat, ex vtero fluxiones ſiſtit, nomas arcet, vrinas ciet, ac dentes mobiles collutione firmat atque ſtabilit. Virentes autem ſurculi arundineorum dentiſcalpiorum vice dentibus affricti, eos repurgant. Fit denique & ex ipſo lentiſci fructu aſtringens oleum, ad ea quæ aſtrictionem deſiderant, accommodatum.

De Resina lentiscina. CAP. XC.

E lentiſco quoque reſina naſcitur, lentiſcina cognominata, & à nonnullis maſtiche dicta. Pota ſanguinis reiectioni & veteri tuſſi vtiliter adhibetur. Stomacho quoque eſt vtilis, ructúmque mouet. Additur etiam in dentifricia & faciei illitus: quippe quæ nitorem cuti conciliet. Quin & pilos oculorum fluentes glutinat & cohibet: commanducata oris halitum commendat, gingiuáſque contrahit. Præſtantiſſima porrò & copioſiſſima in inſula Chio prouenit. Præfertur pellucida, ceræ Tyrrhenicæ candore ſimilis, craſſior, arida, friabilis & odorata: viridis autem minùs probatur. Adulteratur verò admiſtis thure ac reſina ſtrobilina.

De Terebintho. CAP. XCI.

TEREBINTHVS cognita arbor eſt: cuius folia, fructus & cortex, qua pollent aſtringendi vi, ad eadem ad quæ etiam lentiſcus, conueniunt, ſimili parata modo ſumptáque. Eius fructus eſculentus eſt, at ſtomacho noxius: vrinam verò ciet & excalfacit. Eſt & ad excitandam venerem aptiſſimus: ex vino verò potus, contra phalangiorum morſus prodeſt. Reſina eius ex Arabia Petræa conuehitur. Prouenit tamen etiam in Iudæa, Syria, Cypro, Africa & Cycladibus

insulis. Præfertur autem magis perlucida, candida, vitreo colore & in cæruleum vergente, odorata ac terebinthum olens. Resinas porrò omnes antecedit terebinthina: proxima huic lentiscina: deinde pinea & abiegna. Post has numerantur, ea quam ferunt piceæ, & strobilina. Vis autem resinæ cuiuis molliẽdi, calfaciendi, discutiendi dissipandíve & expurgandi. Tussi ac tabi conueniunt in eclegmate per se aut ex melle: quæque ex pectore educi oportet, expurgãt. Vrinam quoque mouẽt, cruda cõcoquunt, & ventrem emolliunt: ad agglutinandos palpebrarum pilos conferunt: itémque ad lepras cum ærugine, sutorio atramento ac nitro. Ad aures denique sanie manantes cum melle & oleo, necnon ad genitalium pruritum sunt vtiles. Emplastris quoque, malagmatis & acopis admiscentur: quin & per se illitæ aut impositę, laterum doloribus auxilio sunt.

De Resinis aliis. Cap. XCII.

Manat & resina liquida tum è pinu, tum & è picea. Hæ ex Gallia & Hetruria conuehuntur. Quin & olim è Colophone asportabatur: quæ inde Colophoniæ cognomen sibi vendicauit. Itémque ex Gallia subalpina, quam incolæ nomine vernaculo laricem appellant. Ea in linctu & per se ad veterem

terem tussim præclarè facit. Ipsæ quoque inter se colore differunt: siquidem candida quædam est, alia oleosa, alia denique mellis similitudinem habet, vti larigna. Prouenit & è cupresso resina liquida, quæ quidem ad eadem omnia est efficax. Ex siccis autem resinis alia est strobilina, alia abięgna, alia quam fundit picea, alia denique pinea. Eligito omnium maximè odoratam, perlucidam, non valde aridam neque humentem, sed ceræ similem atque friabilem. In eo genere præstant pinea & abiegna: odoratæ enim sunt, atque thus odore imitantur. Præstantiores ex Pityusa insula, quæ secundum Hispaniam sita est, deferuntur. Quæ verò ex picea, strobilo & cupresso manarunt, inferiores sunt, neque tantis atque illę viribus pollent. Veruntamen eorundem gratia, quorum & illæ, vsurpari solent. Lentiscina verò, terebinthinæ proportione respondet.

De Vrendæ resinæ modo, eiusdémque fuligine.

CAP. XCIII.

Vritur resina omnis liquida in vase quadruplæ capacitatis ad liquoris infundendi quantitatem. Congium enim resinæ, duos autem aquæ pluuię congios in ahenum immitti oportet, & ad prunas lento igne coqui assiduè mouendo; dum odor penitus abo-

leatur, friabilis & arida reddatur, ac digitis minimè cedat. Tandem vbi refrixit, in fictile vas aconitum, hoc est, minimè picatum, reconditur: fitque hoc modo candoris eximij. Attamen resinam omnem eliquatam priùs excolari oportet, quò sordidi quicquid est secernatur. Vruntur quoque sine aqua super carbonibus, leuiter primùm: deinde vbi spissari cœperint, vehementiùs: sicque multis subiectis carbonibus ad dies tres totidémque noctes citra intermissionẽ discoqui oportet, vsque dum priùs memoratas notas sibi asciuerint. Mox, vti dictum est, reponito. Attamen siccas tota die decoxisse suffecerit, atque ita reponere. Vstę porrò magnoperè conducunt ad odorata malagmata & acopa, necnon & ad vnguenta coloranda. E resina quoque, perinde atque de thure dictum est, fuligo excipitur: quæ ad honestandis palpebris dicata medicamenta, ad circumrosos oculorum angulos, humore superfluo madentes palpebras, & lacrymantes oculos prosunt. Ex hac eadem fit etiam atramentum, quo scribimus.

De Pice liquida.

Cap. XCIIII.

Pix liquida, quam nonnulli conum appellant, è pinguissimis piceæ piníque lignis colligitur. Probatur splendida, læuis ac sincera.

sincera. Facit autem ad lethalia medicamenta, phthisicos, purulenta excreantes, tusses, anhelationes & humores intra pectus contentos ægrè excreabiles, si cyathi mensura cum melle delingatur. Peruncta valet ad tonsillarum ac vuæ inflammationes & anginas, itémque ad aures purulentas cum rosaceo, necnon & ad serpentium morsus cum trito sale adhibita. Pari verò ceræ admista, scabros vngues detrahit: vuluæ tubercula sedísque duritias discutit. Cum farina hordeacea vrináque pueri decocta, strumas circumquaque rumpit. Cum sulphure, pineo cortice aut furfuribus illita, quæ serpunt vlcera cohibet. Mannæ thuris ac cerato permista, sinuosa vlcera agglutinat: pedum sedísque rhagadibus commodè illinitur: vlcera replet, & cum melle repurgat. Quin & cum vua passa & melle carbunculos putrescentiáque vlcera emarginat. Septicis quoque seu erodentibus emplastris vtiliter immiscetur.

De Picino oleo. CAP. XCV.

E Pice fit Picinum oleum, separato quod in ea aquosum est, quódque eidem veluti serum lacti supernatat. Excipitur porrò interea dum pix coquitur, expansis supra eam mundis velleribus: quæ postquam halitu ex ea sublato permaduerint, in vas aliquod ex-

primuntur. Iteratur illud, tantiſper dum pix ea coquitur. Ad eadem ad quæ pix liquida eſt efficax. Cum hordeacea etiamnum farina alopeciis adhibitum, capillos reſtituit. Idipſum quoque præſtat pix liquida: quæ prætereà iumentorum vlcera ſcabiémque illita emendat.

De Picis liquidæ Fuligine.

CAP. XCVI.

Fit & è liquida pice Fuligo hunc in modum: In lucernam nouam ellychnio inſtructam picis nonnihil indito: illud accendito, ac fictili vaſe nouo in clibani ſpeciem conformato, supernè quidem rotundo & anguſto, infernè verò, vti clibani ſolent eſſe, perforato, lucernam operito & ardere ſinito: conſumptóque priore liquore nouum infundito, donec ſat fuliginis collegeris, atq; tum vtitor. Vim habet acrem & aſtrictoriam. Ea verò vtendum ad pigmenta quibus palpebrę honeſtantur, & ad circumlitiones: item vbi ſuperfluo humore madentibus atque adeo glabris genis pilos reſtitui oportet. Denique ad imbecilles, lacrymoſos ampliúſque exulceratos oculos eſt vtilis.

De Pice ſpiſſa ſiue arida.

CAP. XCVII.

Pix ſicca è liquida decocta fit. A nonnullis ea palimpiſſa, quaſi pix iterum cocta, nominatur.

natur. In hoc genere quædam eſt viſci modo lenteſcens, boſcas cognominata: altera ſicca. Probatur pura, pinguis, odorata & ſubrutila ac reſinoſa. Talis Lycia & Brutia: quæ quidem vtranque picis ſimul & reſinæ naturam ſortiuntur. Calfactoriam vim habet, mollit, pus mouet, tubercula panóſque diſcutit, vlcera replet, ac vtiliter vulnerariis medicamentis permiſcetur.

De Zopiſſa. CAP. XCVIII.

Zopiſſam ſunt qui nominent nauibus deraſam cum cera reſinam, quam nonnulli apochyma appellant. Ea diſſipandi vim habet, quoniam aqua marina macerata ſit. Alij pineam reſinam eo nomine vocauerunt.

De Bitumine. CAP. XCIX.

BITVMEN Iudaicum cæteris præſtat. Probatur purpuræ modo ſplendens, odoris intenſi ac ponderoſum. Nigrum autem ac ſordidum, damnatur: admixta ſiquidem pice adulteratur. Naſcitur in Phœnice, Sidone, Babylone & Zacyntho. Gignitur & in Agrigentino Siciliæ agro liquidum, fontibus ſupernatans, quo ad lucernarum lumina olei vice vtuntur, quódque Siculum oleum falsò appellant: nánque liquidi bituminis genus eſſe conſtat.

De Piſſaſphalto. CAP. C.

Gignitur in Apollonia, Epidamno vicina,

quæ Piſſaſphaltos appellatur. Ea è montibus Ceraunijs ęſtuantis fluminis impetu deuoluitur,& in littus expuitur: illic in glebas coacta miſtam bitumini picem redolet.

De Naphtha. CAP. CI.

Naphtha quoque vocatur bituminis Babylonij colamen colore candidum: inuenitur etiam nigrum. Vim obtinet ignis rapacem, adeò vt etiam è longinquo illum concipiat. Ad ſuffuſiones oculorum & albugines eſt efficax. Porrò bitumen omne vim habet inflammationes arcendi, glutinandi, diſcutiendi atque etiam molliendi,ad vuluę ſtrangulationes & procidentias efficacem, ſeu appoſitum, ſeu olfactum, ſeu etiam ſuffumigatum. Quin & comitiali morbo laborantes, veluti gagates lapis, ſuffitu prodit. Cum vino & caſtorio potum menſes elicit. Tuſſi veteri, anhelationi ſpirandíque difficultati auxilio eſt:ſerpentium quoque morſibus, atque coxendicum lateríſque doloribus medetur. Cœliacis etiam catapotij inſtar deglutiēdum exhibetur: & grumos ſanguinis ſoluit,cum aceto potum. Dyſentericis itidem cum ptiſſana liquatum infunditur,diſtillationibus ſuffitione medetur,dentium dolores circumlitum mitigat. Cæterùm quod ſiccum eſt, ſpecillo impoſitum olfactúmque pilos agglutinat. Cum hordeacea

deacea autem farina, cera ac nitro adhibitum, podagricos, arthriticos atque lethargicos iuuat. At verò Pissasphaltos eadem quæ pix & bitumen, si ambo hæc fuerint permixta, potest.

De Cupresso. CAP. CII.

CVPRESSVS astringit & refrigerat. Eius folia ex passo & myrrha pauca epota, vesicæ fluxione tentatæ ac vrinæ difficultatibus auxiliantur. Pilulæ autem contusæ & ex vino bibitæ, ad sanguinis reiectionem, dysenteriam, alui fluxionem, orthopnœam atque tussim, conueniunt. Quin & earum decoctum, idem præstat. Cum fico tusæ, duritias etiam emolliunt, nariúmque polypis medentur. Ex aceto etiamnum decoctæ & cum lupinis tritæ, scabros vngues detrahunt: ramices quoque intestinorum adhibitæ reprimunt. Folia iisdem pollent viribus. Sed & pilulæ cum arboris coma suffitæ, culices fugare existimantur. Folia verò trita & imposita, vulnera glutinant, sanguinémque supprimunt: cum aceto etiam trita, capillos tingunt. Porrò tum per se, tum etiam cum polenta illinuntur ad erysipelata, herpetas, carbunculos & oculorum inflammationes. Cerato verò mista & admota, ventriculum roborant.

De Iunipero. CAP. CIII.

IVNIPERVS quædam maior eſt, minor altera. Vtraque acris eſt, extenuat, vrinas ciet, excalfacit, accenſaque ſerpentes fugat. Vnius fructus nucis Ponticæ magnitudine reperitur: alterius verò, fabam æquat, at rotundus eſt, odoratus, dulcis in mandendo ac ſubamarus, arkeuthis, id eſt, iuniperi bacca, dictus. Moderatè calfacit & aſtringit, ſtomacho vtilis: Potus, ad pectoris vitia, tuſſes, inflationes, tormina virulentarúmque beſtiarum venena, confert. Vrinas quoq; ciet: vnde & conuulſis, & ruptis, vuluæque ſtrangulatui ſubuenit.

De Sabina. CAP. CIIII.

SABINAM nonnulli barathrum appellant: cuius duo ſunt genera. Vnum foliis quidem eſt cupreſſo ſimile, at ſpinoſius, graueolens, acre ac feruentis naturæ. Curta eſt arbor, ac ſeſe magis in latitudinem fundit: foliis quidam ad ſuffitus vtuntur. Alterum genus eſt folio tamarici ſimile. Vtriuſque folia nomas compeſcunt, & phlegmonas adhibita mitigant: nigritias & ſordes cum melle inducta repurgant, carbunculóſque circumquaque rumpunt. Cum vino autem pota, ſanguinem per vrinas educunt & partus expellunt: idipſum tum appoſitu, tum etiam ſuffitu præſtant. Calfactoriis etiam vnguentis,

guentis, ac priuatim gleucino, immiſcentur.

De Cedro. Cap. CV.

CEDRVS arbor magna eſt, ex qua cedria dicta colligitur. Fructum profert vti cupreſſus, at multò grandiorem. Dicitur & altera cedrus, eáque parua, ſpinoſa iuniperi modo, fructum ferens myrti baccarum magnitudine, rotundum. Cedria verò laudatiſſima eſt, craſſa, perlucida, grauis odoris: quæ dum effunditur, in guttas coit, miniméque diffunditur. Vim ea obtinet viuentium quidem corporum corruptricem, defunctorum verò cõſeruatricem: qua ex cauſa quidam mortui vitam appellauerunt. Veſtes quoque & pelles corrumpit, eò quòd vehementiùs calfaciat & ſiccet. Ocularis porrò medicamentis accommodatur: quippe quæ inuncta oculis claritatem conciliet, eorundémque albugines ac cicatrices detergeat. Cum aceto inſtillata, vermes aurium necat: & cum hyſſopi decocto infuſa, ſonitus ſibilóſque ſedat. Eroſorum dentium cauis indita, eos quidem frangit, at dolores leuat: idem quoque facit, ſi ex aceto colluatur. Genitali ante coitum circumlita, conceptionẽ impedit. Anginoſi quoque ea perunguntur: quin & tonſillarum inflammationibus auxilio eſt. Pediculos ac lendes illitu enecat:

ceraſtæ morſibus cum ſale adhibità ſubue-nit. Contra hauſta leporis marini venena in paſſo ſumpta auxiliatur. Iuuat & elephanticos. Linctu aut perunctione pulmonis vlcera purgat: &, ſi cyathi menſura ſorbeatur, perſanat. Tum vermes alios, tum & aſcaridas infuſa necat,& partus extrahit. Fit & ex ea oleum quod à cedria ſeparatur, velleribus interea dum coquitur ſupra eam expanſis, vt de pice dictum eſt: ad eadem omnia, ad quæ cedria vtile. Priuatim tamen oleum viriliter perunctum, ſcabiem quadrupedum, canum boúmque perſanat: iis inhærentes ricinos admotum enecat, & vlcera ex tonſura oborta ad cicatricem perducit. Fuligo ipſius quo modo è pice colligenda, iiſdem quibus illa viribus prædita. Cedrides porrò cedri fructus appellantur. Calfactoriam vim habent & ſtomacho aduerſantur: tuſſi verò, conuulſis, ruptis & ſtranguriæ, auxiliantur. Ex trito pipere poti, menſtrua ciunt,& contra hauſtum leporem marinum in vino ſumuntur. Fugantur & ſerpentes, iis perunctο corpore ex cerui adipe aut medulla: dènique in antidota quoque adduntur.

De Lauro. CAP. CVI.

LAVRVS quædam eſt tenui folio, altera latiore. Vtraque excalfactoriam emollientémque naturam habet. Itaque deco-

ctum

ctum ex his, insessu vuluæ ac vesicæ vitiis conuenit. Virentia folia aliquantulum astringunt: trita & illita, vesparum apúmque ictibus opitulantur. Eadem adhibita cum polenta & pane, ad inflammationem quamlibet leniendam valent. Pota verò, stomachum grauant & vomitiones mouent. Porrò lauri baccæ magis quàm folia calfaciunt. Proinde in eclegmate tritæ cum melle aut passo, prosunt tabi, orthopnœæ ac thoracis rheumatismis. Contra scorpionum ictus ex vino bibuntur, & vitiligines emaculant. Expressus ex iis succus aurium doloribus auditúsque grauitati auxiliatur, cum vino vetere & rosaceo instillatus. Inseritur & acopis & vnguentis, tum calfaciendi, tum etiam discutiendi vi præditis. Cæterùm cortex radicis calculos rumpit, partus necat, & hepaticis prodest, tribus obolis in vino odorato potus.

De Platano. CAP. CVII.

TENERRIMA Platani folia in vino decocta, mox illita, oculorum fluxiones sistunt, ac tum œdemata tum phlegmonas leuant. Cortex in aceto coctus, ad dentium dolores colluitur. Pilulæ verò virides in vino potæ, serpentium morsibus auxiliantur: exceptæ autem adipe, igni ambusta sanant. Cæterùm foliorum pilularúmque

lanugo [in aures & oculos] illapſa auditum viſúmque labefactat.

De Fraxino. CAP. CVIII.

FRAXINVS arbor nota eſt: cuius foliorum ſuccus & ea ipſa tum in vino pota, tum etiam impoſita, viperarum morſibus opitulantur. Cortex vſtus & ex aqua illitus, lepras remouet. Ligni ramenta pota, lethalia perhibentur.

De Populo alba. CAP. CIX.

POPVLI albæ cortex vnciæ vnius pondere potus, iſchiadicis & ſtranguriæ prodeſt. Traditur & conceptum adimere, ſi cum mulino rene bibatur. Sed & folia poſt purgationes cum vino pota, idem præſtare dicuntur. Tepidus quoque foliorum ſuccus aurium doloribus vtiliter inſtillatur. Pilulæ verò, quæ primo foliorum germinatu erumpunt, tritæ & cum melle illitæ, oculorum hebetudini medentur. Nec deſunt qui memoriæ prodiderint, tum albæ tum etiam nigræ populi corticem in tenuia fruſta conciſum, ac ſtercoratis areolis ſparſum & quaſi ſatum, quauis anni tempeſtate fungos edules proferre.

De Macere. CAP. CX.

MACER cortex eſt è Barbaria aduehi ſolitus, ſubflauus, craſſus & guſtu perquàm aſtringens. Bibitur is ad cruentas excreationes,

creationes, dyſenterias & alui fluxiones.

De Vlmo. CAP. CXI.

VLMI & foliæ & rami & ipſe cortex aſtringendi vim habent. Folia trita ex aceto, ad lepram efficaciter illinuntur, & vulnera glutinant: multò verò magis cortex, ſi faſciæ loco circumuoluatur: eſt enim lori in modum flexilis. Craſſior autèm cortex in vino aut aqua frigida vnciæ pondere potus, pituitam educit. Quin & decoctum foliorum aut corticis radicúmve, oſſibus fractis ſi fotus gratia perfundatur, ea celeriùs obducto callo ſolidat. Humor autem qui in folliculis prima germinis eruptione reperitur, faciei illitus, cuti nitorem inducit. Ille idem dum exiccatur, in animalcula culicibus ſimilia reſoluitur. Cæterùm recentia folia ad opſonia olerum more vſurpantur.

De lignorum Carie. CAP. CXII.

Quæ verò caries ex veteribus lignis & caudicibus veluti farina colligitur, impoſita vlceribus, ea repurgat & ad cicatricem perducit. Eadem ſerpentia cohibet, cum pari aniſo & vino ſubacta, itidémque trita, linteis indita & inſperſa.

De Populo nigra. CAP. CXIII.

POPVLI nigræ folia ex aceto impoſita, podagricis doloribus auxiliantur: quæ

verò ex ea manat resina, malagmatis ammiscetur. Semen ex aceto potum, comitialibus vtile. Fertur populorum lacryma quæ secundùm Padum amnem destillat concrescere, fieríq; succinum, quod electrum vulgo Græcorum, nonnullis chrysophorum, appellatur. Id attritu iucundum odorem spirat, & colore aurum æmulatur. Tritum potúmque, stomachi aluíque fluxiones sistit.

De Arundine. CAP. CXIIII.

IN Arundinum genere quædam nastos, id est, plena solidáve, appellatur: ex qua sagittæ factitari solent: altera fœmina, ex qua tibiis ligulæ conficiuntur. Alia syringias, hoc est, fistulosa, multa carne prædita, geniculis densior, ad librorum scriptionem accommodata. Alia denique crassa & concaua, circum amnes nascens, quæ etiam donax & à quibusdam Cypria vocatur. Est & alia phragmites, quasi sepimentis idonea, gracilior, candicans, vulgo nota. Cuius radix contrita, ac tum per se, tum cum bulbis imposita, spicula aculeósque corpore extrahit. Ex aceto verò, luxata doloresque lumborum demulcet. Virentia porrò folia tusa & imposita, tum erysipelatis, tum aliis inflammationibus medentur. Cortex vstus & ex aceto illitus, alopecias emendat. Cæterùm

paniculæ

paniculæ flos, si aures intrauerit, exurdat. Eadem quoque præstare valet quæ Cypria arundo dicitur.

De Papyro. CAP. CXV.

PAPYRVS nulli non cognita, ex qua charta paratur. Præcipuæ verò est in Medicina vtilitatis ad laxanda fistularum orificia, si præparata fuerit: hoc est, liquore quopiam macerata, lino fuerit obuoluta, vsque dum inaruerit. Ita enim coarctata si immittatur, humore completur, ac intumescendo fistulas aperit. Habet autem radix alimenti nonnihil: quò fit, vt eam commanducantes Ægyptij succum exugant, commansum reliquum expuant. Ipsis quoque radicibus iidem pro ligno vtuntur. At vsta papyrus dum in cinerem redacta fuerit, depascentia vlcera cùm omnium partium, tum oris maximè cohibet. Verùm id meliùs combusta charta præstat.

De Myrica seu tamarice.
CAP. CXVI.

MYRICA nota arbor est, apud paludes ac resides stagnantésve aquas nascés, fructúmque veluti florem ferens compage muscosum. Gignitur & in Ægypto Syriáque satiua quædam, cætera syluestri similis: at fructum ferens gallæ proximum, gustu inæqualiter astringentem, quíque vice

gallæ ad oris oculorúmque medicamenta accommodatur. Datur & ad sanguinis excreationes in potu: cœliacis quoque & fœminis vuluæ profluuio laborantibus, necnon & contra morbum regium, phalangiorúmque morsus. Impositus etiam œdemata inhibet. Cortex verò eadem, quæ fructus præstat. At foliorum decoctum in vino potum lienem liquat, & ore collutum ad dentium dolores salutare est. Quin & insessu mulieribus vuluæ fluxioni opportunis auxiliatur: iis quoque qui pediculos lendésq; gignunt, affusum prodest. Sed & ligni cinis appositus, fluxionem ex vtero sistit. Sunt & qui è caudice calices parent, quibus poculorum vice splenetici vtantur, ceu datus in eiusmodi vasis potus lieni conferat.

De Erica. CAP. CXVII.

ERICA fruticosa est arbor, myricæ similis, at longè minor: cuius flore dum vtuntur apes, minimè probatū mel efficiunt. Huius tam flos quàm coma serpentiū morsibus illitu medetur.

De Acacalide. CAP. CXVIII.

ACACALIS, fructus est nascentis in Ægypto fruticis, myricę fructui quadantenus similis: cuius dilutum ad collyria additur, quæ visus claritati conueniunt.

De

De Rhamno. CAP. CXIX.

RHAMNVS frutex eſt circa ſepes naſcens, virgas gerens erectas, ſpináſque oxyacanthæ modo aculeatas: foliis paruis, oblongis, ſuppinguibus ac mollibus. Præter hanc altera eſt candidior: itémque tertia, nigrioribus latioribúſque foliis & quadantenus rubentibus, virgultis quinos ferè cubitos longis: ſpinoſioribus quidem, at minùs firmos rigidóſve, minúſque acutos aculeos habentibus. Fructus eſt latus, candidus, tenuis, folliculi propè figura, verticillo ſimilis. Omnium folia eryſipelatis & herpetibus efficaciter illinuntur. Feruntur & huius rami ianuis feneſtríſve appoſiti, veneficorum maleficia depellere.

De Halimo. CAP. CXX.

HALIMVS frutex eſt circa ſepimenta naſcens, ſimilis rhamno, ſubalbidus, ſine ſpinis, foliis oleæ proximis, ſed latioribus ac mollioribus. Naſcitur in maritimis [locis præruptis] ac ſepibus. Eius folia ciborum gratia olerum modo decoquuntur. Radix verò drachmæ pondere in aqua mulſa pota, conuulſa, rupta tormináque mitigat, & lactis vbertatem præſtat.

De Paliuro. CAP. CXXI.

PALIVRVS frutex eſt vulgò notus, aculeatus, ſolidus, cuius ſemen pingue & li-

ni ſeminis æmulum reperitur: quod quidem potum, tuſſi opitulatur, veſicæ calculos comminuit & ſerpentium morſibus aduerſatur. Folia & radix aſtrictoriam vim habẽt: eorúmque decoctum potum aluum ſiſtit, vrinas trahit, & contra venena venenatorúmque morſus auxiliatur. Radix verò trita & impoſita, recentia quæuis tubercula & œdemata diſcutit.

De Acuta ſpina. CAP. CXXII.

OXYACANTHA, quam pyrinam nonnulli, alij pytyanthen vocant, arbor eſt pyraſtro ſimilis, at minor & valde ſpinoſa. Fructum profert myrti baccis aſſimilem, plenum, rubrum, fragilem, nucleo intus præditum: radicem multifidam & profundam. Huius fructus tum potus, tum in cibo ſumptus, alui profluuium fluxúmque muliebrem ſiſtit. Radix trita & illita, infixa corpori ſpicula & aculeos extrahit. Perhibetur & radix abortus facere poſſe, ſi ter ea venter leniter feriatur aut perungatur.

De Cynosbato. CAP. CXXIII.

RVBVM canis alij oxyacantham appellant. Frutex eſt rubo longè maior, ad arboris magnitudinem accedens. Folia fert multò latiora quàm myrtus, robuſtos verò circa virgulta aculeos, florem candidum, fructum oblongum, oliuæ nucleo ſimilem: qui

qui quidẽ dũ maturescit, fuluus: intus verò lanuginosus conspicitur. Fructus arefactus exempta interiore lanugine (est enim arteriæ noxia) tùm in vino feruefactus & potus, aluum sistit.

De Cypro. CAP. CXXIIII.

CYPRVS arbor est foliis circum virgulta oleæ similibus, sed latioribus, mollioribus & viridioribus: floribus candidis, muscosis, odoratis: semine nigro, sambuci fructui simili. Optima nascitur in Ascalone & Canopo. Folia astrictoriam vim habent: quare oris vlceribus commanducata medentur, & illita tum feruidis aliis inflammationibus, tum etiam carbunculis prosunt. Eorundem decoctum igni ambustis affunditur. Rufant & capillos trita & illita folia, quæ in struthij succo maduerint. Flos ex aceto tritus & frõti inductus, capitis dolores sedat. Cæterùm quod ex eo præparatur cyprinum vnguentum, odoratum est, ac vim asciscit excalfaciendi molliendíque neruos: siquidem ferenti natura præditorum medicamentorum misturam recipit.

De Phillyrea. CAP. CXXV.

PHILLYREA arbor est cypri magnitudinem æquans, foliis oleaceis, sed latioribus & nigrioribus, fructu lentisci, nigro, subdulci & quasi racemato. Locis asperis

nascitur. Huius folia perinde ac oleastri astringunt, proptereáque ad ea faciunt quæ astrictionem desiderant, maximéque ad oris vlcera, tum commanducata, tum etiam si decocto ea colluantur. Quin & potum decoctum vrinas mensésque ciet.

De Cisto. CAP. CXXVI.

CISTVS, quem nonnulli cistharon aut cissaron vocant, frutex est petrosis locis nascens, multos emittens ramulos, foliosus, improcerus, folijs rotundis, nigris, hirsutis. Flores masculo, veluti mali punicæ: fœminæ, albi. Vim habet astrictoriam: ideóque flores triti & ex vino austero bis die poti, dysenteriis conferunt: ipsi verò per se illiti, nomas cohibent, & cum cerato igni ambustis ac vetustis vlceribus medentur.

De Hypocisthide. CAP. CXXVII.

Cisti radicibus adnascitur quiddam mali Punicæ cytino simile, quod hypocisthis dicitur: à nonnullis verò robethrum aut cytinus appellatur. Eius pars fulua, altera virẽs, quædam etiam candida cernitur. Ex ea succus acaciæ modo exprimitur. Aliqui tamen ipsam arefactam contusamque macerant & decoquunt, reliquáque vt in Lycio pręstant. Vires habet acaciæ: verùm aliquantò magis astringit & exiccat. Prodest cœliacis, dysentericis, & sanguinem excreantibus, imò & fluxui

fluxui muliebri, tum pota, tum etiam infusa.

De Ladano. CAP. CXXVIII.

Est & alterum cisti genus, Ledum à nonnullis appellatum, frutex eodem quo cistus modo nascens, sed longioribus foliis ac nigrioribus, quæ verno tempore quiddã pingue contrahunt. Huius foliorum vis astringens, eosdem quos cistus effectus præbet. Fit autem ex eo quod ladanum appellatur. Siquidem cùm cisti folia depascuntur capræ hircíque, pinguitudinem conspicuè barbis & femoribus, quoniam viscosa sit, adhærescentem excipiunt contrahúntve: quæ depexa colatur, & in offas efformata reponitur. Alij attractis per frutices funiculis, inhærentem iis pinguitudinem deradunt & in offas cogunt. Maximè verò probatur odoratum, subviride, facilè mollescens, pingue, arenæ squalorísve expers ac resinosum. Tale autem est, quod in Cypro gignitur. Arabicum verò Lybicúmque, vilius est. Natura ei astringendi, calfaciendi, molliendi & vasorum oscula reserandi. Vino, myrrhæ & oleo myrteo admixtum, fluentem capillum cohibet: cicatricibus decorem facit, cum vino illitum: aurium doloribus cum hydromelite aut rosaceo infusum medetur. Suffumigatur & ad secundas eiiciendas: pessis

immiſtum, vuluæ duritias ſanat: denique in medicamenta ſedandis doloribus ac tuſſi dicata, itémque malagmata, vtiliter inſeritur. Aluum quoque ſiſtit cum vino vetere potum, ac vrinæ prætereà ciendæ accommodatum eſt.

De Ebeno. CAP. CXXIX.

EBENVS optima cenſetur Æthiopica, nigra, venarum pectinúmve expers, cornu elaborato læuore ſimilis, quæque fracta denſa apparet, mordet autem guſtu ac leniter aſtringit. Prunis impoſita, cum odore iucundo & citra fumum vritur. Recens verò igni admota, ob pinguitudinem accenditur, & ad cotem trita, ſubfulua redditur. Eſt & altera Indica, intercurrentibus lineis prędita, candidis & fuluis, itémque maculis frequentibus: cæterùm prior bonitate antecedit. Nonnulli porrò mori aut acanthi ligna, quòd conſimilia ſint, pro ebeno vendunt. Ex eo autem internoſcuntur, quòd fungoſa ſint, & in aſſulas ad purpuram vergentes reſoluantur, nihil mordacitatis in guſtu, nec ſuauis odoris in ſuffitu præ ſe ferentia. Vim habet ebenus ea exterendi quę pupillis caliginem offundunt: pollet & ad veteres fluxiones ac puſtulas. Quòd ſiquis facta ex ea coticula vtatur ad terēda collyria, efficaciùs medebitur. Ad oculorum medicamenta efficax

ficax quoque redditur, si scobes ramentáve in vino Chio per diem ac noctẽ macerata, diligentérque ad læuorem contrita, in collyria digerantur. Nonnulli ipsa priùs trita cribro cernunt, ac deinde reliqua eo modo peragunt. Quidam pro vino aqua vtuntur. Vritur etiam in fictili nouo, donec in carbones redigatur: lauatúrque plumbi vsti modo: itáque præparatum aridis scabrísque lippitudinibus conducit.

De Rosa. CAP. CXXX.

ROSA refrigerat & astringit: sed sicca magis astringit. Succum autem è rosis recentibus exprimi oportet, resectis nimirum priùs forfice vnguibus (sic appellantur candidæ foliorum partes) ita vt reliquum in pila prematur teratúrque: inde verò expressus succus in vmbra locari debet, dum spissescat, & ita ad oculorum circumlitiones recondi. Siccantur etiamnum folia in vmbra, continuò tamen versata, ne situm mucorémve contrahant. Siccarum verò rosarum in vino coctarum expressus liquor facit ad dolorem capitis, oculorum, aurium, gingiuarum, sedis, recti intestini ac vuluæ, siue illitus, siue etiam affusus. Eædem citra expressionem contusæ, móxque impositæ, hypochondriorum inflammationibus, stomachi ex humiditate nimia solutionibus,

& eryſipelatis cõferunt: iiſdem ſiccis ac tritis ſemina aſperguntur: denique compoſitionibus quas antheras vocant, & vulnerariis antidotis immiſcentur: vtuntur & in calliblephara. Porrò flos qui in mediis roſis reperitur, aridus gingiuarum fluxionibus efficaciter inſpergitur. Capita verò pota, fluentem aluum & cruentas reiectiones ſiſtunt.

De Roſeis paſtillis. CAP. CXXXI.

Paſtilli quos rhodidas vocant, hac arte præparantur: Roſarum viridium, quæ nullo antè humore madefactæ extabeſcere cœperint, drachmæ xl. Indicæ nardi drachmæ x. myrrhæ drachmæ vj. tritę digeruntur in paſtillos ponderis ternûm obolorum: qui quidem in vmbra ſiccati vaſe fictili non picato ac probè vndique obturato, reponuntur. Sunt qui coſti drachmas ij. adiiciant, & Iridis Illyricæ tantundem, vinum etiam Chium cum melle ammiſcentes. Mulieribus monilium vice collo circundati, vſui ſunt ad retundendam ſudoris graueolentiã. Iiſdem etiam tritis vtuntur ad diapaſmata, quæ ad ſudores coercendos corpori aſperguntur, itémque ad illitiones à balneo: & poſtquam inaruerint corpori, frigida abluuntur.

De

De Lycio. CAP. CXXXII.

LYCIVM, quod aliqui pyxacantham vocant, arbor eſt ſpinoſa, virgis trium cubitorum, aut etiam longioribus: circa quas folia ſunt buxo ſimilia, denſa. Fructum habet piperis inſtar nigrum, amarum, denſum, lęuem: corticem verò, pallidum, Lycio diluto ſimilem, & radices numeroſas, obliquas, lignoſas. Naſcitur plurimum in Cappadocia, Lycia, pluribúſque aliis locis. Aſpera loca amat. Succus elicitur radicibus cum frutice ipſo tuſis, & per dies multos maceratis, deindéque coctis: ac tùm ligna quidem abiiciuntur, liquor verò iterum coquitur, donec mellis craſſitudo fiat. Adulteratur amurca inter coquendum admixta, aut abſinthij ſucco, ant felle bubulo. Quod porrò ſpumoſum innatat inter coquendum eximito, & ad oculorum medicamenta reponito: reliquo ad alia vtitor. Simili modo & è fructu expreſſo & inſolato ſuccus elicitur. Optimum eſt Lycium, quod igni accenditur, quódque dum reſtinguitur, rubentem ſpumam edit, extrinſecus nigrum, intus verò cùm diſſecueris fuluum, minimè viroſum, cum amaritudine aſtringens, colore croceo: quale eſt Indicum, reliquo præſtantius atque efficacius. Vim habet aſtrictoriam: quæ pupillis caliginem offundunt ex-

terit, palpebrarum ſcabiem, pruritus veteréſque fluxiones ſanat. Facit & illitum ad aures purulentas, tonſillas, gingiuas exulceratas, labiorum fiſſuras, ſedis rimas & attritus. Cœliacis & dyſentericis tum potum, tum etiam infuſum conuenit. Datur & ſanguinem excreantibus atque tuſſientibus ex aqua: itémque à rabioſo cane demorſis, catapotij inſtar deuoratum aut ex aqua bibitum: flauos facit capillos: reduuiis, herpetibus putreſcentibúſque vlceribus medetur: fluxum muliebrem appoſitum ſiſtit, & à rabioſis animalibus demorſis, ſeu in lacte bibitum, ſeu catapotij vice aſſumptum, auxiliatur. Fertur & Lycium Indicum fieri ex frutice, lonchitide appellato. Eſt is è ſpinarum genere, virgas habens rectas tricubitales, aut etiamnum maiores, à fundo numeroſas & rubo craſſiores. Ruptus cortex rubeſcit: folia verò, oleæ ſimilia viſuntur. Herba in aceto decocta propinatáque, proditur lienis inflammationibus regióque morbo mederi, & fœminarum purgationes elicere. Cruda quoque trita, in potu eadem præſtare traditur. Seminis myſtra duo epota, aquoſa expurgant, ſúntque aduerſus lethalia medicamenta remedio.

De

De Acacia. CAP. CXXXIII.

ACACIA in Ægypto naſcitur, ſpina ad arboris magnitudinem accedens; fruticoſa, in rectum minimè aſſurgens, florem habens candidum, fructum verò lupini in modum, ſiliquis incluſum. Ex eo ſuccus exprimitur, qui in vmbra ſiccatur, niger quidem ex maturo fructu, ſubfuluus autem ex immaturo. Eligito modicè fuluum & odoratum, vt in acacia eſſe poteſt. Sunt qui è foliis vnà cum ipſo fructu ſuccum exprimant. Manat & gummi ex ea ſpina. Vim habet aſtrictoriam & refrigerantem. Conuenit porrò ſuccus ad oculorum affectus, eryſipelata, herpetas, perniones, pterygia & oris vlcera. Quin & procidentes oculos in integrum reſtituit, fluxum muliebrem ſiſtit, ac ipſius etiam vuluę procidentias cohibet: alui quoque profluuia ſupprimit tum potus, tum etiam infuſus: capillos itidẽ denigrat. Lauatur & ad oculorum medicamenta cum aqua tritus, effuſo identidem quod in ſummo concreuerit, donec pura ſuperſtet aqua: atque ita in paſtillos cogitur. Vritur & in olla cruda fornaci inditus, tandiúque relictus dum & ipſum fictile percoquatur. Torretur & ſuper carbonibus, igne follibus ventilato. Spinæ verò decoctum, ſolutos artus fotu committit. Præfertur eius ſpinæ gum-

mi vermiculatum, vitrum referens, pellucidum, ligni expers: proximum eſt candidum: reſinoſum verò ac ſordidum, inutile. Vim habet ſpiracula cutis obſtruendi, medicamentorúmque acrium quibus admiſcetur vires hebetat: nec non ex ouo illitum, ambuſta minimè patitur in puſtulas erumpere. Altera quoque acacia in Cappadocia Pontóque prouenit, Ægyptiam referens: ſed longè minor, humilis, ac tenerior, aculeis vallorum in modum obſita, foliis prædita rutæ ſimilibus. Autumno ſemen profert lenticula minus, in folliculis connexis ternûm quaternúmve capacibus. E tota planta ſuccus expreſſus etiam aſtringit, ſed viribus inferior, & oculorum medicamentis haudquaquam eſt idoneus.

De Amurca. CAP. CXXXVIII.

AMVRCA eſt expreſſæ oliuæ veluti fæx & craſſamentum. Ea in aheno cupreo ad craſſitudinem mellis decocta, aſtringit, eoſdémque quos Lycium præbet effectus: ex abundanti verò facit ad dentium dolores & vulnera, cum aceto, vino aut mulſo illita. Additur & in oculorum medicamenta, eáque quæ ſpiracula cutis obſtruendi vim habent. Inueterata, melior euadit. Sedis, genitalium & vuluæ exulcerationi vtiliter infunditur. Dentes quoque corruptos extrahit,

nit, cum omphacio ad mellis crassitudinem cocta & oblita. Scabiem iumentorum cum lupinorum & chamæleontis decocto peruncta sanat. Cruda verò & recens, podagricos & arthriticos calente fotu iuuat. Velleri inducta & hydropicis imposita, tumoris molem reprimit.

De Vitice. CAP. CXXXV.

VITEX siue lygos, frutex est in arborem assurgens, qui in fluminum ripis campísque palustribus nascitur, nec non & in locis asperis ac salebrosis. Virgulta gerit fractu contumacia & longa: folia verò oliuæ, sed teneriora atque maiora. Florem est quæ album cum aliquatenus purpureo mittat, altera purpureum profert: semen est piperis instar. Porrò excalfactoriam astringentémque vim sortitur. Fructus eius epotus à serpente demorsis, lienosis & hydropicis auxiliatur. Lactis abundantiam facit, menséſque ciet, drachmæ pondere in vino potus: genituram quoque exoluit: caput verò tentat, soporémque infert. Herbæ ac seminis decoctum insessione vuluę affectibus & inflammationibus opitulatur. Semen cum pulegio potum, suffitu etiam & appositu, purgationes mouet: dolorem quoque capitis dissoluit, illitum. Cum aceto & oleo lethargicorum phreniticorúmque capiti-

bus instillatur. Quin & folia tum suffitu tum etiam substratu venenata fugant: contra venenatorum morsus adhibita auxiliantur. Testium duritias cum butyro vitiúmque foliis emolliunt. Rimas sedis semen cum aqua illitum mitigat: cum foliis verò, luxatis vulneribúsque medetur. Creditur & viticis virga intertrigines arcere, si eam viator, dum iter facit, manu teneat. Cæterùm frutex hic Græcis agnos, quasi castus, nominatus est, quòd in Thesmophoriis matronæ castitatem custodientes eo ad strata vterentur: lygos verò, quasi vimen, dictus est, propter virgarum ipsius firmitatem.

De Salice. CAP. CXXXVI.

SALIX arbor est vulgò nota: cuius fructus, folia, cortex & succus, astringendi vim habent. Trita folia cum exiguo pipere & vino pota, ileosis subueniunt. Sumpta verò per se cum aqua, conceptum impediunt. Fructus epotus, sanguinem expuentibus prodest: quin & cortex eadem præstat. Vstus verò & aceto subactus, callos clauósque illitu tollit. Ex foliis & cortice succus cum rosaceo in calyce Punici calfactus, aurium doloribus auxiliatur. Sed & eorum decocto foueri podagras vtilissimum: id furfures quoque detergit. Excipitur & ex ipsa succus, inciso dum floret cortice: intus enim concre-

tus

tus inuenitur. Vim porrò habet ea expurgandi quæ pupillis caliginem offundunt.

De Oleastro. CAP. CXXXVII.

SYLVESTRIS olea, quam nonnulli cotinum, alij Æthiopicam oleam appellant, folia habet astringendi vi prædita: quæ quidem trita & imposita, erysipelata, herpetas, epinyctidas, carbunculos, nomas reduuiásq; cohibent. Crustas eadem emarginant, cum melle illita. Quinetiam vlcera sordida repurgant, panos & inflammationes cum melle imposita discutiunt, & cutem à capite auulsam agglutinant. Oris etiam vlceribus & aphthis commanducata medentur. Sed & eorum succus ac ipsum etiam decoctum, eosdem habent effectus. Admotus quoque succus, sanguinis eruptionem, fluxum muliebrem, oculorum staphylomata pustulásque inhibet: insupérque vlcera veterésque defluxiones sistit. Quapropter etiam in collyria si addantur, genarum erosionibus conferunt. Ad exprimendum verò succum folia tundere oportet, & affuso vino aut aqua exprimere, illúmque sole siccatum in pastillos digerere. Est porrò qui cum vino exprimitur tum valentior, tum ad recondendum aptior eo qui cum aqua expressus fuerit. Facit & ad aures purulentas atque exulceratas: folia cum hordeacea fa-

rina illita cœliacis conueniunt. Vruntur autem cum floribus folia, vt spodij vicem præstent, in olla cruda, cuius os luto sit oblitum, vsque dum figlinum percoquatur: deinde vino restinguuntur, iterúmque vino subacta eodem modo cremantur: postremò cerussæ modo lauantur, & coguntur in pastillos. Cæterùm creduntur vstionis eiusmodi ratione in medicamentis oculorum spodio minimè cedere: quare & iisdem viribus pollere censendum est.

De Olea. CAP. CXXXVIII.

Iisdem prædita sunt viribus & oleæ satiuæ folia, sed aliquantò minore efficacia: quare oculorum medicamentis ob suam vim mitiorem conuenientiora sunt. Qui verò humor ex accenso virente ligno emanat, furfures, scabiem & lichenas illitu sanat. Quin & fructus earum, furfuribus ac nomis seu depascentibus vlceribus medetur. Quod autem intra nucleum est, cum adipe & farina scabros vngues excutit.

De Colymbadibus oliuis.
CAP. CXXXIX.

Oliuæ colymbades tritæ & ambustis illitæ, pustulas gigni prohibent, ac sordida etiam vlcera purgant. Succus autem ipsarum ex muria collutione gingiuas contrahit, emotósque dentes stabilit. Est porrò oliua subfulua

subfulua ac recens, aluo incommoda, ſed ſto macho vtilis. Nigra verò & matura, corruptioni opportuna ſtomachóque aduerſa eſt, ac tum oculis minimè conuenit, tum capitis etiam dolores inducit. Torrefacta autem ac illita, nomas ſiſtit, & carbunculos emarginat.

De ſyluestris oliuæ oleo.
Cap. cxl.

Syluestris oliuæ oleum ad gingiuas vligine putri laborantes colluitur, dentéſque labantes confirmat. Eiuſdem calfacti & excolati fotus, gingiuis fluxione tentatis eſt accommodatus. Lanam porrò ſpecillo circundatam in oleum demergere oportet, ac gingiuis tantiſper adhibere, dum albæ conſpiciantur.

De oleæ Æthiopicæ lacryma.
Cap. cxli.

Æthiopicæ oleæ lacryma quodammodo ſcammonio ſimilis eſt, fulua, ſtillis conſtans exilibus, atque mordax. Quæ verò gummi & ammoniaci ſimilitudinem refert, colore nigricans, nec guſtu mordens, inutilis cenſetur. Noſtrates oleæ oleaſtríque talem lacrymam ferunt. Facit porrò illa ad viſus hebetudines, & oculorum cicatrices albuginéſque illita emendat, vrinas menſéſque ciet: eroſorum dentium cauis indita, ad eo-

rum dolores efficaci eſt auxilio. In medicamenta quoque exitiali vi prædita refertur, partúſque etiam pellit: ſed impetiginibus ac lepræ medetur. Appellatur autem Æthiopica olea, etiam olea ſylueſtris.

De Quercu. Cap. CXLII.

QVERCVS omnibus ſui partibus aſtrictoriam vim habet: maximè verò aſtringit membranacea tunica, quæ corticem & caudicem ipſum interiacet, ſimiliterque tunica quæ circum glandem eſt calyci ſubiecta. Harum decoctum datur cœliacis, dyſentericis & ſanguinem excreantibus. Trita præterea illa tunica, fœminis fluxione vuluæ laborantibus in peſſo ſubditur.

De Glandibus. Cap. CXLIII.

Quin & glandes eoſdem effectus exhibent: vrinam quoque cient, capitis dolorem & flatus in cibum ſumptæ pariunt: eſitatæ verò, virus eiaculantium ictibus reſiſtunt. Earum quoque & corticis decoctum contra toxica prodeſt, ex lacte vaccino potum. Crudæ autem ac intritæ, inflammationes illitu leniunt: cum axungia verò ſuilla ſalſa, ad malignas duritias & malefica vlcera conueniunt. Sunt porrò iligneæ glandes quernis efficaciores.

De Fago & Ilice.
CAP. CXLIIII.

FAGVS & Ilex quercus genera cùm ſint, ſimiles quoque vires habent. Iligneæ verò radicis cortex cum aqua coctus dum mollitus intabeſcat, & per totam noctem impoſitus, capillos denigrat priùs Cimolia terra deterſos. Omnium folia tuſa & trita, tumoribus proſunt, & imbecillas membrorum partes corroborant.

De Caſtaneis. CAP. CXLV.

SARDIANAE glandes, quas aliqui lopima, caſtaneas, amota, aut Iouis glandes appellant, cùm & ipſæ aſtringant, ſimiles quoque præbent effectus: maximè verò tunicæ quæ ipſarum carnem & putamen intercurſant. Cæterùm caro iis qui ephemerum biberint conueniens eſt.

De Gallis. CAP. CXLVI.

GALLA fructus eſt quercus. Quædam omphacitis appellatur, parua quidem, ſed tuberoſa, grauis & nullo foramine peruia: altera verò, plana, leuis & perforata. Eligi debet omphacitis, quippe quæ ſit efficacior. Vtraque vehementer aſtringit. Tritæ, excreſcentia in carne, gingiuarum & columellæ fluxiones, inſuperque oris vlcuſcula cohibent. Quod verò in earum medio eſt, dentium cauernis inditum, dolores ſedat.

Crematæ carbonibus, donec igne candeant, & vino, aceto, aut etiam aceto ſalſo extinctæ, fluentis ſanguinis ſiſtendi vim aſciſcũt. Decoctum earum ad inſeſſus efficax eſt contra vuluas procidentes & rheumatiſmos. Capillos quoque denigrant, aceto aut aqua maceratæ. Cœliacis & dyſentericis in aqua aut vino tritæ ſeu illitæ ſeu bibitæ conueniunt: necnon & obſoniis additæ, aut totæ in aqua priùs coctæ, in qua nonnihil excoquendum ſit eorum quæ iis affectibus conferant. In ſumma, vbi quid aſtringere, ſiſtere aut ſiccare opus eſt, vſurpandæ ſunt.

De Rhu. CAP. CXLVII.

RHVS qui obſoniis aſpergitur, quémque nonnulli erythron, hoc eſt, rubrũ, appellant, fructus eſt rhois coriariæ ſic vocatæ, quòd ea coriarij ad ſpiſſanda perficiendáve coria vtantur. Eſt verò arbuſcula in petris naſcens, binûm ferè cubitorum altitudine, in qua folia ſunt oblonga, ſubrubentia & in ambitu ſerrata: fructus autem racemulis ſimilis, denſus, terebinthini magnitudine, quadantenus latus: cuius corticoſa tunica acinos ambiens perquàm vtilis eſt. Folia vim habent aſtringendi, & acaciæ effectus præbent. Decoctum eorum capillos denigrat: dyſentericis infunditur, ab iiſdem bibitur, & ad inſeſſum vſurpatur: necnon & purulentis

purulentis auribus inſtillatur. Pterygia & gangrænas cohibent folia, ex aceto aut melle illita. Succus elicitur Lycij in modum, aridis foliis ad mellis craſſitudinem in aqua decoctis: & is quidem ad eadem ad quæ Lycium conuenit. Quin & fructus eoſdem exhibet effectus, ac cœliacorum dyſentericorúmque obſoniis commodè inſpergitur. Contuſa, deſquamata liuidáque ex aqua illitus ab inflammatione vindicat: linguæ aſperitates cum melle abſtergit: alba fœminarum profluuia ſiſtit, & hæmorroidas ſanat, cum querno carbone intrito impoſitus. Huius quoque dilutum ſi decoquatur, cogitur coítque, ipſo etiam fructu efficacius. Gummi quoque profert hæc arbuſcula, quod eroſorum dentium cauis inditur ad dolores finiendos.

De Palma. CAP. CXLVIII.

PALMA in Ægypto gignitur. Ex ea verò fructus in medio autumni vigore colligitur, Arabicæ myrobalano ſimilis, ac Poma dicitur, colore viridi, mali cotonei odorem referens. Quòd ſi ad integram maturitatem peruenire ſinatur, phœnicobalanus fiet. Eſt porrò ille acerbus atque aſtringens, & contra alui profluuia fluxúmque muliebrem in vino auſtero bibitur. Hæmorrhoidas quoque ſiſtit, & vulnera illitu conglutinat.

Phœnicobalani verò recentes plus ſiccis adſtringunt: ſed capitis dolorem afferunt, & copioſiores in cibo ſumptæ, inebriant. Siccæ autem, ſanguinem excreantes, ſtomachicos ac dyſentericos eſitatæ iuuant: necnon & tritæ cum cydonio & cerato œnanthino, veſicæ vitiis vtiliter illinuntur. Maximè verò caryotæ ſi comedantur, faucium aſperitati medentur.

De Palmis Thebaicis.

Cap. CXLIX.

Thebaicarum decoctum potui datum, febrilem ardorem ſedat, & cum hydromelite vetuſto ſumptum vires recreat. Quin & ipſæ cibo idem præſtant. Fit etiam ex iis vinum, eiuſdem cum fructu facultatis. Decoctum earum per ſe potum & gargarizatum, vehementer aſtringit & cohibet. Palmarum verò nuclei cæterorum omnium more in fictili nouo cremantur, deinde reſtincti vino lauantur, & tanquam ſpodij vicem ſupplentes, ad ornandas decorandáſve palpebras conducunt. Quòd ſi non ſufficienter vſti fuerint, illud idem iteratur. Vim habent aſtringentem, & ſpiracula cutis obſtruentem, ad oculorum puſtulas, ſtaphylomata, ciliorúmque defluuia addito nardo efficacem. Supercreſcentem carnem cum vino reprimunt, & vlcera ad cicatricem perducunt.

cunt. Omnium verò aptiſſimi ſunt Ægyptij nuclei, qui ex humilibus palmis decerpuntur.

De Palma elate. CAP. CL.

Palma, quam nonnulli elaten aut ſpatham appellant, fructus palmarum adhuc florentium inuolucrum eſt. Eo vnguentarij in vnguentorum ſpiſſamenta vtuntur. Optima habetur odorata, aſtringens, ponderoſa, præcluſa, interna parte pinguis. Vis ei aſtrictoria, qua vlcera depaſcentia ſiſtit, laxatóſque articulos committit, ſi trita malagmatis & cataplaſmatis ammiſceatur. Prodeſt & præcordiis ac ſtomacho imbecilli, necnon & iecinoris affectibus, conuenientibus miſta cataplaſmatis. Eius decoctum ſubinde affrictum, capillos denigrat. Potui verò datum, renum, veſicæ, aliorúmque viſcerum vitiis confert: alui vteríque fluxiones ſiſtit. Ipſa verò ſcabiem ſanat diebus viginti, ſi adhuc tenera cum reſina & cera decocta imponatur. Porrò qui ſub ea continetur fructus, elate etiam appellatur, & à nonnullis boraſſus. Is ipſe aſtrictorius cùm ſit, ſpathæ quoque præbet effectus: niſi quòd ad vnguenta non æquè eſt vtilis. Cæterùm alba quoque caudicis medulla tum recens comeſta, tum decocta, ad eadem facit, ad quæ etiam boraſſus.

De Malo Punico. CAP. CLI.

MALVM Punicum omne iucundi est ſaporis, ſtomachóque vtile, ſed vix vllius alimenti. Attamen ex his dulcia, ſtomacho vtiliora habentur: ſed circa eum, calorem aliquantulum gignunt, inflationéſque pariunt: qua ex cauſa febricitantibus haudquaquam conueniunt. Acida verò, æſtuanti ſtomacho auxiliantur, magíſque contrahunt, ac fœliciùs vrinam cient: ſed ori ingrata ſunt & aſtringendi vi prædita. Vinoſa medias vires obtinent. Acidorum nucleus in ſole ſiccatus, & obſoniis inſperſus ac cum iis etiam decoctus, aluum ſtomachíque fluxionem ſiſtit. Aqua verò cœleſti maceratus, ſanguinem excreantes potu iuuat, & ad inſeſſus dyſentericorum profluuióque laborantium accommodatur. Porrò ſuccus ex acinis ipſis expreſſus ſi coquatur melli admixtus, pervtilis fuerit ad oris, genitalium & ſedis vlcera, necnon ad digitorum pterygia, nomas & quæ in vlceribus excreſcunt, itémque ad aurium dolores & narium vitia: maximè verò, ſi ex acidi Punici granis exprimatur.

De Cytinis. CAP. CLII.

Huius flores, qui etiam cytini vocantur, & ipſi quoque aſtringunt, ſiccant & cohibent: cruenta vulnera glutinant, & quas

Punicum

Punicum, præſtant vtilitates. Eorum decoctum ad gingiuas humore flaccidas dentéſque mobiles colluitur, & ramices ex inteſtini prolapſu cataplaſmatis inditum agglutinat. Cæterùm ſunt qui memoriæ tradant toto anno lippitudinem non paſſuros, qui tres quantumuis exiguos cytinos deuorauerint. Ex iis velut ex hypociſthide ſuccus elicitur.

De Malicorio. CAP. CLIII.

Et ipſa quoque Punici putamina, quæ Sidia nonnullis appellantur, aſtringendi vim habent, & quos cytini præbent vſus. Radicum autem decoctum latas ventris tineas potu pellit & enecat.

De Balauſtiis. CAP. CLIIII.

Balauſtium ſylueſtris Punicæ flos eſt, cuius complura ſunt genera: reperitur enim candidum, rutilum & colore roſaceo. Domeſticæ mali Punicæ cytino ſimile eſt, & ex eo quoque ſuccus elicitur, hypociſthidis modo. Vis ei aſtrictoria, eadem efficiens quę hypociſthis & cytinus.

De Myrto. CAP. CLV.

MYRTVS ſatiua nigra medicinæ vtilior, quàm candida: & in eo ipſo genere accommodatior montana: fructum tamen inefficaciorem habet. Vis tum ipſi myrto, tum etiam fructui aſtrictoria. Ac fructus

quidem seu viridis, seu etiam aridus, in cibo datur sanguinem excreantibus, vesicæque erosione laborantibus. Virentibus baccis expressus succus eosdem effectus exhibet, stomacho vtilis est, vrinámque ciet: prodest cum vino à phalangio demorsis & à scorpione ictis. Fructus quoque decoctum capillum tingit. Is ipse cum vino subferuefactus & impositus, vlcera in extremitatibus corporis nata sanat. Cum tenuissimo verò polentæ polline impositus, oculorum inflammationes lenit: quin & ad ægilopas illinitur. Vinum porrò myrtites, quod expresso & aliquantum feruefacto fructu fit, (aliter enim paratum acescit) præsumptum crapulam arcet, & ad eadem ad quæ fructus ipse valet. Vtile quoque ipsum in desessionibus vuluarum & sedis procidentiæ, itémque fœminis fluxione vuluæ laborantibus: detergit etiam furfures, vlcera capitis manantia & papularum eruptiones: fluentes quoque capillos continet. Additur & in emplastris lenibus quæ liparas vocant, veluti etiã quod ex ipsius foliis cõficitur oleum. Quin & foliorum decoctum ad insessus conuenit: eóque laxati & ægrè coeuntes articuli, itémque fracta quę non conferbuere, vtiliter fouentur. Vitiligines quoque emaculat: ad aures purulentas denigrandósque capillos

infun-

infunditur. Sed & eorum ſuccus eadem efficit. Ipſa verò folia trita & ex aqua illita, humidis vlceribus & partibus omnibus fluxione laborantibus, cœliacíſque proſunt. Siquidem admiſto oleo omphacino aut exiguo roſaceo cum vino, valent ad herpetas, eryſipelata, teſtium inflammationes, epinyctidas & condylomata. Arentia verò folia trita, paronychiis & pterygiis, itémque alis feminibúſque humentibus, adeôque tetrum virus ſpirantibus vtiliter inſperguntur, & cardiacorum ſudores cohibent. Cæterùm cremata aut etiam cruda cum cerato, ambuſtis, pterygiis & paronychiis medentur. Exprimitur & foliis ſuccus affuſo vino vetere aut aqua cœleſti, cuius recentis vſus eſt. Nam exiccatus ſitum contrahit, viréſque amittit.

De Myrtidano. CAP. CLVI.

Quod myrtidanum dicitur, id eſt quod myrto adnaſcitur, inæquabile, verrucoſum intumeſcénſque & concolor: quod perinde quaſi manus, myrti caudicem amplectitur. Magis quàm myrtus aſtringit. Tuſum verò & vino auſtero addito coactum in paſtillos, ſiccatúmque in vmbra, reponitur. Efficacius porrò eſt tum fructu tum folio, cerato, peſſis, inſeſſionibus & cataplaſmatis

admistum, vbi constringendum aliquid est.

De Cerasiis. CAP. CLVII.

CERASIA bonam quidem aluum faciunt, si recentia sumantur: at sicca eadem, aluum sistunt. Gummi verò cerasorum cum vino diluto sumptum, diuturnæ tussi medetur, colorem quoque commendat, visum exacuit & appetentiam inuitat. Ex vino etiam potum, calculosis prodest.

De Siliquis. CAP. CLVIII.

SILIQVAE recentes quidem sumptę, stomacho inutiles sunt, aluúmque soluunt. Eædem siccatæ sistunt, stomachóque vtiliores sunt, ac vrinæ ciendæ vi præditæ: sed præcipuè quæ vinaceis condiuntur.

De Malo. CAP. CLIX.

CVm omnis mali, tum verò maximè coroneæ, folia, flores & germina astringunt: fructui verò immaturo quidem astringendi vis inest, maturo non item. Quæ verò mala verno maturescunt tempore, bilem gignunt, toti neruoso generi infesta sunt, inflationésque pariunt.

De Cotoneis. CAP. CLX.

Cotonea stomacho vtilia, vrinam cient: verùm tosta mitiora euadunt, prosúntque cœliacis, dysentericis, sanguinem excreantibus & cholera laborantibus, pręsertímque cruda. Quin & aqua in qua hæc ipsa macerata

rata fuerint, potui data, ſtomachi ventríſve fluxione infeſtatis conuenit. Crudorum eorundem ſuccus aſſumptus, orthopnoicis opitulatur: decocto ſedes & vulua fouentur, ſi procidant. Cotonea verò quæ in melle condita ſunt, & ipſa vrinam mouent: mel autem illorum conſtipantem conſtringentémque vim ſibi aſciſcit. Quæ porrò cum melle decoquuntur, ſtomacho quidem vtilia ſunt atque ori grata, ſed minùs conſtringunt. Cruda eadem cataplaſmatis adiiciuntur ad cohibendam aluum: itémque contra ſtomachi euerſionem & æſtum, mammarum inflammationes, ac lienes in ſcirrhum induratos, atque condylomata. Fit etiamnum ex ipſis vinum tuſis expreſsíſque, addito, quo diutiùs perennet, ad ſucci ſextarios ſedecim mellis ſextario vno: alioquin acorem contraheret. Prodeſt autem ad eadem omnia quæ modò dicta ſunt. Fit & oleum ex his quod melinum vocatur: quo quidem vtimur, quoties oleo aſtringente opus habemus. Cæterùm cotonea eligi oportet vera ac germana, qualia parua, rotunda & odorata ſunt. Quæ verò ſtruthia & magna dicuntur, minùs vtilia cenſentur. Eorum flores ſicci æquè ac virides cataplaſmatis accommodantur, quæ aſtrictionem deſiderant: ac etiamnum valent ad oculorum in-

flammationes. Contra ſanguinis reiectiones, alui profluuia menſiúmque impetus vtiliter in vino bibuntur.

De Melimelis ſeu muſteis.

CAP. CLXI.

Melimela ventrem molliunt, & ab eo animalia expellunt, ſtomacho negotium exhibent, æſtuoſaque ſunt. A nonnullis porrò, quaſi dulcia mala, glycymela nuncupantur.

De Epiroticis malis.

CAP. CLXII.

Epirotica mala, quæ Latinè orbiculata dicuntur, ſtomacho vtilia ſunt: ſed aluum ſiſtunt, vrináſque euocant: malis tamen cotoneis inefficaciora ſunt.

De Syluestribus malis.

CAP. CLXIII.

Syluestria mala vernis ſimilia ſunt, & aſtringunt. Ad ea porrò quæ aſtrictione opus habent, iis omnibus vtendum, quæ minùs matura fuerint.

De Perſicis malis.

CAP. CLXIIII.

Perſica mala ſtomacho vtilia ſunt, & aluũ quoque bonam præſtant, ſi matura fuerint. Immatura verò, eandem cohibent, ſed ſiccata vehementiùs. Sumptum eorundem ſiccorum decoctum, in ſtomachum ventrémque decumbentes fluxiones ſiſtit.

De

De Armeniacis. CAP. CLXV.

Minora quæ Armeniaca, Latinè præcoqua dicuntur, ſtomacho quàm antedicta vtiliora ſunt.

De Medicis. CAP. CLXVI.

Medica Perſicáve aut Cedromela, quæ Latinè Citria dicuntur, etiam vulgo cognita ſunt. Eſt enim arbor omnibus anni temporibus fructifera, aliis atque aliis malis viciſſitudine perpetua ſubnaſcentibus. Malum verò ipſum oblongum eſt, rugoſum, aureo colore, cum grauitate odoratum: ac pyri ſemen habet. Id in vino bibitum venenis reſiſtit, aluum ſubducit, decocto aut ſucco colluto ſuauitatem oris facit: eſtur verò maximè à mulieribus contra malaciam. Arcis quoque veſtiariis impoſitum, veſtes ab eroſionis vitio vindicare creditur.

De Pyro. CAP. CLXVII.

PYRORVM multa ſunt genera: quæ quidem omnia aſtringũt, proindéque conuenienter adduntur in repellentia cataplaſmata. Siccatorum decoctum, & ipſa quoq; cruda ſi ſumantur, aluum ſiſtunt: cæterùm ieiunos eſitata lædunt.

De Pyro ſylueſtri.
CAP. CLXVIII.

Achras Pyri ſylueſtris genus eſt, quod

tardè maturescit. Vim habet magis quàm pyrum astrictoriam: quò fit vt ad eadem conueniat: astringunt & ipsius folia. Vtriusque pyrorum generis ligni cinis iis efficaciter proficit, quos fungi strangulant. Sunt & qui dicant, innoxios reddi fungos, si cum iis syluestria pyra coquantur.

De Mespilis. CAP. CLXIX.

MESPILVS arbor, quæ à nonnullis Aronia vocatur, spinosa est, foliis oxyacanthæ: fructum fert exiguo malo similem, suauem, qui quidem tria continet intus officula: à quibus ipsum quoque nonnulli tricoccon, quasi triplici grano præditum, appellant: tardè maturescit: esitatum astringit, stomachum adiuuat, aluúmque cohibet.

De altera Mespilo. CAP. CLXX.

Mespili genus alterum in Italia nascitur, quod epimelida nonnulli, setanium alij nominant. Arbor est malo similis, nisi quòd foliis est minoribus. Fructum hoc quoque genus profert rotundum, esculentum, vmbilico latiore, leuiter astringentem, quíque tardè maturescit.

De Loto. CAP. CLXXI.

LOTVS arbor, stirps est bene magna: fructum verò fert pipere maiorem, dulcẽ, edulem, stomacho aptum, quíque aluum sistit.

sistit. Ramentorum ligni decoctum & potum & infusum, dysentericis fœminísque fluxione vuluæ laborantibus auxilio est: rufat quoque capillos, eosdemque defluentes continet.

De Corno. CAP. CLXXII.

CORNVS fortis arbor est, fructum ferens oliuæ modo oblongum, primùm quidem viridem, deinde per maturitatem flauum aut cerinum, esculentum, astringentem, alui profluuio ac dysenteriæ salutarem: siue sapa conditus, siue aliter in cibo exhibeatur. Oliuæ quoque instar in muria seruatur. Sanies verò quam virentia folia dum vruntur exudant, lichenibus conuenienter illinitur.

De Sorbis. CAP. CLXXIII.

SORBA luteum colorem referentia, si nondum matura dissecta soléque siccata fuerint, aluum in cibo sistendi vim acquirunt. Ex iisdem molitis farina polentæ loco sumpta, ac ipsorum etiam decoctũ potum, idem præstant.

De Pruno. CAP. CLXXIIII.

PRVNVS nota arbor est, cuius fructus esculentus est: sed stomachum malè habet, aluúmque mollit. At Syriacarum, & earum maximè quæ Damasci nascuntur, fructus exiccatus, stomacho vtilis est, aluúmq;

aſtringit. Decoctum foliorum ex vino paratum, vuam, gingiuas, tonſilláſque fluxione laborantes ore ſubinde colluto reprimit. Præſtat idem ſylueſtrium prunorũ fructus, poſt maturitatem exiccatus. Cum ſapa verò decoctus, ſtomacho vtilior & ad cohibendam aluum aptior euadit. Cæterùm gummi prunorum agglutinandi vim habet, & in vino potum calculos comminuit. Ex aceto verò illitum, lichenas infantium ſanat.

De Arbuto. CAP. CLXXV.

ARBVTVS arbor eſt cotoneæ malo aſſimilis, tenui cortice, fructum proferẽs pruni magnitudine, nuclei expertem, cui memacylo cognomen eſt, quíque vbi maturuit, ſubfuluus aut rubicundus conſpicitur, in eſu acerosus: ſtomacho is aduerſatur, capitíſque dolorem excitat.

De Amygdalo. CAP. CLXXVI.

AMYGDALAE amaræ radix ſi trita decoquatur, maculas in facie à Solis ardore contractas tollit. Ipſa quoque amygdala illita, eadem præſtant: appoſita verò, menſes cient, & capitis doloribus auxiliantur, fronti temporibúſve inducta cum aceto & roſaceo. Valent & ad epinyctidas ex vino, itémque ad putreſcentia vlcera, herpetas, canúmque morſus cum melle. Porrò comeſta dolores adimũt, aluum emolliunt, ſomnum

ſomnum faciunt,vrinámque cient.Proſunt etiamnum ad ſanguinis reiectionem,ſi cum amylo & menta ſumantur. Ex renibus verò & pulmonum inflammatione laborantibus conferunt,cum aqua pota, aut in eclegmate cum reſina terebinthina. Vrinæ difficultate affectis atque calculoſis in paſſo opitulatur: itémque eclegmate cum melle & lacte, hepaticis, tuſſi & coli inflationibus, nucis auellanæ magnitudine.Quinæ ſenæve ſi præſumantur, ebrietatem arcent. Enecant & vulpes cũ quapiam eſca deuoratæ. At gummi ipſius arboris aſtringit, calfacit, & contra ſanguinis reiectionem potum auxilio eſt: cum aceto verò illitum, impetigines in ſumma cute tollit. Tuſſi diuturnæ cum vino diluto potum medetur: calculoſis verò cum paſſo bibitum prodeſt. Cæterùm dulcis & cibo idonea amygdala, quantum ad efficaciam ſpectat, multò quàm amara eſt inferior: attamen & ipſa extenuandi, vrináſque ciendi vi pollet. Amygdalæ verò quæ virides cum ſuo putamine deglutiuntur, humida ſtomachi vitia emendant.

De Piſtaciis. CAP. CLXXVII.

PISTACIA, quæ certè quidem in Syria gignuntur, pineis nucibus ſimilia, ſtomacho amica ſunt. Siue porrò edantur, ſiue trita ex vino bibantur, contra ſerpentium

morſus auxiliantur.

De Nucibus iuglandibus.

CAP. CLXXVIII.

NVCES regiæ, quas nonnulli Perſicas vocant, in cibo ſumptę, concoctu ſunt difficiles, ſtomacho nocent, bilem gignunt, capitis dolorem inferunt, ſuntque tuſſientibus inimicæ: vtiles verò in cibo ieiunis, ad vomitiones concitandas. Venenis quoque reſiſtunt cum ficubus & ruta præſumptæ, ac etiamnum poſt ipſa venena hauſta comeſtę. Largiùs autem eſitatæ, latos lumbricos pellunt. Imponuntur & mammarum inflammationibus, abſceſſibus luxatíſque, cum mellis exiguo & ruta. Cum cepa autem, ſale & melle, contra canis hominíſque morſus proficiunt. Eædem cum calyce ſuo peruſtæ & vmbilico admotæ, tormina ſedant. Putamen verò combuſtum tritúmque in vino & oleo, puerorum capite perunćto capillos condecorat, alopeciáſque replet. At qui intra ipſum eſt nucleus vſtus, tritus & cum vino appoſitus, menſes ſiſtit. Perueterum autem nucum nuclei commanducati & impoſiti, gangrænis, carbunculis, ægilopibus & alopeciis præſenti ſunt remedio. Fit & ex iiſdem oleum tuſis expreſsíſque. Porrò recentes, vtpote dulciores, ſtomacho ſunt innocentiores: quapropter & alliis miſcentur

ad

ad acrimoniam ipſorum eximendam. Eæ ipſæ quoque impoſitæ, liuentia ſeu ſugillata emendant.

De Nucibus auellanis.

CAP. CLXXIX.

NVCES verò Ponticæ, quas nonnulli leptocarya, quaſi tenues nuces, appellant, ſtomacho infeſtæ ſunt: ipſæ tamen tritæ & in aqua mulſa potæ, veteri tuſſi medentur. Toſtæ verò ſi cum piperis exiguo comedantur, diſtillationem concoquunt. Sin autem totæ crematæ fuerint, & cum axungia aut adipe vrſi tritæ, illitu alopeciis capillum reddunt. Aiunt nonnulli vſta putamina, & cum oleo ad læuorem contrita, cæſias infantibus oculorum pupillas perfuſo ſincipite denigrare.

De Moro. CAP. CLXXX.

MORVS ſiue ſycaminus nota arbor eſt, cuius fructus aluum ſoluit, facilè corruptionem ſentit, & ſtomacho inimicus eſt. Hæc eadem ipſius ſuccus præſtat. Decoctus autem æreo vaſe, aut inſolatus, adſtringentior redditur. Admiſto verò mellis exiguo, facit ad fluxiones, nomas & tonſillarum inflammationes. Sed augetur eius vis, adiectis alumine ſciſſili, galla, myrrha & croco: inſupérque fructu tamaricis, iride atque thure. Immatura autem mora ſiccata con-

tusáque, rhois vice obsoniis ammiscentur, cœliacósque iuuant. Radicis verò cortex decoctus in aqua & potus, aluum soluit, latas ventris tineas expellit, & iis auxiliatur qui aconitum hauserint. Folia trita cum oleo imposita, ambustis igni medentur. Cocta verò in aqua pluuia cum vitis ficíque nigræ foliis, capillum tingunt. Succus foliorum cyathi mensura potus, à phalangio demorsis opitulatur. Corticis autem & foliorum decocto dentes aptissimè in dolore colluuntur. Cæterùm radix circa messem circunfossa & incisa dat succum, qui quodammodo concretus postridie reperitur. Is ad dentium dolores efficax est: tubercula discutit, aluúmque purgat.

De Sycomoro. CAP. CLXXXI.

SYCOMORVM aliqui etiam sycaminum vocant: cuius fructus Sycomoron quoque propter ignauum infirmúmque saporem appellatur. Est autem arbor magna, fico similis, largo succo abundans, foliis mori. Fructum ea ter quatérve anno profert, non è summis ramis, vt ficus, sed è caudice ipso, caprifico similem, grossis dulciorem, sine granis interioribus: quíque non maturescit, nisi vngue ferróve scalpatur. Nascitur plurima in Caria, Rhodo, aliísque locis non multi tritici feracibus: vbi propter fru-

ctus

ctus perennitatem in rei frumentarię penuria iuuamentum affert. Eſt porrò fructus aluo vtilis, & perquàm exile præbet alimentum, ſtomachóque aduerſatur. Liquorem verò fundit arbor primo vere, priuſquàm fructum proferat, lapidis ictu ſummo cortice deſquamato: ſi enim frangantur altiùs, nihil quicquam emittit. Spongia aut vellere lacryma colligitur, quæ ſiccata & in paſtillos coacta, fictili vaſe reponitur. Vim habet is liquor emolliendi, vulnera conglutinandi, & ea diſcutiendi quæ ægrè maturantur. Bibitur etiam, necnon & illinitur contra ſerpentium morſus, in ſcirrhum induratos lienes, ſtomachi dolores atque perfrictiones. Celeriter verò teredinem ſentit.

De fico Cypria. CAP. CLXXXII.

Gignitur & in Cypro arbor ſpecie differens: quippe quæ vlmus cùm ſit, folia ſycamini refert: fructum verò gerit prunorum magnitudine, & quàm pruna ipſa dulciorem. Cætera omnia antedictis ſimilia ſunt.

De ficubus. CAP. CLXXXIII.

FICI maturæ recentes, ſtomachum lædunt, aluúmque ſoluunt: ſed contracta ab iis alui fluxio facilè cohibetur: papulas euocant, ſudoréſque mouent: ſitim ſedant, calorémque reſtinguunt. Siccæ verò, ſunt alibiles & excalfactoriæ: ſitim magis afferũt,

aluóque ſunt vtiles: at ſtomachi aluíque rheumatiſmis contrariæ: gutturi autem, arteriæ, veſicę ac renibus magnificè vtiles: nec non & iis qui ex longa valetudine decolorati ſunt, anhelatoribus, comitialibus atque hydropicis. Feruefactæ cum hyſſopo & potæ, quæ pectore continentur expurgant: veteri tuſſi ac diuturnis pulmonum vitiis conueniunt: aluum quoque molliunt cum nitro & cnico tuſæ, deinde manducatæ. Ipſarum decoctum, arteriæ ac tonſillarum inflammationibus gargarizatu prodeſt. Quin & cataplaſmatis ex hordeacea farina miſcetur, itémque in muliebres fotus cum fœnograeco aut ptiſſana. Cæterùm cum ruta coctæ, ad tormina infunduntur. Coctæ, deindéque tritæ ac impoſitæ, duritias diſcutiũt, parotidas & furunculos emolliunt: panos maturant, efficaciúſque, addita iride, nitro, aut calce viua. Crudæ quoque ſi cum antedictis tundantur, eadem efficiunt. Cum malicorio, pterygia repurgant. Cum atramento ſutorio, medentur ægrè ſanabilibus malignísque tibiarum fluxionibus. Quin & in vino deferuefactæ, additis abſinthio & hordeacea farina, vtiliter hydropicis illinuntur. Crematæ & cerato admiſtæ, pernionibus medentur. Quòd ſi crudæ terantur, & liquido ſinapi exceptæ auribus indantur, ſonitus

tinni-

tùſque ſanant. Porrò tam ſylueſtris quàm ſatiuæ fici lacteus ſuccus, coaguli modo lac contrahit, coagulatúmque aceti modo diſſoluit. Idem corpora exulcerat, ora vaſorum reſerat, aluum ſoluit & vterum relaxat, cum trito amygdalo potus: menſes quoque ciet, appoſitus cum oui luteo aut cera Tyrrhenica: podagricorum cataplaſmatis cum farina fœnigræci & aceto vtilis: lepras verò, lichenas, maculas à Solis ardore contractas, vitiligines, pſoras vlceráque capitis manantia cum polenta expurgat. Inſtillatus plagæ, percuſſis à ſcorpione, venenatorum ictibus & canis morſibus auxiliatur: dentium dolori prodeſt, lana exceptus & in eorum cauis additus: denique formicoſam verrucam tollit, præmunita carne quæ in ambitu eſt, farina ſubacta.

De Ficu ſyl e ſtr

CAP. CLXXXIIII.

Hæc eadem præſtat ſuccus è teneris ſylueſtris fici cauliculis, quandiu lacteo liquore prægnant, necdum oculus egerminauit. Tùm enim hi tuſi exprimuntur, & ſuccus ſiccatus in vmbra reponitur. Porrò & liquor & ſuccus ad exulceratoria medicamenta vſurpantur. Decocti verò cum bubulis carnibus ficulnei ſurculi, efficiunt vt hæ faciliùs percoquantur. Lac quoque red-

ditur maiore ſoluendi vi præditum, ſiquidẽ inter coquendum ficulneo eiuſmodi ſurculo ſpathæ loco moueatur.

De Großis. CAP. CLXXXV.

Groſſi, quæ à nonnullis erinei nominantur, coctæ & illitæ, collectionem omnem ſtrumáſque emolliunt. Crudæ verò cum nitro & farina impoſitæ, formicationes thymóſque tollunt. Quin & hæc eadem ipſa folia poſſunt. Cum aceto autem & ſale illita, vlcera in capite manantia, furfures & epinyctidas ſanant. Iis quoque ficoſæ ſcabræque genæ perfricantur. At nigræ ficus foliis ramuliſve vitiligines albæ perunguntur. Faciunt quoque aduerſus canum morſus cum melle, & ad vlcera quæ faui, Gręcis ceria, vocantur. Groſſi cum papaueris ſylueſtris foliis oſſa extrahunt: furunculóſque cum cera diſcutiunt. Cæterùm cum eruo ac vino impoſitæ, contra muris aranei morſus & ſcolopendræ venena proſunt.

De Lixiuio ficus. CAP. CLXXXVI.

Fit & è crematorum tam ſylueſtris quàm ſatiuæ ficus cauliculorum cinere lixiuium. Sed cinerem plurimùm diutiſſiméque macerari oportet. Vtile porrò eſt ad medicamenta cauſtica, & partibus prodeſt gangrænа tentatis. Nam expurgat & conſumit quæ excreſcunt. Vſus verò hic eſt, vt eo imbuta

ſubinde

ſubinde ſpongia ſuperponatur. Interdum & infunditur, quemadmodum dyſentericis, & in vetuſtis fluxionibus, nec non & ſinibus cuniculatim depaſcentibus, iiſque magnis. Etenim purgat, conglutinat, carne replet, & oras cõmittit, æquè ac emplaſtra quæ cruentis vulneribus imponuntur. Propinatur & ad ſanguinem in grumos concretum: itémque contra præcipitationes, rupta atque conuulſa, cum aquæ cyatho recens excolatum, admiſto olei exiguo. Cœliacis ac dyſentericis per ſe cyathi menſura datum auxiliatur. Neruorum vitiis & conuulſis ex oleo conuenienter illinitur: quippe quod ſudores moueat. Bibitur & aduerſus gypſi potum, phalangiorúmque morſus. Eoſdem porrò effectus exhibent lixiuia reliqua, præſertímque quernum: omnia verò aſtringendi vi pollent.

De Perſea. CAP. CLXXXVII.

PERSEA arbor eſt in Ægypto fructum ferens cibo idoneum, ſtomacho vtilem: in quo phalangia cranocolapta nomine reperiuntur, præſertim verò in Thebaide. Arida folia trita & inſperſa, profluentem ſanguinem ſiſtendi vim habent. Hanc arborem prodidêre nonnulli in Perſide quidem exitioſam eſſe: tranſlatam verò in Ægyptum, natura mutata in cibos receptam.

De Iberide. CAP. CLXXXVIII.

IBERIS, siue cardamantica, folia habet nasturtij, vere virentiora. Caulis longitudo cubitalis est, plus minúsve: locis incultis nascitur. Æstate porrò lacteum florem promit, ac tùm quoque efficacior est. Radices binas habet nasturtio similes, calfaciendi & adurendi vi præditas. Ipsæ enim ischiadicis vtiles, si cum axungia suilla salsa emplastri modo quaternis horis impositæ fuerint: deinde verò in balneum descendatur: ac postea oleo ac vino cum lana locus affectus perungatur.

Primi libri finis.





PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARbæi De Medica materia Liber II.

IOANNO ANTONIO SARACENO, LVGDVNAEO, INTERPRETE.

Præfatio.



N priore, amantissime Aree, libro, qui quidem primus est eorum quos de medicinali materia composuimus, de aromatibus, oleis, vnguentis, arboribus & nascentibus ex eis liquoribus, lacrymis ac fructibus disseruimus. In hoc autem secundo agemus de animantibus, melle, lacte, adipe, frugibus, insupérque de oleribus: hísque subnectemus quæ inter herbacea acri prædita sunt facultate, propterea quòd cum ipsis cognationem habent: qualia sunt allia, cepæ, sinapi: ídque ne congenerum vires disiungantur.

De Echino marino.

CAP. I.


CHINVS marinus stomacho vtilis est, bonam facit aluum, vrinámque ciet. Huius testa si cruda torreatur, vtiliter smegmatis, hoc est, detergentibus medicamentis admiscetur, quæ ad psoras idonea sunt. Cremata verò eadem, vlcera sordida expurgat, eáque reprimit quæ in vlceribus ipsis excrescunt.

De terrestri echino.

CAP. II.

Terrestris erinacei corium combustum, alopeciis cum pice liquida commodè illinitur. Assiccata caro & cum melle aut aceto mulso epota, renum vitiis auxilio est: itémque aquæ intercuti, conuulsionibus, elephantia laborantibus & malo corporis habitu præditis, quos cachectas vocant: viscerum quoque fluxiones exiccat. Quin & eiusdem iecur fictili solibus perusto arefactum atque reconditum, ad eosdem vsus pari modo vtiliter exhibetur.

De Hippocampo. CAP. III.

HIPPOCAMPVS marinum est animalculum: cuius cremati cinis liquida pice vel axungia aut amaracino vnguento exceptus & illitus, alopecias emendat.

De

De Purpura. CAP. IIII.

PVRPVRA vsta vim habet exiccandi, dentes abstergendi, excrescentes luxuriantésve carnes cohibendi, vlcera repurgandi & ad cicatricem perducendi.

De Buccinis. CAP. V.

EADEM præstant buccina concremata, sed maiorem adurendi vim habent. Quòd si quis ipsa sale expleta in olla cruda cremauerit, dentifriciis conueniunt, ambustísque vtiliter illinuntur. Sinendum verò medicamentum vt in testæ modum induretur: siquidem post obductam vulneri cicatricem, sponte sua decidet. Fit etiam ex ipsis viua calx: quemadmodum in tractatu de calce demonstrabimus.

De Cioniis. CAP. VI.

Cionia vocantur buccinorum purpurarúmque mediæ partes, circa quas testæ volumen clauiculatim intorquetur: Simili verò modo cremata, buccinis purpuráque magis causticam vim habent, quoniam apprimendi naturam obtinent. At buccinorum carnes & ori gratæ sunt, & stomacho vtiles: sed aluum haudquaquam molliunt.

De Mytulis seu musculis.
CAP. VII.

IN Mytulorum genere laudatissimi Pontici. Cremati, eundem cum buccinis effe-

ctum præbent. Priuatim verò, plumbi modo eloti, oculorum medicamentis cum melle vtiles habentur: quippe qui genarum crassitudines absumunt, oculorum albugines exterunt, & cætera quæ aliter pupillis caliginem offundunt. Eorundem caro ad canis morsus vtiliter imponitur.

De Tellinis. CAP. VIII.

TELLINAE recentes aluo vtiles, sed maximè ius earum. Sale verò conditæ ac vstæ & ad læuorem contritæ, tandémque cum cedria instillatæ, euulsos palpebrarum pilos renasci non patiuntur.

De Chamis. CAP. IX.

QVIN & chamarum aliarúmque conchularum in exigua aqua decoctarum ius, aluum ciet: id verò cum vino assumitur.

De Vngue. CAP. X.

ONYX siue vnguis, conchylij tegumentum est, ei simile quo purpura integitur. Is in lacubus nardiferis Indiæ reperitur: quapropter & conchyliis nardũ depascentibus odoramenta resipit. Colligitur verò, posteaquàm æstiuis squalloribus lacus inaruerunt. Præstantissimus qui è mari rubro defertur, subalbidus ac pinguis. Babylonicus nigrescit, atque minor conspicitur. Ambo verò si suffiantur, vehementem expirant odorem: sed quadantenus castoreum redolent.

lent. Hi porrò suffitu etiamnum comitiales, fœmináſque vuluæ ſtrangulatu oppreſſas excitant. Poti verò, aluum perturbant. Cęterùm conchylium ipſum vſtum, eadem quæ purpura & buccinum efficit.

De Cochleis. CAP. XI.

COCHLEA terreſtris ſtomacho vtilis eſt, & ægrè corrumpitur. Laudatiſſima Sardonia, Africana, Aſtypalæica, & quæ in Sicilia & Chio gignitur, necnon & quæ in Liguriæ Alpibus, pomatias, quaſi opercularis, cognominata. Marina quoque ſtomacho idonea eſt, faciléque aluo excernitur. Fluuiatilis autem, viroſa eſt. Sylueſtris verò quæ vepribus frutetíſque adhæreſcit, quámque nonnulli ſeſilon aut ſeſelita nominant, aluum ſtomachúmque turbat, & vomitiones excitat. Crematæ omnium teſtæ, calfaciendi vrendíque, lepras, vitiligines ac dentes etiam extergendi vi pollent: oculorum verò cicatrices & albugines, maculas à ſole contractas, ac viſus hebetudines emendant, ſi totæ cum ſua carne vſtæ & contritæ illinantur. At crudæ cum ſuis calicibus impoſitæ, hydropicorum tumores diſcutiunt, neque priùs amouentur, quàm omnis exhauriatur humor. Sed & podagricas inflammationes leniunt, ac impactos etiam corpori aculeos ſimiliter impoſitæ euocant: menſes quoque

tritæ & appositæ cient. Porrò carnes earum tritæ, & cum myrrha ac thure illitæ, tum vulnera alia, tum maximè quæ neruis inflicta sunt conglutinant: tritæ in aceto, sanguinis è naribus eruptiones cohibent. Viuæ caro, & maximè Africanæ, deuorata, stomachi dolores mitigat. Tota verò cum testa sua trita & cum vino ac myrrha exigua quantitate bibita, colicos dolores vesicæq; cruciatus sanat. Terrestris fluentem pilum glutinat & cohibet, si quis traiectæ per carnem ipsius acus mucroni hærentem viscidum lentorem pilo admouerit.

De Cancris. CAP. XII.

CANCRORVM fluuiatilium exustorum cinis, duum cochlearium mensura cum gentianæ radicis cochleario vno ac vino triduo potus, à cane rabioso demorsis euidenter opitulatur. Ex melle verò cocto, rimas pedum sedísque, perniones & carcinomata lenit. Triti crudi, potíque ex asinino lacte, contra serpentium phalangiorúmque morsus & scorpionum ictus auxiliantur. Decocti autem & ex iure suo sumpti, phthisicis prosunt, iísque qui leporem marinum hauserint. Triti cum ocimo & admoti, scorpiones necant. Possunt eadem marini, sed minore quàm illi efficacia.

De

De Scorpione terrestri.
CAP. XIII.

TERRESTRIS ſcorpio crudus, tritus & impoſitus, ſuæ plagæ remedium eſt: eſtur quoque toſtus in eundem vſum.

De Scorpione marino. CAP. XIIII.

Marini ſcorpionis fel conuenit ad oculorum ſuffuſiones, albugines & hebetudines.

De Dracone marino. CAP. XV.

DRACO marinus exectus & impoſitus, ictus ſpinæ ſuæ qua ferit medela eſt.

De Scolopendra. CAP. XVI.

SCOLOPENDRA marina in oleo decocta & peruncta, pilos detrahit: contactu verò, pruritus excitat.

De Torpedine. CAP. XVII.

TORPEDO marina in diutinis capitis doloribus impoſita, doloris vehementiam mulcet. Eadem ſedem euerſam prociduámve coercet.

De Vipera. CAP. XVIII.

VIPERAE caro cocta & in cibo ſumpta, claritatem oculis affert, ad neruorum vitia proficit, increſcentéſque ſtrumas reprimit. Detracta autem cute, caput & caudam, quoniam carne vacant, amputari oportet. Fabuloſum enim eſt quod præcipitur, vt extremarum partium certa vtrinque men-

ſura præcidatur. Reliquum verò [exemptis interaneis] corpus elotum & in fruſta ſectum, ex oleo & vino cum ſalis exiguo & anetho diſcoquitur. Aiunt porrò iis qui viperinas carnes eſitauerint, pediculos procreari: quod falſum eſt. Inſuper verò referunt nonnulli, qui iis veſcantur longam ſenectutem adipiſci. Sal ex iis ipſis ad eadem conficitur, ſed non eſt perinde efficax. Viua autem vipera in ollam nouam demittitur, adiiciuntúrque ſalis triti caricarúmque itidem tritarum ana ſextarij ſinguli, mellis cyathi vj. mox ollæ operculum luto oblinitur. Sic ea in fornace torrentur, donec ſal in carbones redigatur. Is poſtea ad læuorem tritus reconditur: ac interdum quò iucundiùs ori ſapiat, ſpica nardi aut folij ſeu malabathri momentum immiſcetur.

De Anguium ſenecta. CAP. XIX.

Anguinæ vernationis membrana in vino ſi decocta fuerit, dolori quidem aurium infuſa: dentium verò doloribus collutione, auxilio eſt. Miſcetur & ipſa in oculorum medicamenta, ſed pręcipuè quæ viperæ maris eſt.

De Lepore marino. CAP. XX.

LEPVS marinus loligini paruæ ſimilis eſt. Is tritus tum per ſe, tum cum vrtica [marina] adhibitus, deglabrãdi vim obtinet.

De

De Lepore terrestri. CAP. XXI.

Terrestris leporis inassatum cerebrum si mandatur, tremoribus prodest ex pauore obortis: infantium quoque dẽtitiones tum affrictu tum cibo adiuuat. Exustum ipsius caput & cum adipe vrsino aut aceto perunctum, alopeciis medetur. Porrò coagulum post triduum à mẽstrua purgatione potum, sterilitatem facere, adeóque omnem partus spem intercipere, perhibetur. Vuluæ etiamnum aluíq; fluorem sistit. Comitiales quoque iuuat, & contra venena ex aceto bibitum prodest: præsertim verò aduersus lac in grumos concretum, viperarúmque morsus. Cæterùm sanguis eius si calidus illinatur, maculas à sole contractas, vitiligines, lentiginésque sanat.

De Pastinaca marina.
CAP. XXII.

PASTINACAE marinæ radius, qui quidem ipsius cauda reflexis squamis enascitur, dentis dolorem mitigat: siquidem illum & comminuit & eiicit.

De Sepia. CAP. XXIII.

SEPIAE coctę atramentum in cibo sumptum, ægrè concoquitur, aluum emollit. Ipsius verò testa in collyria efformata, scabris genis perfricandis accommodatur. Vstum verò intra propriam testam quod ipsa

testa concluditur, donec id quod crustosum est abscedat, posteáque tritum, exterit vitiligines, furfures, dentes & maculas à sole contractas. Porrò elotum, in medicamenta oculorum additur. Facit & præclarè iumentis ad oculorum albugines, si insuffletur. Pterygia quoque oculorum absumit, cum sale tritum & adhibitum.

De Mullo. Cap. XXIIII.

MVLLVS frequenter in cibo sumptus, visus hebetudinem facere creditur. Quòd si crudus dissectúsque imponatur, marini draconis ac scorpionis, itémque aranei ictibus medetur.

De Hippopotami seu fluuiatilis equi Testiculo. Cap. XXV.

HIPPOPOTAMI Testiculus exiccatus & ad læuorem tritus, contra serpentium morsus ex vino bibitur.

De Castorio, seu fibri testibus. Cap. XXVI.

Fiber animal est ancipitis vitæ, quod plerunque cum piscibus & cancris vitam in aquis degit. Auxiliantur quoque ipsius testes contra serpentium venena. Sternutamenta etiamnum mouent, ac in vniuersum multiplices vsus obtinent. Siquidē duabus drach-

mus

mis cum pulegio poti, menſes cient, & partus ſecundáſque eiiciunt. Ex aceto verò, contra inflationes, tormina, ſingultus, exitialia venena, priuatímque ixiam, bibuntur. Lethargicos & alio quocunque veterni genere correptos cum aceto & roſaceo irrigati excitant. Sed & olfactu & odoris ſuffitu eadem præſtant. Proſunt & tum potu, tum etiam illitu ad tremores, conuulſiones, omniáque neruorum vitia: ac in ſumma calfactoriam vim habent. Porrò teſtes ſemper eligito, qui ſint ex vno ortu connexi, (fieri enim non poteſt vt gemini folliculi in vna membrana coniuncti reperiantur) liquore intus veluti ceroſo, odoris grauis, ac viroſo guſtu, acri & mordaci, friabili: quíque naturalibus tunicis perpetuò diſtinguantur. Ipſum fraude corrumpunt nonnulli, ammoniacum aut gummi cum ſanguine & caſtorio ſubactum in folliculum infundentes, & ita exiccantes. Vanum eſt autem quod narratur, animal ipſum, dum à venatoribus vrgetur, teſtes ſibi auellere & abiicere: fieri enim nequit ipſos vt attingat, quippe qui ſint, velut in ſue, ſubſtricti. Cæterùm diuiſa pelle liquorem melleum vnà cum ipſum continente tunica excipere oportet, atque ita ſiccatum reponere.

De Mustela vulgari seu domestica.

Cap. XXVII.

Mustela quæ in domibus nostris oberrat, flammis ambusta & exemptis interaneis sale inueterata, tandémque in vmbra siccata, binis drachmis in vino pota, contra serpentium genus omne præsentaneo est remedio. Simili modo sumpta, toxico resistit. Eiusdem ventriculus coriandro fartus inueteratúsque, iis qui à venenatis bestiis commorsi fuerint & comitialibus potu auxiliatur. Tota verò in olla concremata, podagricis confert, cinere ex aceto illito. Ceterùm ipsius sanguis perunctus, strumis opitulatur, ac comitialibus itidem prodest.

De Ranis. Cap. XXVIII.

Contra omnium serpentium venena pro antidoto sunt Ranæ, cum sale & oleo è iure decoctæ, si ius ipsum itidem sorbeatur. Valent & ad diuturnos tetendinum abscessus. Vstæ verò & inspersæ, profluentis sanguinis impetum sistunt: quin & sanant alopecias, cum pice liquida illitæ. At viridium ranarum sanguis instillatus, euulsos palpebris pilos renasci prohibet. Decoctæ etiamnum in aqua & aceto, dentium dolores collutione leniunt.

De Siluro. CAP. XXIX.

SILVRVS recens in cibo ſumptus, probè nutrit, & bonam facit aluum: ſale verò conditus, vix alimentum vllum ſubminiſtrat. Arteriam tamen expurgat, vocíque ſplendorem affert. Impoſita verò ſaliti caro, aculeos & infixa corpori ſpicula extrahit. Ipſius quoque muria, dyſentericis circa principia conuenit ad inſeſſus: quippe quæ fluxiones ad ſumma cutis eliciat. Quin & iſchiadicis infuſa medetur.

De Smaride. CAP. XXX.

SMARIDIS ſalitæ caput exuſtum tritúmque, excreſcentes in vlceribus carnes cohibet, nomáſque compeſcit: clauos thymóſque abſumit. Caro, quemadmodum & ſalſamentum omne, prodeſt à ſcorpione ictis, & à cane demorſis.

De Mæna. CAP. XXXI.

MÆNAE quoque caput vſtum tritúmque ſi inſpergatur, calloſas ſedis rhagadas emendat. Ipſius verò garum, in ore putreſcentia vlcera collutione ſedat.

De Gobio. CAP. XXXII.

GOBIVM recentem ſi in ſuillum ventriculum immiſeris, & conſuta rima in duodecim aquæ ſextariis donec duo ſuperſint decoxeris, excolatúmque ius ac ſub diuo refrigeratum potui dederis, aluum citra

perturbationem subduces. Porrò impositus, iis qui à canibus serpentibúsve demorsi fuerint, auxiliatur.

De salsamento quod Omotarichon appellatur.
CAP. XXXIII.

QVEM Omotarichum vocant, conditanei thunni caro est. Hæc sumpta iis auxiliatur, quos vipera, prester dicta, momorderit. Sed oportet vinum quamplurimum subinde cogantur haurire, ita vt vomitione reddatur. Ad ea itidem maximè conuenit, ad quæ & cætera quæ in alimentorum genere sunt acria. Canum quoque morsibus vtiliter imponitur.

De Garo. CAP. XXXIIII.

GARVM omne quod è piscibus carnibúsque sale maceratis eliquescit, nomas cohibet, & morsis à cane medetur. Dysentericis quoque & ischiadicis infunditur: illis quidem, vt intestinorum vlcera compescat atque coerceat: his verò, vt intestina ipsa, quamuis minimè exulcerata, ad infestantes coxam humores euacuandos stimulet ac proritet.

De recentium piscium Iusculo.
CAP. XXXV.

RECENTIVM piscium Ius modò per se, modò ex vino potum, aluum subducit. Peculiariter autem ad hunc vsum pręparatur

paratur è phycidibus, ſcorpionibus, iulidibus, percis & aliis ſaxatilibus teneris, nec virus reſipientibus. Coqui verò debent ſimpliciter in aqua, additis oleo, anetho & ſale.

De Cimicibus. CAP. XXXVI.

CIMICES qui in cubilibus enaſcuntur, numero ſepteni cum fabis in cibos additi & ante acceſſiones deuorati, quartana laborantibus auxilio ſunt. Quin & citra fabas deuorati, demorſis ab aſpide proſunt. Vuluæ ſtrangulatione affectas olfactu reuocant. Cæterùm ſanguiſugas cum vino aut aceto poti pellunt. Triti verò & vrinariæ fiſtulæ impoſiti, vrinæ difficultati medentur.

De Millepedis. CAP. XXXVII.

MILLEPEDAE quæ ſub vaſis aquariis reperiuntur, animalcula ſunt multorum pedum, quæ quidem contacta manibus, in globulos ſeſe contrahunt. Hæ ex vino potæ, vrinæ difficultati ac regio morbo auxiliantur. Illitæ verò cum melle, angina correptis proſunt. Tritæ & in cortice mali Punici addito roſaceo calfactæ, ad dentium dolores efficaciter inſtillantur.

De Blatta. CAP. XXXVIII.

BLATTAE eius quæ in piſtrinis reperitur interanea trita cum oleo, dolores aurium inſtillatu mitigant.

De Pulmone marino. CAP. XXXIX.

PVLMO marinus recens tritus, pernionibus podagráque laborantibus opitulatur.

De Pulmone suillo. CAP. XL.

SVILLVS, agninus, vrsinúsque Pulmo, impositu attritus à calceamentis contractos ab inflammatione tuentur.

De Pulmone Vulpino. CAP. XLI.

Quin & vulpis Pulmo si arefactus bibatur, suspiriosos adiuuat. Eiusdem verò adeps liquefactus infusúsque, auris dolorē sedat.

De Hepate asinino. CAP. XLII.

ASINI iecur inassatum, esu comitialibus prodest: verùm id ieiunos sumere oportet.

De masculi cerui Genitali.
CAP. XLIII.

GENITALE cerui maris tritum ex vino potũ, à vipera demorsis auxiliatur.

De asinorum Vngulis. CAP. XLIIII.

VNGVLAE asinorum vstæ, ad dies multos cochlearibus binis potæ, comitialibus prodesse narrantur. Oleo verò subactæ, strumas discutiunt: inspersæ quoque, pernionibus medentur.

De equorum Lichenibus. CAP. XLV.

LICHENES equorum, calli sunt circa genua & vngulas in earum partium flexu

xu indurati. Ij triti & in aceto poti, comitialibus mederi traduntur.

De Caprinis Vngulis. CAP. XLVI.

CAPRINARVM vngularum cinere perunctæ ex aceto alopeciæ ſanantur.

De Caprino Iecore. CAP. XLVII.

QVAE è Caprino iecore dum inaſſatur deſtillat ſanies, inuncta prodeſt luſcioſis qui Græcis nyctalopes dicuntur. Quin & ſiquis vaporem eius, dum coquitur, oculis apertis excipiat, vtilitatem percipit. Sed & toſtum in cibo, ad eadem prodeſt. Cæterùm aiunt comitiales eius eſu, hircini verò maximè, deprehendi.

De Aprino iecore. CAP. XLVIII.

Aprinum iecur recens ſi arefactum teratur, ex vino potum, contra ſerpentium iumentorúmque morſus auxilio eſt.

De Canis rabidi Iecore. CAP. XLIX.

Iecur Canis rabioſi toſtum & ab iis quos momorderit in cibo ſumptum, aquæ pauoris periculo liberare creditur. Vtuntur autem ad præcautionem etiam canis qui momorderit canino dente: hunc ſcilicet folliculo ex aluta inditum pro amuleto brachio adalligant.

De Iecore mergi. CAP. L.

Mergi iecur aſſiccatum & potum ex hydromelite binis cochlearibus, ſecundas pellit.

De Veteribus ſoleis. CAP. LI.

EX veteribus calceamentis Coria combuſta ac trita & inſperſa, ambuſta igni, intertrigines, necnon & calceamentorum attritus ſanant.

De Gallinis. CAP. LII.

GALLINAE diſſectæ & adhuc calentes appoſitæ, ſerpentium morſibus auxiliantur: ſed in ipſarum locum alias ſubinde ſufficere oportet.

De Gallinarum cerebro. CAP. LIII.

Earum cerebellum in vino bibendum datur, contra venenatarum beſtiarum morſus: ſanguinis etiamnum eruptiones à cerebri meninge inhibet. Quæ verò in gallinaceo interna ventriculi parte ſubſternitur membrana cornu inſtar firma ac pellucida, quæque inter coquendum excoriari ſolet, arefacta tritáque & in vino pota, ſtomachicis confert. Ius autem pulli ſimpliciter paratum, potiſſimè datur ad temperandos prauos vitioſóſque humores, & iis quibus æſtuat os ventriculi. At ius è vetere gallinaceo, datur ad aluum deiiciendam. Exemptis porrò interaneis, in eorum locum ſal immitten-

mittendus eſt, demúmque conſuto ventre gallinaceus in aquæ ſextariis xx. diſcoquendus, dum tres heminæ ſuperſint. Totum verò id ſub dio refrigeratum exhibetur. Sunt qui marinam braſſicam, mercurialem, cnicum aut filiculam ſimul incoquant. Cæterùm crudos craſſóſque, lentos ac viſcoſos & atros humores educit. Prodeſt iis quos longæ diuturnæque tenent febres, ſuſpirioſis, arthriticis, inflationéque ſtomachi laborantibus.

De Ouo. CAP. LIIII.

OVVM molliculum plus alit quàm ſorbile, itémque durum plus quàm molle. Eſt ipſius luteum contra dolores oculorum vtile, toſtum cum roſaceo & croco. Sedis autem inflammationibus & condylomatis prodeſt, addito meliloto. Cum rhoïs ſemine aut galla frixum in ſartagine & in cibo ſumptum, aut etiam per ſe exhibitum, aluum ſiſtit.

De Oui candido ſeu albumine. CAP. LV.

Crudum oui candidum refrigerat, cutis ſpiramenta occludit, & oculis infuſum, eorum inflammationes lenit: ambuſtis confeſtim illitum, quominus erumpant puſtulæ prohibet: faciem à Solis aduſtione tuetur: cum thure, anacollematis vice fronti indu-

ctum, fluxiones arcet compescítque: oculorum inflammationes lana exceptum, additis rosaceo, melle ac vino, mitigat. Quòd si crudum sorbeatur, contra hæmorrhoidis serpentis morsus auxiliatur: exiguo verò calore tepens, prodest contra vesicę rosiones, renum exulcerationem, asperæ arteriæ scabritias, sanguinis reiectiones, destillationes ac thoracis rheumatismos.

De Cicadis. CAP. LVI.

CICADAE si assatæ edantur, doloribus vesicæ succurrunt.

De Locustis. CAP. LVII.

LOCVSTAE suffitu difficultates vrinæ adiuuant, præsertim quæ fœminas malè habent: est autem earum caro inutilis. At quæ locusta asiracos aut onos dicitur, sine pennis est, grandioribus membris dum recens est. Hæc assiccata si ex vino bibatur, contra scorpionis ictus magnoperè confert. Cęterùm hac eadem abundè vescuntur Afri, qui Leptin incolunt.

De Ossifrago. CAP. LVIII.

VENTRICVLVS eius auis, quem Latini Ossifragum appellant, paulatim potui datus, calculos fertur per vrinam expellere.

De

De Galerita CAP. LIX.

GALERITA auicula eſt parua, apicem in vertice pauonis modo geſtans. Hæc aſſa & in cibo ſumpta, colicos adiuuat.

De Hirundine. CAP. LX.

HIRVNDINIS pullos qui primo partu excluſi fuerint ſi creſcente Luna diſſecueris, in eorum ventre lapillos inuenies: è quibus duos, vnum quidẽ colore varium, alterum verò purum & vnicolorem accipies. His priuſquam terram attigerint iuuencæ corio aut ceruina pelle incluſis, & brachio aut collo adalligatis comitiales recreabis: plerunque etiam penitus ſanitati reſtitues. Ipſæ verò hirundines in cibo ſumptæ, velut & ficedulæ, aciem oculorum exacuunt. Tam pullorum quàm matrum in olla fictili combuſtarum cinis cum melle oblitus, oculis claritatem affert: confert & perunctus angina laborantibus: itémque prodeſt ad vuæ ac tonſillarum inflammationes. Cæterùm & ipſæ & pulli ſi exiccentur & drachmæ vnius pondere ex aqua bibantur, his ſuccurrunt qui angina conflictantur.

De Ebore. CAP. LXI.

ELEPHANTINI dentis ramentum, vnguium reduuias curat impoſitum. Vim porrò aſtringendi obtinet.

De Talo suillo. Cap. LXII.

SVis talus combustus dum è nigro albescat, túmque tritus ac potus, inflationibus coli ac diuturnis torminibus medetur.

De Cornu ceruino. Cap. LXIII.

CORNV cerui vstum ac lotum si binûm cochlearium mensura bibatur, confert sanguinem excreantibus, dysentericis, cœliacis, regio morbo & vesicę doloribus cum tragacantha: fœminis item fluxione vuluæ laborantibus, cum liquore ei affectui accommodato. Porrò tusum & crudo fictili luto circumlito inditum, vritur in fornace donec albescat: ac deinde cadmiæ modo eluitur. Tale verò oculorum vlceribus atque fluxionibus salutare est: affrictum quoque, dentes expurgat. Cæterùm crudum si accendatur, odore serpẽtes fugat. In aceto verò feruefactum si ore colluatur, interiorum dentium dolores mitigat.

De Erucis. Cap. LXIIII.

ERVCAE quæ in oleribus gignuntur, à venenatarum bestiarum morsibus eos feruntur tutos præstare, qui ipsis ex oleo peruncti fuerint.

De Cantharidibus. CAP. LXV.

CANTHARIDES quæ in frumentis leguntur, ad recondendum idoneæ ſunt. Eas in vas non picatum immittito, ac ipſius oſculum raro puróque linteo obligatum circumuertito ad vaporem feruentis aceti quàm acerrimi: tandiúque inuerſum fictile contineto, donec illæ ſuffocentur: tandem lino transfixas reponito. Porrò efficaciſſimę ſunt quæ variæ viſuntur, luteáſque habent in pennis tranſuerſas lineas, quæque oblongo ſunt corpore, craſſæ, & blattarum modo præpingues. Sed inefficaces & imbecillæ, quæ vnius ſunt coloris.

De Bupreſtis. CAP. LXVI.

Simili modo reponuntur & bupreſtes, quæ ſunt è cantharidum genere, itémque pinorum erucæ. Sed & hæ ſupra cribrum ſuſpēſum feruenti cinere pauliſper intoſtæ, reconduntur. Vis ipſarum communis ſeptica, exulceratoria, & excalfactoria: qua de cauſa medicamentis admiſcentur, quibus carcinomata, lepræ & impetigines feræ curantur. Menſes quoque cient, peſſis emollientibus additæ. Porrò nonnulli cantharidas antidotis admiſtas etiam hydropicis auxiliari prodiderunt, quippe quæ vrinas moueant. Alij ipſarum alas ac pedes iis qui illas hauſerint pro antidoto eſſe tradiderunt.

De Salamandra. CAP. LXVII.

SALAMANDRA, lacertæ genus eſt, iners, varium, quódque fruſtra creditum eſt ignibus non vri. Vim habet ſepticam, exulcerantem, ac denique calfactoriam. Additur in medicamenta ſeptica & lepras abolentia, quemadmodum & cantharis: ac ſimili quoque modo reponitur. Vſta verò, pilos cum oleo abolet. Cæterùm exenterata, detractis pedibus & capite, in melle ſeruatur ad eundem vſum.

De Araneo. CAP. LXVIII.

ARANEVS, quem holcum aut lycon, id eſt, raptorem aut lupum alij nominant, cum emplaſtro ſubactus & linteolo inductus, ac fronti aut temporibus impoſitus, tertianos circuitus perſanat. Tela eius appoſita, ſanguinem ſiſtit, & vlcera quæ ſummam cutem occuparunt ab inflammationis iniuria vindicat. Eſt & alterum aranei genus, quod candidam, tenuem, denſámque telam orditur. Hoc aluta inuolutum, & de lacerto ſuſpenſum, quartanis circuitibus mederi narratur. Decoctum autem ex roſaceo & infuſum, aurium doloribus auxiliatur.

De Lacerta. CAP. LXIX.

LACERTAE caput tritum & impoſitum, aculeos & omnia corpori infixa extrahit.

hit. Sed & formicantes verrucas & pensiles, quas acrochordonas vocant, clauósque tollit. Iecur ipsius dentium cauernis inditum, dolores eximit. Tota verò dissecta & imposita, ictos à scorpione leuat.

De Sepe. CAP. LXX.

SEPS, quam nonnulli lacertam Chalcidicam vocant, ex vino pota, quos momorderit iis medetur.

De Scinco. CAP. LXXI.

SCINCVS quidam in Ægypto, alius in India, alius ad mare Rubrum gignitur. Est & alius, qui apud Libyam Mauritaniæ fluuium reperitur. Est verò crocodilus terrestris sui generis, qui addito nasturtio sale conditur. Aiunt porrò partem eam quæ renes amplectitur, drachmæ pondere in vino potam, Venerem accēdendi vim habere: attamen lentis decocto cum melle, aut semine lactucæ cum aqua poto intensam illam Veneris cupiditatem inhiberi. In antidota quoque additur.

De Terrenis Vermibus. CAP. LXXII.

TERRENI vermes triti & impositi, præcisos neruos glutinant, ac tertianas quoque soluunt. Decocti verò cum anserino adipe & instillati, affectis auribus medentur. In oleo autem decocti si oppositæ auriculæ infundantur, dentium doloribus

præſtant auxilium. Triti quoque & cum paſſo epoti, vrinas ciunt.

De Mure araneo. CAP. LXXIII.

MVS araneus diſſectus & impoſitus, contra ſuos morſus remedio eſt.

De Muribus. CAP. LXXIIII.

MVRES domeſticos diſſectos ſcorpionum ictibus vtiliter imponi eſt in cõfeſſo: ſi verò inaſſati à pueris in cibo ſumantur, ipſorum oris ſaliuam exiccare.

De Lacte. CAP. LXXV.

LAc generatim omne boni ſucci eſt, corpus alit, ventrem mollit, ſtomachum & inteſtina inflatione vexat: vernum tamen aquatius æſtiuo: & quod è viridi paſcuo eſt, aluum magis emollit. Probatur candidum & æquali craſſitudine, quódque vngui inſtillatum, conglobatur. Aluum minùs tentat caprinum, quoniam capræ aſtringenti pabulo magna ex parte veſcuntur, quercu, lentiſco, frondibus oleaginis, & terebintho: quam ob cauſam ſtomacho etiam euadit accommodatum. Ouillum autem craſſum eſt, dulce ac præpingue: ſed non vſque adeò ſtomacho vtile. At bubulum, aſininum, & equinum, aluum magis ſoluunt, ipſamque turbant. Quibus verò in locis ſcãmonium, veratrum, mercurialis & clematis ſunt pro pabulo, lac omne ventrem ſtomachúmque ſubuer-

imbuerit: quale in Vestinis montibus à nobis obseruatum est. Siquidem capræ veratri albi folia cùm primùm erumpunt depascentes, & ipsæ euomunt, & lac quoque reddunt euertendi stomachi vim habens atque nauseosum. Porrò decoctum lac omne, & id quidem maximè à quo silicum ignitorum vi portio tenuior exhausta est, ventrem astringit, ac omnibus in vniuersum internis exulcerationibus auxiliatur: præsertim verò gutturis, pulmonis, intestinorum, renum, ac vesicæ. Quin & contra summæ cutis pruritus, papularum eruptiones & vitiatos corporis succos recens exhibetur cum melle crudo, addito sale & exigua aqua dilutum. Minùs verò inflat, quodcunque semel feruefactum est. Cæterùm decoctum cum calculis ad dimidias, alui fluxiones vlceratione comitatas adiuuat.

De Sero lactis. CAP. LXXVI.

Lac quodcunque, implicitum habet sibi serum: quod quidem à lacte diuisum, redditur ad purgationem efficacius. Exhibetur porrò quibus citra acrimoniam deiectionem moliri volumus, vti melancholicis, comitialibus, atque in lepra, elephantiasi & papularum toto corpore eruptionibus.

De Schisto lacte. CAP. LXXVII.

Diuiditur autem lac omne, si fictili nouo

ferueat,& ficulneo ramo recèns desecto mo̍ueatur:ac posteaquam bis térve efferbuerit, affundãtur aceti mulsi totidem cyathi,quot sunt heminæ lactis: ita enim discedit serum ab eo quod caseosum est. Sed oportebit vt ne lac feruendo circunfundatur, inter coquendum continenter spongia ex frigida fictilis labrum detergere, sextariúmque argenteum frigidæ aquæ plenum demittere. Bibitur porrò serum heminis per interualla singulis vsque ad quinas, ita vt intercedentibus spatiis potantes deambulent. Lac autem recens,etiam efficax est contra rosiones & inflammationes à medicamentis exitialibus factas, vti à cantharide, pinorum eruca,salamandra,aut bupreste, auripigmento, dorycnio, aconito, aut ephemero. Ad hoc verò priuatim bubulum maximè confert. Gargarizatur & ad oris ac tonsillarum exulcerationes. Asininum verò peculiariter ore collutum, gingiuas dentésque stabilit. Fluxiones autem alui vlceratione comitatas ac tenesmos, ouillum, bubulum, aut caprinum candentium silicum ope decoctum, sistit. Quinetiam per se & cum hordeàcea ptissana aut chondri cremore infusum, rosiones intestinorum magnoperè mitigat: exulceratæ quoque vuluæ infunditur.

De

De Lacte muliebri. CAP. LXXVIII.

Lac muliebre dulcissimum est, & maximè alit. Mammis exuctum, prodest ad stomachi rosionem ac tabem: valet & contra haustum leporem marinum. Thuris verò pollini admixtum, oculis ab ictu cruore suffusis instillatur. Podagricis quoque vtile est, cum meconio & cerato illitum. Cæterùm lac omne contrarium spleneticis, hepaticis, vertiginosis, comitialibus, neruorum vitio laborantibus, febres habentibus & capite dolentibus: nisi si quis purgationis gratia, vti demonstratum est, schistum exhibeat. Sunt qui narrent lac primiparæ canis perunctum pilos abolere, ac potum contra venena antidoti vicem obtinere, necnon & mortuos fœtus eiicere.

De Caseo recenti. CAP. LXXIX.

CASEVS recens ac minimè salsus in cibo sumptus, probè alit, stomacho vtilis est, ac facilè in membra distribuitur: corpus auget, aluúmque moderatè mollit: alius tamen alio præstantior est, pro natura lactis è quo conficitur. Decoctus autem & expressus, dein inassatus, aluum sistendi vim acquirit: prodest verò impositus oculorum inflammationibus atque sugillatis. At qui recens salitus est, si comedatur, minus alimenti præbet, ad minuendum corpus idoneus

est, stomacho aduersatur, aluum denique & interanea offendit. Vetustior, aluum sistit. Cæterùm quod è caseo manauit serum, canes quàm optimè alit.

De Hippace. CAP. LXXX.

Quod Hippacen vocant, caseus est equinus: qui quidem virus redolet, at magnoperè alit, bubulo proportione respōdens. Sunt tamen qui equinum coagulum hippacen appellauerint.

De Butyro & eius fuligine.
CAP. LXXXI.

LAVDABILE paratur Butyrum è lacte pinguissimo, quale ouillum est: fit & ex caprino, agitato in vasis lacte, donec pingue separetur. Molliendi facultate prębitum est, vímque habet olei: vnde & largiùs epotum, & aluum relaxat, & contra venena, si desit oleum, vsurpatur. Cum melle affrictum, dentitiones adiuuat, gingiuarum pruritus in infantibus & oris vlcera emendat. Foris verò illitum, corpus reddit habitius, & à psydraciis tuetur atque conseruat. Est & efficax contra inflammationes ac duritias vuluæ, quod certè quidem neque putidum neque vetustum fuerit: ad dysenterias quoque & coli vlcerationem infunditur. Denique in suppuratoria medicamenta vtiliter additur: maximè verò in neruorum, meningum, vesicæ,

ſicæ ac ceruicis vulneribus. Illud ipſum replet, purgat, & carnem creat: necnon & ab aſpide commorſis impoſitum prodeſt. Recens etiam opſoniis pro oleo ammiſcetur, vti & placentis adipis vice. Colligitur verò è butyro fuligo hunc in modum: In lucernam nouam infuſum butyrum accendito, & vbi operculaueris, fictili in modum ſiphunculi facto & supernè quidem anguſto, ima verò parte foramina clibani inſtar habẽte cremari ſinito: ac vbi primum abſumptum fuerit butyrum, aliud ſubinde affundito, dum fuliginis quantum deſideras coaceruaueris: tandem penna deradito, ac vtitor. In medicamentis oculorum vim habet exiccandi & adſtringendi: fluxiones verò cohibet, & vlcera celeriter ad cicatricem perducit.

De Lanis. CAP. LXXXII.

LANAE ſuccidæ molles è collo feminibúſque, laudatiſſimæ. Subueniunt inter initia vulneribus, contuſis, deſquamatis, liuidis, & oſſium fracturis, aceto & oleo aut vino imbutæ. Siquidẽ liquores facilè combibunt quibus immerguntur, & propter adhærentes ſordes (œſypum vocant) emolliendi vim habent. Efficaces quoque ſunt ad capitis, ſtomachi & alius cuiuſuis partis dolores, ſi cum aceto & roſacco imponantur.

De Lanis vstis. CAP. LXXXIII.

Crematæ verò lanæ, cruſtas inducendi, carnis excreſcentias cohibendi, vlceráque ad cicatricem perducendi vim habent. Porrò mundæ & carptæ in fictili crudo cæterorum more vruntur: quin & ad eundem modum lanæ marina purpura infectæ tomenta cremari ſolent. Nonnulli verò cum ſordibus lanas carminant, quas poſteaquàm melle irrigarunt, ſimiliter vrunt. Alij in fictili oris patuli verucula inter ſe diſtantia diſponunt, ac tenues tædarum aſſulas inſternunt: ſupra has verò lanas ipſas componunt carptas & oleo ita imbutas, vt ne tamen deſtillent, rurſúmque aſſulas & lanas viciſſim interſternunt: tandem leuiter tædas ſuccendunt, vſtúmque cinerem tollunt. Quòd ſi qua pinguitudo aut pix è tæda defluxit, ſimul & ſemel collecta reconditur. Cæterùm lauatur ille lanarum cinis ad oculorum medicamenta, in fictili labello addita aqua & manibus vehementiùs conturbata: cúmque ſubſederit cinis, aqua effunditur, ac rurſum affunditur alia, paritérque conturbatur: tandiúque id fit, donec is admotus linguę minimè mordeat, ſed quodammodo aſtringat.

De OEſypo. CAP. LXXXIIII.

OEſypum dicitur, è ſuccidis lanis colle-

cta

ćta pinguitudo: quam ſic præparabis. Lanas ſumito molles, ſuccidas, radicula non curatas, & aqua calida eluito, ſimúlque ſorditiē omnem exprimito. Hanc in labellum oris ampli coniicito: ac vbi aquam affuderis, ligula grandiorive cochleari magno impetu refundito ex alto demittēs, dum ſpumeſcat: aut rude lignea validiuſculè conturbato, dū multa & ſordida ſpuma colligatur: deinde marina reſpergito. Atq; vbi cōſederit quod ſupernatabat pingue, in alterum vas fictile recipito: & affuſa in labellum aqua hāc denuò agita, túmque marina ſpumam perfundito, ac demum excipito. Hoc tantiſper facito, dum conſumpta pinguitudine non ampliùs ſpuma ſuperſit. Collectum porrò œſypum vbi manu ſubegeris, confeſtim, ſi qua inſedit ſpurcitia, hanc tollito: guttatímque excluſa priore aqua, aliam affundito, & manu miſceto, donec admotum linguæ œſypum minimè mordeat, ſed quodammodo aſtringat, ac pingue, purum, candidúmque appareat: tandem in fictili vaſe ita condito. Verùm hæc omnia æſtiuo ſole fiant. Nonnulli excolatum pingue frigida aqua eluunt, & manibus, non ſecus atque ceratum mulieres, confricant: ita enim candidius redditur. Alij poſtquam lanas lauerunt, ſordéſque expreſſerunt, has in lebete

lento igni ex aqua decoquunt, & collectum pingue quod ſupernatat aqua, vti dictum eſt, eluunt, excolatúmque in fictilem patellam, quæ calidam aquam contineat, lineo panno operculant & Soli exponunt, donec ſat craſſum candidúmque euadat. Nonnulli denique poſt biduum effuſa priore aqua, aliam affundunt. Præſtantius eſt, è lanis radicula non curatis, læue, lanarum ſuccidarum virus olens, quódque, dum in concha cum aqua frigida manu fricatur, albeſcit, nihílque in ſe durum aut compactum habet: veluti quod cerato aut adipe adulteratur. Porrò vim habet excalfaciendi, emolliendi, & vlcera explendi: maximè verò ſedis ac vuluæ, cum meliloto & butyro: in vellere appoſitum, partus & menſes euocat: valet & ad vlcera tum aurium, tum etiam genitalium, cum anſerino adipe. Eſt & efficax ad arroſos ſcabioſóſque oculorum angulos, itémque genas calloſas ac ciliorum defluuio laborantes. Cæterùm in teſta noua torretur œſypum, dum in cineres redactum pinguitudinem amittat. Ex ipſo quoque fuligo colligitur eo quo demonſtrauimus modo, quæ ad oculorum medicamenta conuenienter additur.

De Coagulo. CAP. LXXXV.

LEPORIS coagulum ternûm obolorum pondere ex vino, confert ad venenatarum bestiarum morsus, itémque cœliacis, dysentericis, ac fœminis fluxione ab vtero laborantibus: quin & in grumos concreto sanguini, ac eiusdem à pectore reiectionibus auxiliatur. Post menstruam purgationem [& paulò ante coitum] vuluæ cum butyro appositum, conceptionem adiuuat: potum verò idem, partus enecat, & à purgatione menstrua præstat mulieribus vt ne concipiant. At equi coagulum, nonnullis hippace dictum, priuatim cœliacis dysentericísque conuenit. Hœdi verò, agni & hinnuli, dorcadis, platycerotis, dorci ac cerui, itémque vituli ac bubali coagula similibus sunt prædita viribus: siquidem contra haustum aconitum ex vino, & ad concretum lac ex aceto conuenienter assumuntur. Priuatim autem hinnuli coagulum subditum à purgationibus ad triduum, conceptum impedit. Verùm marini vituli coagulum, pares castoreo vires obtinet: maximè verò comitialibus & vuluæ strangulationibus in potu conferre creditur. Porrò marini vituli coagulum hoc experimẽto deprehenditur. Sumito alicuius alterius animantis, præcipuè verò agni, coagulum, & affusa aqua pau-

liſper dimittito : tùm poſtea aquam, in qua illud maduerit, vituli marini coagulo ſuperinfundito. Quod enim ſincerum ac legitimum fuerit, illico in aquam liqueſcet: quod tale non fuerit, ſimile ſibi permanebit. Excipitur autem vituli marini coagulum, catulis qui nondum vnà cum matribus natare poſſunt. Cæterùm in vniuerſum Coagulum omne diſſipata cogit, & coagulata ſoluit.

De Adipe. CAP. LXXXVI.

ADEPS anſerinus aut gallinaceus recẽs & ſine ſale inueteratus, ad vuluæ vitia proficit. At ſale conditus, quíque acrimoniam vetuſtate contraxit, vuluæ inimicus eſt. Horum quempiam recentem membranulis exemptis in nouam fictilem ollam coniicito, quæ duplo tantundem capiat, quantum eſt eius adipis quem curari oporteat. Dein vbi acerrimo Soli vas diligenter operculatum expoſueris, eliqueſcentem inde humorem in alterum fictile vas excolato, dum quidquid eſt adipis abſumptum fuerit: mox eum liquorem loco vehementer frigido ad vſum recondito. Sunt qui inſolationis vice, ſupra calidam aquam, aut ſuper tenui & elanguida pruna, ollam collocant. Eſt & alia curandi ratio huiuſmodi: Exemptis membranis teritur adeps, & in ol-

lam

iam coniectus eliquatur, insuper asperso minuti salis momēto: dein lineo colo transfusus reponitur. Talis porrò in ea medicamenta vtiliter additur, quæ lassitudines & fatigationes leuant.

De Suillo & Vrsino adipe.
Cap. LXXXVII.

Suillus autem & vrsinus adeps hoc curantur modo: Sumito recentem ac præpinguem, qualis is est qui renibus detrahitur: & in largiorem aquam cœlestem quàm frigidissimam exemptis pelliculis immittito, manibúsque terito, ipsum accuratè fricans ac veluti distringens: deinde vbi noua aqua subinde ablueris, in ollam fictilem duplę capacitatis indito: atque affusa aqua quæ adipem superet, supra leues prunas ponito, & spatha misceto. Postquam verò eliquatus fuerit, ipsum colo in aquam transfundito, sinitóque refrigescere: tùm diligenter exclusa guttatim omni aqua, in ollam aliam priùs elotam rursum demittito, & infusa aqua sensim eliquato. Inde detractum, vbi fæcem paulisper subsidere permiseris, in pilam spongia madefactam defundito. Ac vbi concreuerit, detractis quæ in imo resident sordibus, tertiò tandem citra aquam eliquato, & translatum posteà in pilam repurgatúmque in fictile vas iniicito, quod opercu-

latum loco per quàm frigido reponatur.

De seuo hircino, ouillo & ceruino.

CAP. LXXXVIII.

Hircinum, ouillum, insupérque ceruinum seuum ita curare oportet: Ex his quodlibet sumito, quale antè dictum est, & lotum, tunicis, vt in suilli mẽtione dictum est, exemptis, indito pilæ vti subigatur & mollescat, atque affusa paulatim aqua fricato: dum neque sanguinolẽtum quicquam excernatur, neque pinguitudo supernatet, sed illa nitida limpidáque spectetur. Postmodùm vbi in fictilem ollam conieceris, ac insuper aquam addideris vt superemineat, leui prunæ indito & agitato. Vbi verò totum liquatum fuerit, ac translatum in aquam refrixerit, iterum in loto fictili eliquato, & quæ antè diximus similiter facito. Tùm vbi tertiò citra aquam liquefeceris, in pilam liquore perfusam excolato, refrigeratúmque, vti de suillo dictum est, recondito.

De seuo bubulo. CAP. LXXXIX.

Bubulo quoque seuo renibus maximè detracto eximendæ pelliculæ, ipsúmque aqua marina ex alto petita eluendum: mox in pilam coniectum diligenter tundendum, aspersa maris aqua. Cùm verò totum dissolutum fuerit, in fictilem ollam immittendum, & affusa aqua marina quæ non infra

dodran-

dodrantem ſuperemineat, coquendum, donec proprium odorem amiſerit. Deinde ad ſingulas ſeu Atticas minas, ceræ Tyrrhenicæ quaternæ drachmæ iniiciendæ. Excolatum, detracta quæ in fundo reſidet immunditie, in ollam nouam reponendum: tandem opertum Soli quotidie exponendum, vt putido odore abolito ad candorem reducatur.

De Adipe taurino, pantherino ac leonino.

CAP. XC.

Taurinum verò ſeuum ſic curari debet: Hoc quoque recēs ac renibus euulſum profluente amnis aqua abluito, detractiſque tunicis in ollam fictilem nouam indito, & inſperſō exiguo ſale liquefacito: deinde in aquam pellucidam excolato. Ac vbi concreſcere cœperit, iterum manibus valdè confricando eluito, aqua ſubinde effuſa refuſaque, dum probè lotum fuerit. Rurſum in ollam coniectum cum pari modo vini odorati decoquito. Et cùm ſecundo efferbuerit, ſublata ab igni olla ibidem ſeuum pernoctare ſinito. Poſtridie ſiqua graueolentia ſuperſit, in alteram ollam nouam tranſlatum odorato vino perfundito, ac eadem quæ priùs facito, donec omne odoris virus euanuerit. Liquatur & ſine ſale, ad nonnullos præſertim affectus, quibus ſal aduerſari ſolet: ſed

ita præparatum non magnoperè albeſcit. Eodem quoque modo pantherina & leonina, aprugna, camelina & equina, híſque ſimilia pinguia pręparari oportet.

Quomodo pingue odoramentis imbuendum ſit.

CAP. XCI.

Vitulinum autem ac taurinum pingue, nec non ceruinum, atque etiam huius animalis medulla odoramẽtis imbuũtur hunc in modum: Pingue quod odoratum reddi debet, demptis membranis quo diximus modo elotum, ac vino odorato nulla maris aqua diluto feruefactum, tandem ab igne tollito, ac inibi pernoctare ſinito. Tùm altero eiuſdem generis vino ac eadem qua priùs menſura affuſo, ipſum colliquato, & accuratè defæcato: mox nouem eius heminis iunci Arabici drachmas ſeptem adiicito. Quòd ſi ipſum flagrantioris odoris fieri voles, quadraginta floris eiuſdem drachmas ſuperaddito, cum palmæ, caſsiæ & calami totidem ſingulorum drachmis: aſpalathi & xylobalſami, ana drachma vna: adde & cinnamomi, cardamomi, nardi, ana vnciam vnam. Omnia verò minutiùs contundantur: deinde affuſo vino odorato, vas operculatum ſupra carbones firmiter collo cato, ac ter omnia conferuefacito: túmque vas ab igni ſemotum pernoctare ſinito. Poſtridie

vino

vino effuſo, nouóque generis eiuſdem addito, ter ſimili modo conferuefacito atque dimittito. Manè verò, exempto pingui vinum effundito, & abluto vaſe, purgatóque quod imo ſubſidens hæſerat, ipſum eliquato: poſtremò excolatum ad vſus recondito. Hoc eodem modo imbuitur odoramentis, quod anteà curatum eſt. Verùm antedicta pinguia in ſequentem modum priùs inſpiſſari par eſt, quò faciliùs odoramentorum vires in ſe recipiant. Itaque aſſumens quodcunque horum volueris, cum vino feruefacito, ſimul immiſſo myrti ramulo, ſerpyllo ac cypero, inſupérque aſpalatho exactiùs tuſo. Aliqui tamen ad hunc vſum vno duntaxat horum contenti ſunt. Cum autem tertiò efferbuerit, leniter exemptum & linteo transfuſum, odoramentis, vti demonſtratum eſt, imbuito. Sed & adipes ita quoque priùs inſpiſſantur. Adipem quencunque volueris recentem, ſanguinis expertem, aliáſque habentem notas quas ſæpe retulimus vbi contuderis, in ollam nouam iniicito: & infuſo vino albo odorato vetere quod digitorum octo altitudinem ſuperet, igni lento conferuefacito, donec odorem natiuum depoſuerit, ac vinum potiùs redoleat. At vbi depoſito vaſe refrixerit, duas adipis minas eximito, & in ollam mittito,

adiicitóque vini eiuſdem heminas quatuor, ſeminis loti (eius inquam, cuius ligno tibiarum artifices vtuntur) tuſi minas quatuor, ac lento igni identidem agitando coquito. Cùm autem adipoſam graueolétiam omnem penitus depoſuerit, excolatum refrigerari ſinito. Tùm ſumito aſpalathi tuſi minam vnam, amaracini floris minas quatuor, ac vino vetere ſubigito, ſinitóque noctem vnam combibere. Poſtridie in óllam fictilem nouam tricongialem ea ſimulque adipem demittito, & addito vini dimidio congio ſimul omnia feruefacito. Pòſt vbi ſpiſſamentorum omnium vim & odorem adeps aſciuerit, igni detractum excolatúmque refrigerato ac reponito. Quòd ſi odoratiorem reddere volueris, myrrhæ pinguiſſimæ drachmas octo vino multorum annorum dilutas ammiſceto. Gallinaceum autem & anſerinum adipem ita poſſis odoribus imbuere: Cuiuſuis eorum curati heminas quatuor ſumito, & olla teſtacea excipito: ac cryſiſceptri, xylobalſami, inſupérque palmę elatę & calami exactè tuſi, ana drachmas XII admiſceto: adiectóque vini Lesbij veteris cyatho vno, prunis admoueto, ac ter conferuefacito: mox vaſe ſublato ab igne, quæ in eo ſunt diem vnam noctémque refrigerari ſinito. Poſtridie liquata per pannum li-

num lineum mundum in vas nitidum excolato. Vbi verò coierit adeps, concha exemptum in fictile vas nouum coniicito, quod arctè operculatum loco perquàm frigido reponatur. Cæterùm hæc hyberno tempore peragenda ſunt: neque enim æſtate adeps concreſcit. Sunt qui quò faciliùs omnia coeant atque concreſcant, ceræ Tyrrhenicæ momentum admiſcent. Eadem verò arte ſuillus adeps & vrſinus, cæteríque id genus, odoramentis imbuuntur.

Quomodo adeps ſampſuchi odore imbuatur.
CAP. XCII.

Porrò ſampſuchi odore adeps imbuitur hoc modo: Bene curati adipis, præſertímque taurini, minam vnam ſumito, & ſampſuchi maturi accuratè contuſi ſeſquiminam miſceto: atque inſperſo largiore vino offas conformato, eáſque in vaſe operto repoſitas pernoctare ſinito. Matutinò in fictilem ollam iniectas affuſa aqua leuiter coquito: cúmque ſuum odorem adeps exuerit, ipſum excolatum ac probè operculatum noctem totam quieſcere ſinito. Poſtero die paſtillum eximito, ac deterſa ſorde quę fundum petierat, iterum ſampſuchi contuſi, vti dictum eſt, ſeſquiminam aliam adiicito, ſimilitérque in offas cogito. Aliis quoque quæ antè diximus peractis, decoquito &

colo traiicito:ac detracta si qua fundo hæsit spurcitia, loco perfrigido reponito.

De Adipe Anserino & Gallinaceo.
Cap. XCIII.

At si quis incuratum adipem anserinum, gallinaceum, aut vitulinum, à putredine tueri velit, ita faciendum est: Ex his assumptum recentem quemuis adipem diligenter eluito, & supra cribrum in vmbra perflandum aëri exponito: ac vbi siccatus fuerit, in linteum mundum iniicito, & manibus vehementer exprimito: dein lino traiectum vmbroso in loco suspendito, & post multos dies noua charta inuolutum loco perfrigido recondito. In melle quoque asseruata pinguia, imputria permanent.

Adipum Vis. Cap. XCIIII.

Vim habent adipes omnes excalfaciendi, molliendi atque rarefaciendi. Taurinus tamen adeps, itémque bubulus ac vitulinus, quodammodo astringunt: ad hos proximè accedit leoninus, quem aiunt etiam insidiantibus resistere. Elephantinus verò ac ceruinus peruncti, serpentes fugant. At caprinus, astringentior: qua ex causa cum polenta, rhoë & caseo decoctus, dysentericis, exhibetur, & cum ptissanæ succo infunditur. Ipsorum quoque ius phthisicis in sorbitione prodest, ac iis etiamnum qui can-

tharidas hauſerunt vtiliter datur. Hircinus porrò, vt qui validiſſimè diſcutiat, podagricis auxiliatur, cùm caprinis baccis & croco ſubactus & impoſitus. Sed & huic quoque ouillus proportione reſpondet. Suillus autem, ad vuluæ ſedíſque vitia accommodatur: & igni quoque ambuſtis conuenit. Idem ſale conditus & quàm vetuſtiſſimus, excalfacit & emollit: vino verò lotus, pleuriticis prodeſt. At cinere aut calce exceptus, tum œdematis, tum inflammationibus ac fiſtulis conuenit. Aſininum autem tradunt cicatrices corpori concolores reddere. Porrò anſerinus & gallinaceus, muliebribus malis conueniunt, nec non etiam ad labiorum rimas, ad curandam faciei cutem, & contra aurium dolores. Vrſinus verò, alopeciis capillos reſtituere creditur, ac pernionibus quoque ſubuenit. At vulpinus, medetur aurium doloribus. Fluuiatiliũ autem piſcium adeps, inunctis oculis claritatem affert, ſi quidem in ſole liquatus mellíque admiſtus fuerit. Viperinus verò, contra oculorum hebetudines ac ſuffuſiones etiam efficax eſt, additis cedriæ, mellis Attici & olei veteris æquis partibus. At pilos abolet alis euulſos, ſi recens ac per ſe ad radicum veſtigia illinatur.

De Medullis. CAP. XCV.

EX medullis laudatissima est ceruina: mox vitulina: post hanc taurina, deinde caprina & ouilla. Colliguntur verò æstatis ea parte quæ autumno proxima est: aliis enim anni temporibus, sanguinis concrementum & veluti caro friabilis in ossibus reperitur: sed neque facilè dignoscitur, nisi ab eo qui ipsam ossibus extraxerit atque reposuerit. Omnes porrò medullæ molliunt, rarefaciunt, ad apotherapiam valent, & vlcera explent. Ceruina verò peruncta, venenatas quoque bestias fugat. Curatur autem recens, selectis ossibus adipis in modum: nam & affusa aqua primùm subigitur, deinde per linteum excolatur, ac similiter eluitur, donec aqua pura conspiciatur. Postmodùm in duplici vase liquatur, excepta sorde penna, si qua innatet, & in pilam transfunditur: posteaquàm verò coierit, fæce quæ subsidet accuratè derasa, in fictili vase nouo reponitur. Quòd si libet incuratam recondere, eadem omnia facito, quæ de gallinaceo & anserino adipe demonstrauimus.

De omni fellis genere. CAP. XCVI.

FEL omne reconditur hoc modo: Acceptum recens, vbi os folliculi lino præligaueris, in aquam feruẽtem deponito, tandiúque dimittito, dum quis trium stadiorum spar-

rum ſpatium conficeret: dein exemptum ſiccato loco vmbroſo ac minimè humecto. Sed quod ad oculorum medicamenta placebit adiicere, lineo filo deligatum in lagenulam vitream, quæ mel habeat, immittito: & circa lagenulę oſculum obligato fili principio, operculum addito atque recondito. Omnia porrò fellis genera acria ſunt & excalfaciunt: maioris tamen minorísve efficaciæ ratione inter ſeſe differunt. Siquidem pręſtantioris effectus eſſe videntur fella marini ſcorpij, piſcis qui callionymus dicitur, marinæ teſtudinis & hyænæ: itémque perdicis, aquilæ, gallinæ candidæ, & capræ ſylueſtris: quod quidem priuatim confert ad incipientes ſuffuſiones, caligines, argema & genarum ſcabritias. Ouillo, hircino, ſuillo, atque etiam vrſino taurinum efficacius. Omnia verò aluum ad deiectionem inuitant, præſertim infantibus, ſi quis eo intinctum lanæ tomentum ſedi admoueat. Priuatim taurino anginoſi cum melle perunguntur, ac ſedis vlcera etiam perſanantur, & ad cicatricem vſque perducuntur. Medetur & purulentis auribus, earúmque fracturis cum lacte caprino aut muliebri: earundem verò ſibilo, cum porri ſucco inſtillatum. Ammiſcetur quoque vulnerariis emplaſtris, & circumlitionibus quæ contra venenata paran-

tur. Phagedænicis etiam vlceribus, ac pudendi ſcrotíque doloribus ex melle prodeſt. Lepras etiamnum ac furfures cum nitro aut terra Cimolia exterit potentiſſimè. Ouillum & vrſinum, contra eadem pollent, ſed inefficaciora ſunt: ac vrſinum quidem eclegmate ſeu linctu comitiales adiuuat. At verò fel teſtudinis valet ad anginas & in ore infantium nomas: idem naribus inditum, comitialibus prodeſt. Syluestris capræ felle perunćto peculiariter luſcioſi ſanãtur. Hircinum idem præſtat, thymiáque abolet, & luxuriantes elephanticorum extuberationes illitu reprimit. Suillum autem, contra aurium vlcera cæteráque omnia vtiliter vſurpatur.

De Sanguinis varijs generibus.

CAP. XCVII.

SANGVIS anſeris, anatis & hœdi vtiliter in antidota miſcetur. Palumbi autem, turturis, columbæ ac perdicis, recentibus oculorum vulneribus: iiſdem ſigillatis ſeu ſanguine ſuffuſis, ac luſcioſis illinitur. Peculiariter verò columbæ ſanguis, erumpentem è meningibus ſanguinem inhibet. Hirci autem, capræ, cerui & leporis ſanguis in aſſatus ſartagine & aſſumptus, dyſenterias & cœliacorum profluuia ſiſtit. In vino verò potus, contra toxica efficax eſt. Leporinus

calens

calens adhuc illitus, faciei maculas à Solis ardore contractas & lentigines emendat. Caninus commodè propinatur à cane rabioso demorsis, iisque qui toxicum hauserint. Testudinis, terrestris epotum sanguinem tradunt prodesse comitialibus. Marinæ autem testudinis, cum vino, leporis coagulo & cumino potus, contra venenatarum bestiarum morsus & hausta rubetæ venena conuenit. Taurinus cum polenta impositus, duritias discutit emollítque. At equorum admissariorum sanguis, in septica seu erodentia pharmaca additur. Chamæleonis autem, similitérque viridium ranarum sanguine palpebrarum pilos aboleri creditum est. Menstruus verò fœminæ sanguis, existimatur circumlitu præstare ne concipiant mulieres, itémque si eum ipsę supergrediantur. Cæterùm illitus, leuat podagræ dolores & erysipelata.

De Fimo. CAP. XCVIII.

ARMENTALIS bouis fimus, si recens admoueatur, inflammationes ex vulneribus lenit: foliis autem inuoluitur, & cinere feruenti calefit, atquę ita imponitur. Simili quoque modo applicitus vice fotus, coxendicis cruciatus compescit. Ex aceto verò illitus, duritias, strumas & panos discutit. Priuatim verò bouis masculi fimus, pro-

lapſum vterum ſuffitu reſtituit: accenſi quoque nidore culices abiguntur. Caprarum, præſertímque in montibus degentium, baccæ ex vino bibitæ, regium morbum emendant: cum aromatibus verò potæ, menſes ciunt, & partus euocant. Siccæ tritæque & cum thure in vellere appoſitæ, fluxum muliebrem cohibent, aliáſque ſanguinis eruptiones ex aceto compeſcunt. Vſtæ & cum aceto aut oxymelite illitæ, alopeciis medentur. Cum axungia verò adhibitæ, podagricis ſunt auxilio. In aceto aut vino decoctæ, ſerpentium morſibus, herpetibus, eryſipelatis & parotidibus imponuntur. Quin & iſchiadicis vſtio earum ope adminiſtratur vtiliter hunc in modum: In eo cauo quod eſt inter pollicem & indicem, qua parte pollex carpo committitur, lana oleo imbuta priùs ſubſternitur, ac deinde ſingulatim imponuntur fimi caprini feruentes pilulæ, donec ſenſus per brachium ad coxendicem perueniat, dolorémque mitiget: atque aduſtio eiuſmodi, Arabica appellatur. At verò ſtercus ouillum ex aceto impoſitum, ſanat epinyctidas, clauos, thymos & penſiles verrucas: itémque ambuſta igni, cerato roſaceo exceptum. Aprugnum autem aridum in aqua aut vino potum, ſanguinis reiectionem ſiſtit, ac diuturnum ſedat lateris dolorem: ſed ad

rupta

rupta & conuulſa ex aceto bibitur: luxatis verò exceptũ cerato roſaceo medetur. Porrò tam aſinorum quàm equorum fimum, ſiue crudum, ſiue crematum, addito aceto ſanguinis eruptiones cohibet. Armentinorum verò qui herba paſcuntur ſiccum fimum, inſuccatum vino, mox bibitum, à ſcorpione ictis magnoperè auxiliatur. Columbinum, quoniam vehementiùs & excalfacit & vrit, hordeaceæ farinæ vtiliter admiſcetur, & ex aceto quidem, ſtrumas diſcutit: carbunculos verò emarginat, cum melle, lini ſemine & oleo tritum: necnon etiam ambuſtis igni medetur. Gallinaceum hæc eadem, ſed inefficaciùs præſtat. Priuatim tamen contra lethales fungos & coli cruciatus confert, ſi ex aceto aut vino bibatur. Ciconię verò fimum ex aqua potum, comitialibus prodeſſe creditur. At vulturinum ſuffumigatum, partum excutere traditur. Murinum autem tritum cum aceto & illitum, alopeciis medetur: cum thure verò & mulſo potum, calculos expellit. Sed & ſubditæ infantibus muſcerdæ, aluum ad deiectionem ſtimulant. Caninum ſtercus, quod per Caniculæ ardores exceptum fuerit, aridum cum vino aut aqua potum, aluum cohibet. At humanum recens impoſitum, vulnera ab inflammatione vindicat, ſimul & aggluti-

nat. Siccum verò cum melle perunctum, anginosis auxiliari traditur. Terrestris autem crocodili fimum, mulieribus confert ad colorandam illustrandámque faciem. Optimum verò, quod candidissimum & friabile, amyli modo leue, in humore statim eliquescens: quódque cum teritur subacidum est, fermentúmque redolet. Sunt qui id vendant adulteratum fimo non dissimuli sturnorum, quos oryza pascunt. Alij amylum aut Cimoliam subigunt, & inducto paululum anchusæ colore per rarius cribrum in tabulas exprimunt: mox illud qualecunque est vermiculorum specie siccatum pro terrestris crocodili stercore vendunt. [Cæterùm humanum stercus siccum, cum melle subactum & gutturi impositum, quemadmodum & caninum, anginosis opitulari inter arcana reperimus.]

De Vrinis. CAP. XCIX.

HVMANAM vrinam suam cuique bibere prodest contra viperæ morsus & lethalia pharmaca, incipientémque hydropem. Marinorum verò echinorum, ac scorpionis itidem marini, draconísque ictus, conuenienter ea fouentur. Canina, rabidi canis morsibus perfundendis idonea est: lepras quoque & pruritus nitro addito exterit. Sed vetus, achoras, furfures, psoras & ferui-

& feruidas eruptiones potentiùs extergit: quin & nomas, etiam genitalium, cohibet. Purulentis quoque auribus infusa, pus earum supprimit: sed & in malicorio decocta, vermiculos earum abigit. At impubis pueri absorpta vrina, orthopnoicis confert: decocta verò in æreo vase cum melle, cicatrices, argema & caligines emendat. Quinetiam ex ea & ære Cyprio paratur gluten, auro ferruminando idoneum. Quod autem in vrina subsidit, erysipelata illitu mitigat. Feruefactum cum cyprino & appositum, vteri dolorem demulcet, vuluæ strangulatione vexatas leuat, genas deterget, & oculorum cicatrices expurgat. Taurinum lotium cum myrrha tritum & instillatum, dolores aurium lenit. Aprinum iisdem viribus preditum est: sed peculiariter vesicæ calculos potu comminuit & expellit. Caprinum traditur ad aquam quæ cutem subiit, cum spica nardi & aquæ binis cyathis quotidie bibitum, vrinas & aluum ducere: instillatum verò, aurium mederi doloribus. Cæterùm nephriticos ferunt asinino sanari.

De Lyncurio. Cap. C.

Lyncis vrinam, quam Lyncurium appellant, simulatque meitur lapidescere frustrà creditum est: quare vana quoque est & inutilis quæ de eo fertur historia. Est enim

quod à nonnullis vocatur ſuccinum ptery-
gophoron, ideò dictum quòd pennas ad ſe
alliciat. Id potum ex aqua, ſtomacho aluó-
que fluxione laboranti conuenit.

De Melle. CAP. CI.

PRINCIPEM locum obtinet mel Atticum, quod ab Atticæ regionis monte Hymetto, in quo prouenit, Hymettium appellatur: mox quod è Cycladibus inſulis petitur: itémque quod è Sicilia, cognomine Hyblæum. Magis probatur dulcius & acre, odoratius, ſubflauum, minimè liquidum, ſed glutinoſum ac tenax, quódque dum trahitur [ob ſequacem lentitiam] in digitos veluti reſilit. Porrò abſtergendi vim habet, ora vaſorum aperit, humores euocat: qua ratione in ſordida vlcera ſinúſque commodè infunditur. Decoctum atque impoſitum, diſiunctas diuulſáſve partes agglutinat: lichenibus quoque medetur, coctum cum liquido alumine & illitum. Itémque aurium ſonitui & dolori cum ſale foſſili trito tepidum inſtillatur: pediculos ac lendes illitum enecat: verpis ſeu curtis glandem quæ citra circuncisionem nudata ſit in integrum reſtituit, ſi melle præputium à balneo potiſſimùm ad dies triginta emolliatur: depurgat quæ pupillis tenebras offundunt: gutturis etiamnum ac tonſillarum inflammationibus

& anginis

& anginis medetur, seu illitum, seu etiam gargarizatum. Vrinas quoque ciet, tussíque auxiliatur, & iis quos serpentes momorderint, itémque contra haustum meconium, si cum rosaceo calidum assumatur. Quin & contra fungorum maleficia & rabiosi canis morsus delinctum potúmve proficit. Attamen crudum, aluum inflat & tussim irritat: qua de causa despumato vtendum est. Cæterùm primas tenet vernum, deinde æstiuum. Hybernum verò, quippe quod sit crassius, deterius censetur, papulísque cutem exasperat.

De Melle Sardoo. CAP. CII.

Quod in Sardinia gignitur mel, amarum est: quoniam apes inibi absinthio vescantur. Tum à Solis ardore contractis, tum & aliis faciei maculis conuenienter illinitur.

De Melle Pontico. CAP. CIII.

Heracleę in Ponto quibusdam anni temporibus ex propria quorundam florum vi mel conflatur, quod quidem eos qui edêre de mentis statu dimouet, cum sudoris copiosi profusione. Sed iuuantur, si rutam & salsamenta esitarint, mulsúmque ebiberint, eadémque toties resumpserint, quoties vomitione reiicientur. Acre autem est, & olfactu sternutamenta mouet. Cum costo illitum, maculas à sole contractas emendat: at

cum ſale, ſugillata tollit.

De Sacchar. CAP. CIIII.

EST & quoddam mellis concreti genus, quod ſaccharum nominatur, quódque in India & fœlici Arabia in arundinibus reperitur, conſiſtentia ſali ſimile, ac dentibus etiam ſalis modo fragile. Eſt illud aluo idoneum & ſtomacho vtile, ſi aqua dilutum bibatur: vexatæ verò veſicæ renibúſque auxiliatur: quin & illitum, ea diſcutit quæ pupillis tenebras offundunt.

De Cera. CAP. CV.

CERA optima eſt ſubfulua, ſubpinguis, odorata & halitum quadantenus melleum referens, inſupérque pura, & natione Pontica aut Cretica. Secundum locum obtinet, exalbida & ſuapte natura pinguis. Candida verò redditur hoc modo: In eo genere quæ candidior puriórque fuerit, conciſam in ollam nouam transfundito, & affuſa quanta ſatis ſit aqua marina ex alto petita coquito, inſperſo etiamnum nitri momento. Cúmque iterum tertióve efferbuerit, remota olla refrigerari ſinito. Tùm verò ceræ paſtillum eximito, deraſáque ſorde ſi qua fortè adhæſit, alia addita aqua marina, ſecundò coquito: cúmque cera denuò, vti demonſtratum eſt, inferbuerit, vas ab igne ſummoueto, ac nouæ ollulæ fundum priùs

frigida

frigida madefactum leniter in ceram demittito, paululum duntaxat suspensa manu intingens, vt ipsius quam minimum detrahatur, quò faciliùs per se concrescat. Sublato fundo orbiculum primum auferto, iterúmque vasis imum aqua refrigeratum in ceram immittito, idémque tantisper facito, dum ceram totam exceperis. Tandem filo lineo traiectos orbiculos ita suspendito, vt ne inter se contingant, ac interdiu quidem ipsos assiduè ad solem irrorato, noctu verò Lunæ exponito, dum perfectè albescant. Quòd si ceram candidissimam fieri volueris, identidem eam recoquito: cætera verò omnia eodem modo peragito. Nec desunt qui, pro marina ex alto petita, in muria acerrima semel aut iterum antedicto modo decoquunt: deinde laguncula tenui ac rotunda ansam habente eximunt, posteà orbiculos super densa herba dispositos insolant, donec candidissima euaserit. Præcipiunt verò munus id vere obeundum, quãdo sol remissa vehementia humidum rorem subministrat, vt ne videlicet cera liquescat. Porrò vim habet cera omnis excalfaciendi, emolliendi, ac vlcera mediocriter explendi. Additur etiam in sorbitiones dysentericis: ac eius deglutita milij magnitudine grana decem lac in nutricibus in ca-

ſeum cogi denſaríve prohibent.

De Propoli. CAP. CVI.

Propolis vſurpanda flaua, odorata, ſtyracem referens, in ſumma ariditate mollis, & maſtiches modo ductilis. Vim autem obtinet vehementer excalfaciendi, attrahendi, & aculeos quoque corpori infixos extrahendi. Sed & in vetere tuſſi ſuffita auxiliatur, & lichenas impoſita tollit. Cęterùm circa aluearium oſcula reperitur, ceræ natura ſimilis.

De Tritico. CAP. CVII.

OPTIMA è Tritici generibus ad ſecundæ valetudinis vſum habentur, quę recentia & perfectè adulta colorem luteum referunt: hæc ſequuntur trimeſtria, quæ nonnullis ſitania nominantur. Itaque cruda illa in cibo ſumpta, teretes lumbricos gignunt: commanducata verò & impoſita, commorſis à rabioſo cane auxiliãtur. Confectus eorum ſimilagine panis, pleniùs alit quàm cibarius: qui verò fit è trimeſtrium farina, leuius alimentum præſtat, faciléque in membra digeritur. Farina eorum cum hyoſcyami ſucco cataplaſmatis inſtar imponitur aduerſus neruorum fluxiones & inteſtinorum inflationes: lentigines autem ex aceto mulſo tollit. Furfures in acri aceto decocti & calentes adhibiti, lepras remouẽt, ſuntque

luntque contra omnem incipiẽtem inflammationem vtile & accommodatum cataplaſma. Cocti verò cum rutæ decocto, luxuriantes turgentéſve mammas compeſcunt, & morſis à vipera torminoſiſque cõueniunt. Farinaceum fermentum, calfaciendi extrahendíque vi præditum, priuatim callos in plantis pedum extenuat, & tum alia tubercula, tum etiam furunculos ex ſale maturat atque aperit. Porrò è ſitanio tritico farina, contra venenatorum ictus ex aceto aut vino commodè imponitur. In glutini verò modum decocta ſi delingatur, ſanguinem reiicientibus opitulatur. Contra tuſſim & exaſperatam arteriam cum menta & butyro decocta efficax eſt. Ipſius autem tritici pollen ſi ex aqua mulſa aut hydrelæo decoquatur, omnem diſcutit inflammationem. Sed & panis tum crudus, tum etiam coctus ex aqua mulſa impoſitus, inflammationem omnem demulcet: quippe qui plurimùm emolliat & quadantenus refrigeret, maximè verò ſi herbis ſuccíſve quibuſdam ad id accommodatis ammiſceatur. Vetus autem panis & aridus tum per ſe, tum quibuſdam admixtus, alui profluuia ſiſtit. Recens verò muria maceratus & impoſitus, lichenas inueteratos ſanat. At gluten quod è ſimilagine aut polline conficitur ad glutinandos

libros, ſanguinem reiicientibus prodeſt, ſi liquidius ac tepidum cochlearis menſura ſorbendum exhibeatur.

De Hordeo. CAP. CVIII.

HORDEVM optimum eſt candidum & purum, ſed minùs quàm triticum alit: ptiſſana tamen ob cremorem quē inter coquendum reddit, plus alimēti præbet, quàm polenta ex eodem hordeo facta. Eſt autem illa efficax contra acrimonias atque arteriæ aſperitates & exulcerationes: ad quas itidem conuenit triticea ptiſſana, quæ quidem & plus alit & potentiùs vrinas mouet. Lactis verò vbertatem præſtat, ſi cum fœniculi ſemine decocta ſorbeatur. Vrinam porrò ciet hordeum, abſterget, flatulentum eſt, ſtomacho aduerſatur, & œdemata concoquit ac maturat. At verò ipſius farina cum ficubus & aqua mulſa decocta, œdemata & inflammationes diſcutit: quin & duritias concoquit cum pice, reſina & fimo columbino. Cum meliloto verò & papaueris calycibus, iis dolorem eripit qui ex latere dolent: aduerſus inteſtinorum inflationes, cum lini ſemine. fœnograeco & ruta imponitur. Strumas cum pice liquida, cera, impubis pueri vrina & oleo ad concoctionem perducit: & cum myrto aut vino, aut pyris ſylueſtribus, aut rubo, aut malicorio, alui profluuia ſiſtit:

podagricis inflammationibus cum cydonio malo aut aceto prodest. Decocta in acri aceto malagmatis in modum quod ex eadem hydrelæo subacta conficitur, & calens apposita, lepris medetur. Farinæ verò cremor ex aqua cum pice & oleo decoctus, puri mouendo accommodatus est. Ille idem ex aceto elicitus si cum pice coquatur, contra fluxiones articulorum prodest. Cæterùm hordeacea polenta cohibet aluum, inflammationésque mitigat.

De Zytho. Cap. cix.

Ex hordeo Zythum paratur, quod quidem vrinas cit, renes ac neruos tentat, sed meningas potissimùm offēdit: inflationem parit, vitiosúmque succum creat, & elephātiasin inducit. Ipso verò maceratum ebur, obsequiosum & operi tractabile redditur.

De Curmi. Cap. cx.

Fit & ex hordeo potus, quem Curmi nominant, eóque sæpenumero pro vino vtuntur. Verùm dolorem capitis infert, prauúmque succum gignit, ac neruos lædit. Parantur & similia potus genera ex tritico, quemadmodum in Iberia Occidentali & Britannia.

De Zea. Cap. cxi.

ZEA duorum est generum: vna quidem simplex est, altera à binis granis dicoc-

cos appellatur, quę quidem in geminis vtriculis ſemen coniunctum habet. Plus quàm hordeum alit, ori grata: in panificia verò digeſta, minùs quàm triticum alit.

De Crimno. Cap. CXII.

CRIMNON, craſſior eſt quæ inter molendum fit è zea triticóque farina, ex qua quidem puls conficitur. Abundè alit & facilè conficitur: ſed aluum vehementiùs aſtringit, ſi zea ex qua fit, priùs toſta fuerit.

De Olyra. Cap. CXIII.

EIVSDEM cum zea generis eſt & Olyra, verùm quam illa minùs aliquanto nutrit. Attamen in panes quoque cogitur, ex eáque ſimiliter crimnon factitatur.

De Athera. Cap. CXIIII.

ATHERA ex zea tenuiſſimè molita paratur. Eſt autem ſorbitio liquidæ pulticulæ inſtar, infantibus conueniens. Eſt etiamnum & dolorem ſedantibus, & pus mouentibus cataſplamatis efficax.

De Trago. Cap. CXV.

TRAGOS formam quidem habet chondro ſimilem: ſed multò minùs quàm zea nutrit, quòd aceris multum habeat: quare ægrè quoque conficitur, aluúmque lit.

De

De Auena. CAP. CXVI.

AVENA tum culmo, tum etiam foliis triticum imitatur: sed geniculis distinguitur. In cacumine verò dependentes velvti paruulas locustas bipedes gerit, in quibus semen continetur, æquè vt hordeum ad cataplasmata vtile. Quin & ex ipso puls conficitur, alui sistendæ vi prædita. Eius verò cremor, tussientibus sorbitione prodest.

De Oryza. CAP. CXVII.

ORYZA frumentacei generis est, quæ palustribus & vliginosis locis nascitur. Mediocriter alit, aluúmque supprimit.

De Chondro. CAP. CXVIII.

CHONDRVS fit è zea quæ dicoccos appellatur: potentiùs verò quàm oryza & alit & aluum cohibet, sed stomacho longè vtilior. Decoctus in aceto illitúsque, lepras tollit, & vngues scabros pellit, ac incipientibus ægilopiis medetur. Eius decoctũ dysentericis dolore vexatis infusum idoneum est.

De Milio. CAP. CXIX.

MILIVM frugibus cæteris minùs alit: in panes verò coactum aut pultis instar præparatum, aluum sistit & vrinam cit. Tostum verò & in sacculos inditum, fotu torminibus aliísque doloribus est auxilio.

De Panico. CAP. CXX.

PANICVM, quod alij melinen appellant, è cerealibus est seminibus, milio simile: eodémque modo in ciborum vsum venit, & ad eadem quoque valet: attamen milio & minùs nutrit, & minùs astringit.

De Sesamo. CAP. CXXI.

SESAMA stomacho nocet, & animæ grauitatem facit, si quando commanducata dentium commissuris inhæserit. Admota verò, neruorum crassitiem discutit, aurium fracturis & inflammationibus, ambustis item & coli doloribus ac cerastæ morsui medetur. Capitis autem dolores ex ardore contractos cum rosaceo lenit. Sed & herba in vino decocta eadem præstat, sed maximè oculorum inflammationibus doloribúsque prodest. Ex ipso quoque semine fit oleum, quo Ægyptij vtuntur.

De Lolio. CAP. CXXII.

LOLIVM, quod è Gręcis plerique æram, nonnulli thyaron appellant, quódque inter triticeas segetes nascitur, molitum, nomas, putrescentia vlcera & gangrænam emarginandi vim habet, si cum raphanis & sale imponatur. Feros verò lichenas & lepras cum sulphure vino & aceto sanat. At cum fimo columbino & lini semine decoctum in vino, strumas discutit: & quæ ægrè maturantur

rantur rumpit. Iſchiadicis cum aqua mulſa decoctum & adhibitum prodeſt. Quòd ſi cum polenta, myrrha, croco aut thure ſuffiatur, conceptiones adiiuuat.

De Amylo. CAP. CXXIII.

AMYLVM appellatũ ab eo eſt, quòd ſine mola fiat. Optimum quod è trimeſtri paratur tritico, natione Creticum aut Ægyptiacum. Conficitur verò ex tritico eiuſmodi puro, quinquies die, ac ſi fieri poteſt, etiam nocte aqua perfuſo: atque vbi emollitum fuerit, ſenſim aquam citra agitationem effundi oportet, vt ne ſimul vtilior ſuccus excludatur. At vbi molliſſimum euaſiſſe conſtiterit, diffuſa aqua pedibus calcari oportet: deindéque infuſa alia teri. Tandem innatantes furfures incerniculo tollendi: reliquum verò colo traiiciendum, móxque vt excolatum fuerit, ſuper tegulis nouis ardentiſſimo ſub ſole ſiccari denſarique oportet. Nanque ſi pauliſper vdum manſerit, aceſcit. Porrò contra oculorum fluxiones, caua vlcera, & puſtulas efficax eſt. Sanguinis etiamnum reiectiones potu cohibet, & exaſperatas fauces lenit: lacti quoque & obſoniis admiſcetur. Paratur & amylum ex zea macerata elotáque ad vnum aut alterum diem, & maſſæ triticeæ in modum manibus ſubacta, tandémque feruentiſſimo in

ſole, vti dictum eſt, exiccata. Sed huiuſmodi amylum ad vſum medicum ineptum eſt: ad reliqua verò, idoneum.

De Fœnigræci farina.

CAP. CXXIIII.

FOENVMGRAECVM ipſiúſque farina molliendi ac diſſipandi, diſcutiendíve vim habent. Hæc tenuiter contrita cum decocta aqua mulſa impoſita, aduerſus tam internas quàm externas inflammationes efficax eſt. Cum nitro verò ex aceto trita & impoſita, lienem extenuat. Decoctum autem fœnigræci, fœminarum malis ex inflammatione præcluſionéve vuluæ ortis inſeſſu ſubuenit. Eiuſdem in aqua decocti cremor expreſſus, capillos, furfures & achoras purgat. Cum adipe verò anſerino peſſi vice ſubditur, ad emolliendos dilatandóſque locos muliebres. Porrò viride cum aceto, imbecillibus exulceratíſque locis accommodatum eſt. At ipſius decoctum prodeſt aduerſus teneſmos, fœtidámque dyſentericorum proluuiem. Cæterùm quod ex eo exprimitur oleum, cum myrto capillos expurgat, & genitalium cicatrices exterit.

De Lino. CAP. CXXV.

LINVM vulgo notum eſt: cuius ſemen eaſdem quas fœnumgræcum vires habet: quippe quod diſcutiat & emolliat omnem

mnem

mnem intus forísque inflãmationem, cum melle, oleo & aqua exigua decoctum, aut melle cocto exceptum. Emendat & crudum vitia cutis in facie ab insolatione ac varos, cum nitro & ficubus impositum. Cum lixiuio verò, parotidas duritiásque discutit: herpetas & fauos cum vino decoctum expurgat. Vngues scabros remouet, cum pari modo nasturtij & mellis. Educit quoque quæ intra pectus hærent, cum melle eclegmatis vice sumptum, ac tussim etiam lenit. Stimulat & Venerem, si melli & piperi placentæ modo admixtum largiùs sumatur. Quin & eius decoctum aduersus intestinorum ac vuluæ erosiones, itémque ad euocanda alui excrementa infunditur. Vuluæ denique inflammationibus, æquè ac fœnigræci semen, insessu perquàm est vtile.

De Cicere. CAP. CXXVI.

CICER satiuum bonam facit aluum, vrinam ciet, flatus gignit, coloris bonitatem cuti conciliat, menses partúsque expellit & lac auget. Imponitur verò, & maximè cum eruo decoctum, ad testium inflammationes & myrmecias: itémque ad scabiem, vlcera capitis manantia & lichenas, necnon & ad cancrosa malignáque vlcera cum hordeo & melle. Alterum porrò ciceris genus, arietinum appellatur. Vtrunque verò cit.

vrinas, dato cum roremarino aduersus morbum regium & hydropem eorum decocto. Lędunt quoque exulceratam vesicam & renes. Sunt qui myrmeciarum & pensilium verrucarum extuberationes eminentiásve singulas prima luna grano ciceris alio atque alio tangant, eáque grana in linteolo deligata abiici post se præcipiant, quasi verrucæ hac arte decidant. Est & syluestre cicer, foliis satiuo simile, odore acri, sed semine discrepans: quod quidem eadem quæ satiuum præstat.

De Faba Græca. CAP. CXXVII.

FABA Græca inflationem parit, flatulenta est, ægrè concoquitur, ac tumultuosa insomnia facit: sed tussi confert, carnémque gignit, media calidi frigidíque natura. Decocta in posca & cum suo cortice esitata, dysenterias & cœliacorum profluuia sistit, & contra vomitiones in cibo idonea est. Minùs verò flatulenta euadit, si prior aqua inter coquendum abiiciatur. At viridis & plus negotij stomacho facessit, & plus flatuum gignit. Porrò lomentum & per se & cum polenta impositum, inflammationes ab ictu mitigat, & cicatrices concolores facit: mammas etiamnum grumoso lacte turgentes inflammationéque laborantes adiuuat, & lac quoque extinguit. Cum melle

autē ac fœnigręci farina, furunculos, parotidas & sub oculis liuores discutit. Cū rosa verò, thure ouíq; candido, procidentes oculos, eorúmque staphylomata tumoréſque reprimit. Subactum vino, suffusiones & ictus oculorum recreat. Commanducata sine cortice faba; fronti, sistendæ fluxionis gratia, anacollematis instar imponitur. Aestium inflammationes in vino decocta sanat. Pueris verò circa pubis regionem adhibita, ipsos diu impuberes conseruat. Alphos quoque purgat. Corticibus autem illiti qui post euulsionem renascuntur pili, ieiuni graciléſque efficiuntur. Iidem cum polenta, alumine scisso & vetere oleo impositi, strumas discutiunt: quin & eorum decocto lanæ inficiuntur. Cæterùm faba dempto cortice bipartitò secta, qua quidem parte ex natura coaluit, ad sanguinis eruptiones ab hirudine excitatas imponitur: illas nanque dimidiata supprimit, si qua parte alteri cohærebat, apprimatur.

De Faba Ægyptia.

CAP. CXXVIII.

Ægyptia faba, quam nonnulli Ponticam vocant, in Ægypto quidem magna copia prouenit, sed & in Asia quoque & Cilicia palustribus locis inuenitur. Folium verò habet amplum instar petasi seu galeri, caulem

cubitalem, digiti crassitudine: florem roseum, dupla papauerini floris amplitudine. At vbi defloruit, vtriculos gerit folliculis similes, in quibus faba paululum supra operculum instar bullæ prominet. Ciborium aut cibotiũ ideò nominatur, quasi loculamẽtũ, quòd seratur eiusmodi faba ipsa humenti glebæ indita atque ita in aquam demissa. Radix autem subiacet harundinis radice crassior: quæ cocta crudáque estur, & colocasia nominatur. Faba quoque ipsa virens comeditur: sed exiccata nigrescit, & Grȩcam magnitudine superat. Vim porrò habet astringendi, stomachúmque iuuat. Quamobrem dysentericis cœliacísque conuenit, inspersa earum farina polentæ vice: sed & in pultem quoq; redacta exhibetur. Efficaciores autem sunt cortices, si decocti in vino mulso ternûm cyathorum mensura propinentur. Cæterùm ad aurium dolorem facit quod in earum medio viride spectatur, gustu amarum, si cum rosaceo coctum instilletur.

De Lente. CAP. CXXIX.

LENS frequenti cibo aciem oculorum obtundit, ægrè concoquitur, stomachum lædit, eúmque & intestina inflat: sed aluum cum cortice comesta sistit. In eo genere præstat quæ facillimè coquitur, quæq; nihil

nihil atri in maceratione reddit. Vim porrò habet aſtringendi: qua ex cauſa aluum cohibet, ſi detracto antè cortice accuratè diſcoquatur, prima aqua inter coquendum effuſa: quippe primum ipſius decoctum aluum ſoluit. Inſomnia verò tumultuoſa excitat, neruoſis partibus, pulmoni capitíque contraria. Meliùs autem contra fluxiones alui ſuo fungetur munere, addito cùm aceto intubo aut portulaca, aut beta nigra, aut myrti baccis, aut Punici tegmine, aut roſis ſiccis, aut meſpilis ſorbíſve, aut pyris palmulíſve Thebaïcis, aut malis cotoneis, aut cichorio, aut plantagine, aut gallis integris, quæ quidem poſt cocturam abiiciuntur, aut denique rhoë qui obſoniis inſpergitur. Verùm cum ea diligenter acetum percoqui debet: alioqui aluum conturbat. Contra ſubuerſionem ſtomachi decorticata lentis grana xxx. deuoratáque proſunt. Decocta quoque lens cum polenta impoſitáque, podagras lenit. Sinus verò cum melle glutinat, vlcerum cruſtulas circumquaque rumpit, & vlcera quoque ipſa repurgat. At ex aceto diſcocta, duritias & ſtrumas diſcutit. Cum meliloto autem vel cotoneo malo medetur inflammationibus oculorum ac ſedis, ammixto roſaceo. Sed in maioribus ſedis inflammationibus ampliſque ſinibus, cum

putamine Punici aut rosis siccis adiecto melle decoquitur. Valet quoque ad nomas quæ in gangrænam euaserunt, similiter vsurpata, aut etiã adiuncta maris aqua. Ad pustulas autem, herpetas, erysipelata & perniones, quo antè dictum est modo. Cæterùm contra mammas grumoso lacte turgentes nimiúmque distentas, decocta in aqua marina & imposita auxiliatur.

De Phasiolo. CAP. CXXX.

PHASIOLVS flatulentus est, flatúsque ciet, & ægrè concoquitur. Quòd si viridis coquatur, in cibo aluum emollit, & ad vomitiones ciendas idoneus est.

De Eruo. CAP. CXXXI.

ERVVM, exiguus est frutex omnibus cognitus, angusto folio, tenuis, in siliquis parua gerens semina, è quibus farina fit eruina dicta: quæ quidem ad medendi vsum est accommodata. Eruum porrò capiti onerosum est, aluúmque turbat, si comestum fuerit, & sanguinem quoque cum vrina ducit. Boues autem saginat, si elixum apponatur. Parandæ verò eruinæ farinæ ratio hæc est: huberiora candidáque grana deligito, & aqua permiscendo respergito: ac vbi sufficienter combibere siueris, tùm demum torreto, dum cortex disrumpatur: posteà molita & tenui cribro pollinario creta reponito.

Huiusmodi

Huiusmodi farina bonam præstat aluum, vrinam ciet, ac meliorem colorem cuti conciliat. Quòd si in cibo potúve largiùs assumpta fuerit, sanguinem cum torminibus per aluum & vesicam educit. Vlcera cum melle purgat: lentigines, solares maculas, ac næuos etiã toto corpore emendat: nomas, carcinomata & gangrænas serpere non patitur. Quin & mammarum duritias emollit, ac ferina vlcera, carbunculos & fauos emarginat. Cum vino autem subacta & imposita, canum, hominum viperarúmque morsibus medetur. Vrinæ quoque difficultates, tormina & tenesmos ex aceto mitigat. Conuenit & iis qui alimentum ex cibo non sentiunt, tosta & ad nucis magnitudinem cum melle sumpta. Cæterùm erui decocti aqua, perniones & in vniuerso corpore pruritus fouendo sanat.

De Lupino. CAP. CXXXII.

LVPINVS satiuus notus est: cuius farina cum melle delincta, aut ex aceto pota, lumbricos enecat. Ipsi quoque lupini macerati, ita tamen vt minimè suam deposuerint amaritudinem, eadem in cibo efficiunt. Sed & eorum decoctum, eadem præstat. Cum ruta verò ac pipere potum, lienosis prodest. Eodem ipso gangrænas, fera vlcera, incipientem scabiem, alphos, maculas, pa-

pularum ac pituitæ eruptiones & vlcera capitis manantia fouere vtile. Quin & illud ipſum menſes ac partus detrahit, cum myrrha & melle ſubditum. Purgat verò farina cutem, liuoréſque emendat, & inflammationes ſedat cum polenta & aqua. Ex aceto autem, coxendicum cruciatus lenit. Panos verò ac ſtrumas in aceto decocta & impoſita loco mouet, atque carbunculos circumquaque rumpit. Ipſi quoque lupini aqua cœleſti decocti, dum in cremorem lenteſcant, faciem abſtergunt: & cum chamæleonis nigri radice cocti, pecorum ſcabiem ſanant, ſi modò illa tepente decocto abluantur. Porrò radix in aqua decocta & epota, vrinas pellit. Lupini verò ipſi edulcati, ſi triti ex aceto bibantur, ſtomachi faſtidium leuant, & cibi auiditatem faciunt.

De Lupino ſylueſtri. CAP. CXXXIII.

Eſt & ſylueſtris lupinus ſatiuo ſimilis, ſed omni modo minor: qui quidem quæ ſatiuus eadem præſtat.

De Rapo. CAP. CXXXIIII.

ELIXA Rapi radix alit, inflationes parit, laxam ac præhumidam carnem gignit, Venerémque ſtimulat. Ipſius verò decocto podagræ pernionéſque fouentur. Sed & ipſa trita & impoſita, prodeſt. Quòd ſi excauata radice, roſaceum ceratum intra ipſam

feruenti

feruenti cinere liquefiat, remedium fiet ad vlceratos perniones efficax. At verò cymæ manduntur elixæ, & vrinam cient. Semen theriacis & antidotis quæ dolorem leuant idoneum est. Potum idem contra lethalia medicamenta salutare est, ac Venerem quoque concitat. Cæterùm muria conditum rapum in cibo sumptum, minus quidem alimenti sufficit, attamen appetentiam restituit.

De Rapo syluestri. CAP. CXXXV.

Syluestre rapum in aruis nascitur, frutex cubitali altitudine, ramosus, in cacumine læuis, foliis quoque læuibus, radice digitali crassitudine, aut etiam maiore. Fructum verò gerit in siliquis calyculatis. Apertis autem fructus inuolucris, intus alia spectatur siliqua capitis specie: qua quidem paruula semina nigra continentur, quæ tamen fracta intrinsecus alba conspiciuntur. Cæterùm admiscetur in smegmata, quibus ad detergendam cutem in facie reliquóque corpore vtuntur: quæ quidem ex lupinorum, tritici, lolij aut erui farina fiunt.

De Buniade. CAP. CXXXVI.

BVNIADIS quoque radix elixa flatus gignit, minùs verò nutrit. Semen ipsius præbibitum, venena reddit inefficacia: ob id etiam in antidotos additur. Sed & huius

radix, muria conditur.

De Raphano, seu radicula.
CAP. CXXXVII.

RADICVLA quoque ipsa flatus gignit & excalfacit: ori quidem grata, at stomacho minimè commoda: ructus prætereà mouet, atque vrinas ciet: aluum quoque bonam facit, si quis ipsam summo cibo sumpserit, quippe quæ tùm distributionem magis adiuuet: præsumpta verò, cibum suspendit, quare & ante cibum vomituris conuenit: quin & sensuum aciem excitat. Elixa verò si sumatur, valet ad eos qui tussi diuturna infestantur, quíque crassiores succos in pectore cumulant. At cortex ipsius ex aceto mulso sumptus, vomitiones potentiùs mouet, hydropicis accommodatus: impositus etiamnum, lienosis est vtilis. Cum melle verò, nomas sistit, & sub oculis sugillata tollit. Auxiliatur & à vipera commorsis, necnon & alopecias densat, atque lentigines cum loliacea farina exterit. Est & auxilio tam cibo quàm potu iis qui à fungis strangulantur, menstruáque pellit. Semen vomitiones excitat, vrinas eiicit, & lienem ex aceto potum extenuat. Decoctum anginosis cum aceto mulso calente gargarizatu prodest, & contra cerastæ morsum ex vino potum auxiliatur. Cæterùm ex aceto illitum, gangrænas

gangrænas etiam valenter emarginat.

De Radicula syluestri.

CAP. CXXXVIII.

Radicula' syluestris, quam Romani armoraciam vocant, folia habet satiuæ similia, sed quę ad lampsanam propiùs accedant. Radix est gracilis, longa, subacris. Porrò tam folia quàm radix, olerum vice decoquuntur. Excalfacit autem, vrinam ciet, æstuosaque est.

De Sisere. CAP. CXXXIX.

SISER vulgo cognitum: cuius radix elixa, ori grata est & stomacho vtilis: vrinam cit & appetentiam inuitat.

De Lapatho, siue rumice. CAP. CXL.

EST è Lapathi generibus quoddam, quod oxylapathum vocant, in palustribus nascens, durum ac summis foliorum partibus aliquantulum acuminatum. Alterum verò hortense, priori dissimile. Tertium genus est syluestre, paruum, plantagini proximum, molle & humile. Est & quartum, quod nonnulli oxalidem, alij anaxyrida aut lapathum appellant: cuius folia syluestri & exiguo lapatho similia, caulis minimè grandis, semen acutum, rubens, acre, in caule & agnatis appendicibus emicans. Omnium porrò decocto olere aluus emollitur. Crudum verò illitum, meliceridas addito rosaceo aut croco

discutit. At syluestris lapathi, oxylapathi & oxalidis semen, ex aqua aut vino vtiliter bibitur contra dysenterias, cœliacorum affectus, stomachi fastidium, & scorpionis ictum. Quòd si quis in potu præsumpserit, nihil incommodi ex illius ictu percipiet. Radices autem ex aceto coctæ, aut etiamnum crudæ impositæ, lepras, impetigines & scabrosos vngues curant: sed antè locus nitro aut aceto in sole perfricandus est. Quin & earum decoctum, pruritus corporis sedat, vice fotus affusum, aut in solia balnearum additum. Aurium quoque dolorem leniũt, itémque dentium, si in vino coctæ colluantur. Strumas etiam parotidásque similiter coctæ in vino & impositæ discutiunt: aceto verò decoctæ, lienem extenuant. Quin & ad strumas nonnulli radicibus vinculo ex ceruice suspensis amuleti instar vtuntur. Sistunt & fluxum muliebrem tritæ atque subditæ. Cum vino autem decoctæ ac bibitæ, regio morbo laborantes persanant, calculos vesicæ comminuunt, menstrua cient, & à scorpione ictis auxiliantur.

De Hippolapatho. CAP. CXLI.

Hippolapathum olus est magnum, in paludibus nascens. Easdem autem vires habet, quas antè dicta lapathi genera.

De

De Lampsana. CAP. CXLII.

LAMPSANA syluestre olus est: quod quidem plus quàm lapathum alit, stomachóque est vtilius. Huius folia caulésque in cibo coquuntur.

De Blito. CAP. CXLIII.

BLITVM quoque estur oleris modo. Est autem aluo vtile, nullius medicamentosæ facultatis particeps.

De Malua. CAP. CXLIIII.

MALVA satiua cibo magis est idonea, quàm quę locis incultis nascitur. Stomacho autem aduersatur, bonámque facit aluum: sed multò magis caules, qui quidem intestinis ac vesicæ sunt vtiles. Vim porrò habent folia cruda, cum salis exiguo commanducata & ex melle illita, persanandarum ægilopum. Verùm cùm est inducenda cicatrix, iis demùm citra salem vtendum. Illita quoque malua, contra apum vesparúmque ictus est efficax. Quòd si quis ipsa cruda trita cum oleo antè perungatur, ab iis minimè ferietur. Cum vrina autem adhibita, vlcera in capite manantia furfurésque sanat. Cocta verò folia trita & ex oleo imposita, ambustis & erysipelatis prosunt. Eius ipsius decoctum insessione vuluas emollit: quin & ad intestinorum, vuluæ sedísque tosiones commodè infunditur. Ius autem cum radi-

ce sua decoctæ contra venena omnia valet, si à sorbentibus continuò reuomatur. Est & remedio contra phalangiorum morsus, atque lac euocat. Cæterùm semen addito syluestris loti semine potum è vino, vesicæ cruciatus lenit.

De Atriplice. CAP. CXLV.

ATRIPLEX, quam nonnulli chrysolachanon, quasi aureum olus, vocant, cognitum olus est: & duorum quidem generum: vnum enim est syluestre, satiuum alterum. Coctum id oleris instar estur, aluúmque mollit: panos verò discutit, siue crudum, siue coctum illinatur. Semen autem ex aqua mulsa potum, regio morbo medetur.

De Braßica. CAP. CXLVI.

BRASSICA satiua bonam facit aluum, si modò leuiter feruefacta edatur. Nam percocta, aluum sistit: multò verò magis bis cocta, quæque in lixiuio cocta fuerit. Æstiua autem, stomacho aduersatur, & acrior est. At quæ in Ægypto nascitur, propter amaritudinem non estur. Quibus obtusior est oculorum acies, ac tremulis, in cibo auxiliatur: itémque summo sumpta cibo, noxas ex crapula largioréque vini potu pellit atque restinguit. Eius verò cyma, stomacho quidem vtilior: sed acrior, & ad ciendam vrinam validior. Eadem sale condita, stomacho

cho

cho inimica est, aluúmque conturbat. Porrò brassicæ crudæ succus cum iride ac nitro deuoratus, aluum emollit: potus autem è vino, à vipera commorsis opitulatur. At cum fœnigræci farina & aceto, prodest podagricis & articulario morbo laborantibus. Confert quoque illitus sordidis ac vetustis vlceribus. Per se verò naribus infusus, caput expurgat. Quin & menses extrahit, cum loliacea farina subditus. Illita per sese folia, aut cum polenta trita, valent ad quasuis inflammationes & œdemata: quin & erysipelata, epinyctidas lepráſque sanant. Cum sale verò, carbunculos erumpunt: retinent & fluentes capillos. Eadem cocta melle addito, valent aduersus depascentes gangrænas: cruda verò si ex aceto comedantur, lienosis prosunt. At commanducata ita vt deglutiatur succus, vocem interceptam restituunt. Cæterùm ipsius brassicæ decoctum, potu aluum menséſque ciet. Flos autem post puerperium in pesso subditus, conceptionem impedit. Semen, eius præsertim quæ in Ægypto nascitur, potum, lumbricos expellit, ac in antidota quoque theriaca additur: sed & faciei cutem lentiginéſque expurgat. At verò virentes cauliculi cum radicibus cremati, ac suillo adipe peruetusto excepti, diuturnos laterum dolores impositi mitigant.

De Braßica sylueſtri. CAP. CXLVII.

Syluestris braſſica vtplurimùm locis maritimis prçruptiſque naſcitur, ſatiuæ ſimilis: ſed candidior, hirſutior & amara. Huius cyma in lixiuio cocta, ori non eſt inſuauis. Illita verò folia, vulnera conglutinandi, ac tumores inflammationéſque diſcutiendi vim habent.

De Braßica marina. CAP. CXLVIII.

Quæ braſſica marina dicitur, à ſatiua prorſum diſſidet: quippe quæ folia ferat multa ac tenuia, ariſtolochiæ rotundæ ſimilia. Horum verò ſingula à ramulis rubentibus exeunt, ſingulari, velut hedera, pediculo. Porrò albo prædita eſt ſucco, ſed minimè copioſo. Guſtu autem eſt vtcunque ſalſo & quadantenus amaro: pingui verò ſubſtantia. Tota porrò herba ſtomacho inimica & acris eſt, aluúmque vehementiſſimè ſoluit, ſi cocta edatur. Sed propter acrimoniam nonnulli pingues carnes vnà cum ipſa concoquunt.

De Beta. CAP. CXLIX.

BETA duûm eſt generum, è quibus nigra, ac ipſius maximè radix, cum lente decocta valentiùs aluum inhibet: candida verò, aluo eſt idonea. Vtraque porrò, propter nitroſum quem in ſe habet humorem, praui eſt ſucci. Inde tamen fit, vt earum ſuccus

cus cum melle naribus inditus purget caput, & aurium doloribus opituletur. Decoctum verò radicum ac foliorum furfures lendesque deterget, & perniones fotu mitigat. At crudis foliis vitiligines illini oportet nitro anteà perfrictas, itémque alopecias priùs derasas, ac depascentia quoque vlcera. Cæterùm cocta, papularum eruptionibus, ambustis & erysipelatis medetur.

De Portulaca. CAP. CL.

PORTVLACA vim habet astrictoriam. Imposita cum polenta, capitis doloribus, ac tum oculorum, tum cæteris quoque inflammationibus: itémque stomachi ardoribus, & erysipelatis, ac vesicæ denique cruciatibus auxilio est. Pro cibo verò sumpta, dentium stuporem, & stomachi ac intestinorum æstuationem fluxionémque demulcet. Erosione tentatos renes & vesicam adiuuat, ac Veneris impetus exoluit. Simili effectu prodest eius succus epotus, etiam in febribus efficax. Valet & diu multúmque cocta contra teretes lumbricos, cruentam excreationem ac dysenteriam: itémque ad hæmorrhoidas & sanguinis eruptiones, nec non & aduersus sepis morsus. Sed & oculorum medicamentis vtiliter admiscetur, ac intestinis fluxione laborantibus, erosísve vuluis infunditur. Quin & ad capitis dolo-

res ab æstu obortos cum rosaceo aut simplici oleo irrigatur. Erumpentes quoque in capite papulas cum vino exterit. Vulneribus denique, quæ ad syderationem spectant, cum polenta imponitur.

De Portulaca syluestri. CAP. LI.

Portulaca syluestris cognominata, foliolis est quàm antè memorata crassioribus atque densis. Locis petrosis nascitur: interdum & in hortis. Folia verò habet oleæ, sed minora multò, verùm plura eáque tenera: cauliculos rubicundos, ab vna radice frequentes, in terram inclinatos: qui quidem commanducati, succulenti percipiuntur, viscidi & subsalso gustu. Vim obtinet calfactoriam, acrem & exulcerantem: ac strumas quoque cum axungia imposita discutit.

De Asparago. CAP. CLII.

ASPARAGVS in petrosis natus, quem myacanthum vocant, vulgaris est notitiæ. Huius cauliculus leuiter decoctus & pro cibo sumptus, ventrem mollit, vrinámque ciet. Radicum autem decoctum epotum, ægrè meientibus, regio morbo laborantibus, nephriticis & ischiadicis auxiliatur: itidémque morsis à phalangio, siquidem ex vino decoquatur. Sic & dolore dentium infestatis proficit, si modò decoctum super affecto dente contineatur. Semen quoque

quoque potum, ad eadem valet. Aiunt & canes si aſparagorum decoctum hauſerint, emori. Aſparagum quoque altilem naſci prodidêre nonnulli, ſi quis arietis cornua contuſa defoderit: quod tamen mihi probabile non eſt. Altilis autem hic aſparagus, frutex eſt ramoſus, foliis numeroſis, longis, fœniculo proximis: radice rotunda, grandi, tuberculum habente. Huius cauliculus ex vino albo tritus, renum dolores ſedat. Coctus autem aſſuſve aſparagus in cibo ſumptus, vrinæ ſtillicidium difficultatémque ac dyſenteriam mitigat. Eiuſdem radix in aceto aut vino decocta, luxatos artus mulcet. Cum ficubus autem ciceribúſve decocta ſumptáque, regium morbum ſanat, & coxendicum cruciatus, vrinæque ſtillicidium leuat. Cæterùm amuleti ratione alligata radix, itémque hauſtum ipſius decoctum, partum impediunt, ſterilitatémque inducunt.

De Plantagine. CAP. CLIII.

PLANTAGO duûm eſt generum: minor enim vna eſt, maior altera. Ac minor quidem, foliis prædita eſt anguſtioribus, minoribus, mollioribus, læuioribus ac tenuioribus: cauliculis verò anguloſis ad terram inclinatis: floribus autem pallidis, ac ſemine ſummis caulibus emicante. At maior, & amplior lætiórque eſt, & latifolia, in

oleris vsum apta. Caulis huic angulosus, subruber, cubiti altitudine, à medio ad verticem tenui semine circundatus. Radices subiacent teneræ, hirsutæ, candidæ, digitali crassitudine. Nascitur in paludibus, sepibus ac locis vliginosis. Maior porrò, efficacior est. Vim habent folia exiccatoriam & astringentem. Quare omnibus malignis, elephantiasin comitantibus, fluxioni opportunis sordidísque vlceribus illita cõueniunt. Cohibent & sanguinis eruptiones, nomas, carbunculos, herpetas & epinyctidas. Vetera quoque & inæqualia vlcera cicatrice obducunt, Chironia sanant, & sinus agglutinant. Morsibus canis, ambustis igni, inflammationibus, parotidibus, panis, ac strumis quoque & ægilopiis cum sale imposita prosunt. Coctum verò olus cum sale & aceto sumptũ, dysentericis cœliacísque subuenit. Datur & in locum betæ, cum lenticula coctum. Exhibetur & herba decocta ad aquam intercutem, cui leucophlegmatiæ nomẽ est, postficciorum alimentorum esum: ita tamen vt media cibis interueniat. Comitialibus quoque & suspiriosis data proficit. Foliorum succus oris vlcera repurgat, si subinde colluatur. Cum Cimolia aut cerussa, erysipelatis medetur: fistulis infusus auxilio est: prodest & ad auriũ dolores atque ophthalmias,

mias, seu instillatus, seu in collyria additus. Sanguinantibus quoque gingiuis, & sanguinem supernè reiicientibus, potu confert: clystere verò dysentericis infunditur. Contra tabem datur in potu: aduersus strangulationes vuluæ subditur in vellere, quemadmodum & si vulua rheumatismo laboret. Semen ex vino potum, alui profluuia & sanguinis excreationes sistit. Decocta radix seu colluta, seu commanducata, dentium dolores sedat. Eadem cum foliis, ad vesicæ renúmque vlcera in passo datur. Cæterùm ferunt ternas radices cum vini ternis cyathis & aquæ pari modo, tertianis febribus, itémque quaternas, quartanis auxiliari. Sunt & qui radice vinculo è collo suspensa amuleti instar vtantur, ad strumas discutiendas.

De Sio. CAP. CLIIII.

SIVM aquaticum, frutex est pusillus, qui in aquis inuenitur, rectus, pinguis, foliis hipposelino similibus, sed minoribus & aromatici odoris: quæ quidem seu cocta, seu cruda, esu calculos rumpunt & eiiciunt: vrinas quoque cient, ac menses & partus extrahunt, dysentericísque in cibo prosunt. De eodem Sio agens Crateuas, herbam esse tradit fruticis specie, exiguam, foliis præditam rotundis, quàm mentæ maioribus, nigris, pinguibus, & ad erucam accedentibus.

De Sisymbrio. CAP. CLV.

SISYMBRIVM (alij serpyllum syluestre vocant) in solo inculto nascitur, mentæ hortensis similitudine, sed latioribus foliis, atque odoratius: quod quidem coronis inseritur. Calfaciendi vim habet: ac semen quidem ex vino potum, ad vrinæ stillicidia & calcusos conuenit, itémque tormina & singultus sedat. Folia verò contra capitis dolorem fronti ac temporibus imponuntur. Valent & aduersus vesparum apúmque ictus. Cæterùm vomitiones quoque potu cohibent.

De Sisymbrio altero. CAP. CLVI.

Sisymbrium alterum sunt qui cardamines, alij sion etiam appellant. Est verò herba aquatica, quæ in iisdem quibus sion locis prouenit: Cardamine ideò nonnullis dicta, quòd gustu cardamum, id est, nasturtium, repræsentet. Folia primùm rotunda prodeunt: augescentia verò, erucæ modo finduntur. Porrò excalfacit, vrinas mouet, ac crudum etiamnum estur. Purgat etiam lentigines, ac vitia cutis in facie à Solis ardore contracta nocte tota impositum, & matutinò detractum.

De Crithmo. CAP. CLVII.

CRITHMON, seu, vt alij, Critamon, fruticosa est herbula, foliis vndique densa,

cubiti fermè altitudine, in petrosis & maritimis nascens, foliis referta pinguibus & albicantibus, portulacæ folia referentibus: crassioribus tamen atque longioribus, salsóque gustu. Flores verò gerit candidos, ac fructum ceu libanotidis mollem, odoratum, rotundum: qui quidem siccatus, dehiscit, intúsque ceu tritici granum habet: radices autem digiti crassitudine tres aut quatuor, odoratas, & iucundi saporis. Porrò radix, semen & folia, incocta vino, potu ægrè meientibus & regio morbo laborantibus auxiliantur, mensésque cient. Cæterùm crithmon crudum coctúmve estur oleris in modum, ac in muria quoque seruatur.

De Coronopode. CAP. CLVIII.

CORONOPVS oblonga herbula est, humi strata, cui folia sunt incisuris diuisa: atque hæc quidem oleris quoque modo cocta estur. Radicem porrò habet tenuem, astringentem, quæ cœliacis in cibo præclarè facit. Cæterùm prouenit locis incultis, in aggeribus & secus vias.

De Sonchо. CAP. CLIX.

SONCHI duo genera: vnum quidem agrestius atque spinosius: alterum tenerius molliúsve & esculentum. Caulis angulosus est, intus cauus, interdum & subrubens: folia in ambitu per interualla incisa.

Vis vtriusque refrigeratoria, & modicè subastringens: vnde æstuanti stomacho & inflammationibus impositi prosunt. Succus stomachi rosionem sorbitione mitigat, & lac euocat. In vellere autem appositus, sedis ac vuluæ inflammationibus opitulatur. Tā herba quàm radix imposita, ictis à scorpione auxiliatur. Est verò etiā tertius sonchus, itidem tener ac mollis, arborescens, latísque constans foliis, quæ quidem caulem in ramos exeuntem distinguunt: sed & hic ad eadem pollet.

De Seride. CAP. CLX.

SERIS duûm est generum, syluestris & satiua. Ex his syluestris ea est, quæ & picris & cichorium appellatur: altera, quę hortensis est, & latioris est folij, & ori gratior. Et hæc quidem rursum genere duplex: si quidem vna est lactucæ similior, & latifolia: altera est angustiore folio & amarulenta. Omnes porrò refrigerant, astringunt & stomacho sunt vtiles. Coctæ aluum sistunt, si cum aceto sumantur. Imprimis verò syluestres, stomacho meliores. Quandoquidem in cibo sumptæ, dissolutum æstuantémque stomachum solantur. Impositæ verò cum polenta, ac per se quoque, cardiacis sunt vtiles: podagris itidem & oculorum inflammationibus auxilio sunt. At herba cum radice

radice illita, percussis à scorpione subuenit, & erysipelatis cum polenta medetur. Cæterùm earum succus cum cerussa & aceto locis iis commodè illinitur, quæ refrigerationem desiderant.

De Condrilla. CAP. CLXI.

CONDRILLA, quam etiam cichorion aut serin appellant, folia, caulem & flores gerit cichorij similitudine: qua ex causa nonnulli seridis syluestris speciem esse pronuntiarunt. Verùm tenuior tota est. Circa ipsos autem ramulos gummi reperitur mastiches simile, fabæ magnitudine: quod quidem cum myrrha tritum & in linteo oliuæ instar appositum, menses trahit. Herba verò cum radice tusa, melle adiecto diuiditur in pastillos: qui quidem diluti, admixto nitro vitiligines emaculant. Sed & gummi pilos glutinat, ac ipsa quoque radix recens eadem præstat, si intincta eius succo acus pilis admoueatur. Contra viperas etiam ex vino pota proficit. Quin & ipsius succus cum vino, aut per sese decoctus atque potus, aluum sistit. Est porrò & aliud condrillæ genus, folio circumroso, oblongo & humi strato, caule verò succi pleno: radice tenui, vegeta, leui, rotunda, flauescente, succosa. Caulis & folia concoquendi vim habent. Succus verò, incommodos palpebrarũ pilos replicat.

Cæterùm in lætis cultísque agris prouenit.

De Cucurbita. CAP. CLXII.

CVCVRBITA esculenta cruda trita & imposita, œdemata & abscessus mitigat. Ramentum ipsius, infantium capitis ardore, quam siriasin vocant, laborantium sincipiti vtiliter adhibetur. Similiter quoque podagricis & oculorum inflammationibus imponitur. Succus verò è strigmentis tusis, aurium doloribus tum per se, tum etiam cum rosaceo infusus, auxiliatur. Valet itidem illitus ad perustam ardoribus corporis superficiem. Vniuersæ autem decoctæ & expressæ succus cum melle exiguo & nitro potus, leuiter aluum soluit. Quin & si quis vinum in ipsam crudam & excauatam infusum ac dio expositum, posteáque dilutum ieiunus biberit, leuiter aluum emolliet.

De Cucumere satiuo. CAP. CLXIII.

CVCVMIS satiuus aluo stomachóque vtilis, refrigerandi vim obtinet, si modò non corrumpatur, ac vesicæ prodest: olfactu verò, defectos animo recreat. Sed & ipsius semen modicè vrinas cit, & cum lacte aut passo, vesicæ exulcerationibus subuenit. Cæterùm eiusdem folia cum vino imposita, canum morsus sanant: ex melle verò, epinyctidas.]

De

De Pepone. CAP. CLXIIII.

IPSA quoque peponis caro in cibis vrinas mouet: oculi verò inflammationes imposita lenit. Eius verò ramentum infantium siriasi laborantium sincipiti imponitur: ac frõti quoque anacollematis vice adalligatur, ad inhibendas oculorum fluxiones. Porrò succus cum semine adiecta farina siccatus in sole, faciem smegmatis vice purgat, illíque nitorem conciliat. Cæterùm sicca radix ex mulsa drachmæ pondere pota, vomitiones mouet. Quòd si quis placidè ac citra molestiam vomere à cœna voluerit, oboli bini satisfecerint. Sanat quoque cum melle imposita capitis vlcera concreta in modum faui, quæ ceria vocant.

De Lactuca satiua. CAP. CLXV.

LACTVCA satiua stomacho vtilis, modicè refrigeratoria, somnum concilians, aluum emolliens & lac euocans. Verùm decocta, magis alit. Stomachicis autem illotam esse proderit. Epotum verò ipsius semen Venerem assiduè somniantibus opitulatur, & concubitum arcet. At ipsæ in cibo frequentiores, claritati oculorum officiunt. Muria etiam condiuntur. Cæterùm cùm in caulem exierunt, vim quandam adipiscuntur succo lactíque syluestris lactucæ similem.

De Syluestri lactuca. CAP. CLXVI.

Syluestris autem Lactuca satiuæ similis est, sed ampliore caule prædita, foliisque candidioribus, gracilioribus & asperioribus, gustu verò amara, ac viribus aliquatenus papaueri similis: quam ob causam nonnulli etiam lacteum eius succum meconio permiscent. Succus obolorum duûm pondere cum posca epotus, aquosa per aluum expurgat. Quin & oculorum argema & caliginem exterit: efficaciter quoque cum lacte muliebri contra eorundem adustiones inungitur. In summa somnum facit, & doloris leuamentum præstat. Menses quoque trahit, & contra scorpionum ictus phalangiorúmque morsus bibitur. Semen æquè ac satiuæ potum, libidinum imaginationes in somno compescit, Veneremque inhibet. Succus ad eadem valet, sed minùs efficax. Cæterùm ipsius lac, cæterorum qui expressione eliciuntur succorum instar, anteà insolatum in nouis fictilibus reponitur.

De Gingidio. CAP. CLXVII.

GINGIDIVM, quibusdam Lepidium, copiosissimum in Cilicia & Syria nascitur, herbula syluestri quidem pastinacæ similis, tenuior tamen & amarior: radicula candicante & subamara. Oleris instar crudum, coctum conditúmve estur, stomacho vtile

vtile & vrinæ ciendæ vi præditum. Quin & ipſius decoctum ex vino potum, veſicæ prodeſt.

De Scandice. Cap. CLXVIII.

SCANDIX, ſylueſtre quoque olus eſt, ſubacre, amarum, atque eſculentum. Siquidem crudum coctúmve eſtur, aluo ſtomachóque vtile. Eius verò decoctum potu, veſicæ, renibus & iocinori prodeſt.

De Caucalide. Cap. CLXIX.

CAVCALIS, quam nonnulli ſylueſtrem daucum appellant, cauliculus eſt dodrantalis, aut etiam maior, ſubhirſutus, foliis fœniculo ſimilibus, quæ ſunt multis diuiſa inciſuris & hirſuta: candida in cacumine vmbella, eáque odorata. Et hæc quoque planta cruda coctáve, oleris modo eſtur, vrinámque ciet.

De Eruca. Cap. CLXX.

CRVDA Eruca coitum largiore cibo cócitat: ac ipſius quoque ſemen eiuſdem eſt effectus. Vrinas mouet, concoctionem iuuat, aluóque eſt accommodata. Semine in condiendis obſoniis vtuntur: quod vti diutius perennet, aceto lactéve ſubactum in paſtillos digerunt, atque ita reponunt. Naſcitur & ſylueſtris eruca, maximè in Iberia quę Occidentem ſpectat, ac ipſius ſemine loci illius incolæ pro ſinapi vtuntur. Eſt porrò

quàm ſatiua ad mouendam vrinam efficacior, & multò acrior.

De Ocimo. CAP. CLXXI.

OCIMVM vulgo notum: copioſiore cibo aciem oculorum hebetat. Aluum autem emollit, flatus mouet, vrinas ciet, & lac euocat: ægrè tamen conficitur. Impoſitum cum polentæ polline, roſaceo & aceto, inflammationibus auxilio eſt, vt & draconis marini & ſcorpionis ictibus. Per ſe verò cum vino Chio, prodeſt oculorum doloribus. Succus oculorum caligines diſcutit, fluxionéſque reſiccat. Semen verò potum, conuenit atram bilem gignẽtibus, ægrè meientibus, inflatíſque: olfactu in nares attractũ, ſubinde ſternutamenta mouet: id quod & herba ipſa efficit: verùm oculos comprimi oportet vrgente ſternutamento. Eam fugiunt nonnulli, ac edere quoque verentur: quòd commanducata & in ſole poſita vermiculos gignat. In cibum verò receperunt Afri, quia ſi feriantur à ſcorpione qui ocimum ederint, incolumes conſeruentur.

De Orobanche. CAP. CLXXII.

OROBANCHE cauliculus eſt ſubruber, duos ferè dodrantes altus, ac interdum etiam maior, foliis ſubpinguibus, hirſutus ac tener, floribus præditus ſubalbidis, aut in luteum vergentibus. Radix ſubeſt digiti craſſitudi-

craſſitudine, perforata, cùm caulis ariditate flacceſcit. Inter legumina quædam ſi naſcatur, ea ſuffocare creditur: vnde & cognomen accepit. Eſtur autem oleris inſtar cruda, & in patinis aſparagi modo decocta. Cæterùm leguminibus incocta, horum coctionem accelerare perhibetur.

De Barbula hirci. CAP. CLXXIII.

TRAGOPOGON ſeu tetrapogon, quem alij comen vocant, breui caule eſt, foliis croci, radice longa, dulci, nigro ſuper caulem calyce: è cuius ſummo prolixa erumpit lanugo, à qua ſibi nomen aſciuit. Eſt verò herba ipſa eſui apta.

De Ornithogalo. CAP. CLXXIIII.

ORNITHOGALON cauliculus eſt tener, tenuis, ſubalbidus, circiter duos dodrantes altus, tribus aut quatuor in cacumine mollibus agnatis: è quibus flores prodeunt, qui foris quidem herbacei, at vbi expanſi ſunt, lactei viſuntur: ac inter eos capitulum canchryos modo inciſum emicat: quod cum pane aſſatur, veluti melanthium. Radix eſt bulboſa, quæ cruda coctáque in cibos venit.

De Tubere. CAP. CLXXV.

TVBER radix eſt orbiculata, ſine foliis, ſine caule, flaueſcens. Vere effoditur, ac ſeu cruda ſeu cocta, eſui apta eſt.

De Smilace hortensi. CAP. CLXXVI.

SMILAX hortensis, cuius fructus lobia, (quasi siliquulas dicas) & à nonnullis asparagus nominatur, folia habet hederæ, sed molliora: caules tenues, clauicularum instar sese propinquis fruticibus implicantes: qui quidem in tantum adolescunt, vt topiarij operis attegias seu cameras opacent. Fructum autem profert fœnigræci, sed longiorem & insigniorem, intra quem semina concluduntur renum similia, non æquali quidem colore, sed ex parte rufescentia. Is porrò fructus, seu potiùs siliqua cum semine, asparagi modo elixa oleris instar estur. Vrinam verò ciet, & grauia tumultuosáque somnia facit.

De Medica. CAP. CLXXVII.

MEDICA dum recens erumpit, trifolio in pratis nascenti similis est: tandem verò folia contrahit, caules edens trifolij, quibus semen adnascitur lentis magnitudine, siliquis intortis inclusum. Id siccatum, sali condimentario ad saporis iucunditatem admiscetur. Idem viride impositum, iis prodest, quibus refrigeratione opus est. Cæterùm herba tota pro gramine vtuntur qui iumenta pecoráque pascunt.

De

De Aphaca. CAP. CLXXVIII.

APHACA frutex est exiguus in aruis nascens, altior lenticula, foliis tenuibus. Folliculos fert quàm lenticula maiores, quibus exigua semina nigra terna quaternáve, minora lenticula, continentur. Hæc astringendi vim habent: quare frixa, fresa elixáve, lentis more fluxiones alui stomachíque sistunt.

De Porro. CAP. CLXXXIX.

PORRVM capitatum inflationes facit, praui est succi, somnia tumultuosa parit, vrinam ciet, bonam facit aluum, extenuat, oculorum aciem hebetat, menses trahit: sed exulceratam vesicam renésque lædit. Cum ptissana verò coctum aliterve in cibo sumptum, eorum quæ intra thoracem hærent excreationem adiuuat. At coma in aqua maris & aceto cocta, ad insidendum in vuluæ præclusione ac duritia vtilis habetur. Porrum autem bis aqua mutata coctum, frigidáque maceratum dulcescit, multóque minus inflat. At sectiuum & acrius est, & astrictionis nonnihil obtinet: quare expressus ab eo succus cum aceto, addito thure aut manna, sanguinis profluuium sistit, maximè si naribus erumpat. Venerem item stimulat, & ad omnia thoracis vitia cum melle pro eclegmate vsurpatur: esitatum quoque con-

tra tabem efficax eſt, ac ſpiritalem etiam canaliculam purgat. Sed ſi frequentiùs comedatur, viſus obſcuritatem inducit, ac ſtomacho etiam nocet. Succus ex melicrato potus, contra venenatarum beſtiarum morſus auxilio eſt. Sed & ipſum quoque porrum impoſitum prodeſt. Quin & ſuccus aurium doloribus & ſonitui ſuccurrit, cum aceto, thure, lacte aut roſaceo inſtillatus. Folia verò varos tollunt, cum rhoë opſoniorum impoſita, epinyctidáſque ſanant: ac vlcerum quoque cruſtas ex ſale illita emarginant. Cæterum ſeminis binæ drachmæ cum pari myrti baccarum pondere potæ, veteres ſanguinis ſupernè reiectiones cohibent.

De Ampeloprаſo. CAP. CLXXX.

Ampeloprаſum ſtomacho quàm porrum magis aduerſatur: ſed plus quoque excalfacit, vrináſque vehementiùs ciet: menſes quoque pellit. Quin & contra beſtiarum morſus in cibo conuenit.

De Cæpa. CAP. CLXXXI.

CÆPA longa acrior eſt quàm rotunda, itémque ruffa quàm candida, & ſicca quàm viridis ſeu recens, & cruda quàm aſſata, aut ſale condita. Sunt tamen omnes mordacitatis participes, inflationéſque faciunt, appetentiam inuitant, attenuant, ſitim gignunt, nauſeam pariunt, expurgant denique,

denique, aluóque sunt vtiles. Tum excrementis aliis viam aperiunt, tum & hæmorrhoidas reserant. Subduntur verò pro balanis, corticibus nudatæ & oleo immissæ. At succus ex melle inunctus, oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis & incipientibus suffusionibus auxiliatur. Anginosi itidem eo perunguntur. Sed & menses ciet atque pellit, ac infusus caput per nares expurgat. Canis morsibus cum sale, ruta & melle imponitur. Cum aceto autē in sole perunctus, vitiligines sanat: & cum pari spodio, scabras lippitudines sedat. Varos quoque cum sale reprimit. Contra calceamentorum attritus cum adipe gallinaceo vtilis est. Valet etiamnum ad alui profluuium, & auditus grauitatem auriúmque sonitus emendat. Ad purulentas aures, iísdemque interceptam aquam eliciendam prodest. Quin & alopeciis affrictus, celeriùs quàm alcyonium pilos euocat. Porrò cæpa copiosiùs sumpta, capitis dolores ciet, coctáque potentiùs vrinas pellit. Largiùs verò per aduersam valetudinem esitata, quantumuis cocta, lethargum accersit. Cæterùm cocta & cum vua passa aut fico imposita, panos seu tubercula maturat & rumpit.

De Allio. CAP. CLXXXII.

ALLIVM quoddam est satiuum & hortense: quod quidem in Ægypto, porri modo, singulari capite reperitur, dulce, paruum ac purpurascens: alibi verò multiplici capite seu nucleo coagmentatum visitur, atque candidum: ac eiusmodi quidem nucleos seu spicas, aglithas Græci nominant. Est & aliud syluestre, quod ophioscorodon, quasi anguinum allium, appellatur. Vim porrò acrem obtinet alliũ, excalfacit, mordet, flatus pellit, aluum turbat, stomachum exiccat, sitim gignit, inflationémque facit, summam corporis cutem exulcerat, & oculorum aciem esu hebetat. Eadem præstat esitatum ophioscorodon, quod & elaphoscorodon, quasi ceruinum allium, nuncupatur. Sed & latas quoque tænias in cibo pellit allium, vrinásque detrahit: morsis à vipera & hæmorrhoo maximè si quid aliud confert, dum modò continuò pòst vinum superbibatur, aut ipsum è vino teratur ac in potione sumatur. Quin & in eosdem vsus, & contra canis rabiosi morsus, vtiliter imponitur. In cibo verò sumptum, contra mutationes aquarum proficit, [fauces expediendo, easdémque asperas leniendo] voci splendorem affert, veterem tussim crudum coctúmve in cibo lenit. Potum autem cum origani

origani decocto, pediculos ac lendes enecat. Combustum ac melle subactum illitúmque, oculorum sugillationibus & alopeciis medetur: sed in alopeciis curandis vnguentum præterea nardinum additur. Cum sale verò & oleo, sanat papularum eruptiones. Vitiliginem quoque, lichenas, lentigines, vlcera capitis manantia, furfures ac lepras cum melle eximit. At cum thure & tæda decoctum ac in ore detentum, dentium dolorem imminuit. Cum ficulneis foliis & cumino, contra muris aranei morsus imponitur. Comæ decoctum fœminarum desessionibus additum, menses secundásque partus extrahit. In eundem quoque vsum suffumigatur. Cæterùm factum ex eo & oliua nigra intritum, quod myttoton vocant, esu vrinam cit, ora venarum patefacit, ac hydropicis quoque est vtile.

De Scordopraso. CAP. CLXXXIII.

NASCITVR Scordoprason porri magnitudine, allij & porri qualitatum particeps: quapropter mixtas quoque vires obtinet, eadem præstans quæ allium pariter ac porrum, sed efficacia minore. Coctum id porri modo dulcescit, & in olerum vicem transit.

De Sinapi. CAP. CLXXXIII.

SINAPI seu napy eligito non magnoperè aridum, & valdè rufum atque plenum, quódque fractum internè viride ac veluti succosum & glaucum conspiciatur. Tale siquidem recens ac tempestiuum habetur. Ad calfaciendum, attenuandum, attrahendúmque efficax est. Commanducatum autem, valet ad pituitam capitis eliciendam. At succus ex aqua mulsa, contra tonsillarum præduros tumores, veteréſque & callosas arteriæ scabritias gargarizatu prodest. Ipsum verò sinapi tritum & naribus admotum, sternutamenta ciet. Comitialibus quoque auxiliatur, & vuluæ strangulatu oppressas excitat. Quin & lethargicorum capiti deraso illinitur. Ficis autem admixtum & impositum donec rubescat locus, valet ad coxendicum cruciatus, lienes, ac in vniuersum ad quemuis diutinum dolorem, cùm ex alto in summam cutem quidpiam extrahere est in animo, translato scilicet in alteram partem affectu. Alopeciis etiam illitum medetur, faciem purgat, & oculorum sugillata tollit, cum melle, adipe, aut cerato. Cum aceto verò, lepræ & feræ impetigines eo perunguntur. Sed & contra febriles circuitus aridum bibitur, polentæ modo potui inspersum. Emplastris quoque extrahendi vi præ-

vi pæditis, iiſque quæ ad pſoram faciunt, vtiliter ammiſcetur. Succurrit & auditus grauitati incertíſque ſonitibus cum fico tritum, auribúſque inditum. Ipſius verò ſuccus cum melle ad oculorum hebetudines genarúmque ſcabritias conuenienter inungitur. Cæterùm exprimitur recenti adhuc ſemine ſuccus, atque ita in ſole ſiccatur.

De Naſturtio. CAP. CLXXXV.

NASTVRTIVM optimum conſtat eſſe Babylonicum. Cuiuſuis autem naſturtij ſemen excalfacit, acre eſt, ac ſtomacho inimicum: aluum turbat, lumbricos pellit, lienem imminuit, fœtus in vtero necat, menſes cit ac Venerem ſtimulat. Eſt ei denique natura ſinapis & erucæ ſemini ſimilis. Lepras & impetigines exterit: ex melle verò illitum, lienem extenuat, fauos expurgat, & quæ intra thoracem hærent ſurſum educit ſorbitionibus incoctum. Serpentium venenis potum reſiſtit, atque eas ſuffitu fugat. Capillos fluentes cohibet, & carbunculos ad ſuppurationem perducit ac rumpit. At cum aceto & polenta illitum, iſchiadicis: confert: œdemata itidem inflammationéſque diſcutit, ac furunculos quoque ſuppurat cum muria illitum. Cæterùm eadem herba præſtat, ſed effectu minore.

De Thlaspi. CAP. CLXXXVI.

THLASPI herbula est angustis foliis, digitali longitudine, in terram versis, in cacumine diuisis ac subpinguibus. Cauliculum autem emittit tenuem, binûm dodrantum altitudine, cui pauci adnascuntur ramuli: circa verò ipsum totum fructus est, summa sui parte modicè latus: quo semen includitur exiguum, nasturtio simile, disci effigie, veluti infractum compressúmve, vnde & nomen accepit. Flos albicat. Nascitur in semitis, parietibus ac sepibus. Semen acre, excalfaciens: bilem vtrinque tam supernè quàm infernè extrahit, acetabuli mensura potum. Prodest & ischiadicis infusum: potu sanguinem educit, internósque abscessus rumpit. Menses quoque cit, & partus necat. Porrò alterum etiam thlaspi recenset Crateuas, quod aliqui Persicum sinapi vocant, latis foliis & radicibus magnis: quod & ipsum ischiadicorum infusionibus admiscetur.

De Draba. CAP. CLXXXVII.

DRABA herba ad cubiti altitudinem assurgit, tenuibus virgultis, & foliis ex vtroque latere ceu lepidij, sed mollioribus & candidioribus. In cacumine verò sambuci vmbellam gerit, candidis floribus præditam. Huius herba cum ptissana coquitur: in

Cappado-

Cappadocia maximè. At verò ſemen ipſius aridum, piperis vice opſoniis admiſcetur.

De Eryſimo, ſeu Irione.
CAP. CLXXXVIII.

ERYSIMON circa vrbes, domorum areas hortóſque naſcitur, foliis erucæ ſylueſtris: cauliculis in lori modum ſequacibus & flexilibus, floribus luteis, ſiliquis in cacumine corniculorũ figura, iiſq; gracilibus, vti fœnigræci: quibus exigua concluduntur ſemina naſturtij ſimilia, feruidóque guſtu. Ea ſi cum melle delingantur, contra thoracis fluxiones, purulentas excreationes ac tuſſes, morbum regium & iſchiadem efficacia ſunt. Bibitur & ſemen contra venena. Ex aqua verò aut melle illitum, prodeſt carcinomatis occultis, duritiis, parotidibus, ac teſtium mammarúmque inflammationibus. In ſumma attenuat & calfacit. Cæterùm ad eclegmata redditur mitius & accommodatius, ſi aqua maceratum torreatur, aut linteo illigatum ſubactáque farina oblitum inaſſetur.

De Pipere. CAP. CXXXIX.

PIPER breuis arbor eſſe traditur in India naſcens, quæ quidem fructum promit inter initia oblongum ſiliquarum inſtar, quod longum piper eſt. Is habet intus aliquid tenue ac milio ſimile, quod tandem

in perfectum piper euadit. Et ille quidem ſuis temporibus dehiſcens pandénſque ſeſe, racemos emittit grana ferentes, qualia nouimus: è quibus nonnulla acerba & immatura piper faciunt candidum, aptiſſimum remediis oculorum, antidotis & iis medicaminibus quæ contra venenatas beſtias parantur, Theriaca vocant. Eſt porrò longum intenſa mordacitate præditum & ſubamarum, quoniam immaturum: antidotis itidem & theriacis medicaminibus accommodatum. At nigrum albo ſuauius eſt, acrius, oríque gratius ac magis aromaticum, propterea quòd tempeſtiua maturitate collectum eſt: quin & ad condimenta vtilius eſt. Candidum verò, quippe quod in acerbum vergat, antedictis infirmius & inefficacius eſt. Eligito grauiſſimum, plenum, nigrum, non valdè rugoſum, ſed recens ac minimè furfuroſum. Reperitur etiamnum quoddam in genere nigri, nutrimento defectúm, caſſum ſeu inane ac leue, quod braſma nominatur. Vim habet communiter omne piper excalfaciendi, vrinam ciendi, concoquendi, attrahendi, diſcutiendi, detergendíque ea quæ pupillis tenebras offundunt. Conuenit etiam, ſeu potum ſeu illitum, febrium rigoribus per circuitum repetentibus: ac venenatarum quoque beſtiarum

rum morſibus auxiliatur,& partus extrahit. Creditur & ſtatim à concubitu ſubditum, ſpem partus adimere. Quin & tuſſi omnibúſque pectoris vitiis linctu potúve ſuccurrit. Anginis item conuenit cum melle perunctum,ac tormina diſcutit potum cum lauri foliis tenellis. Manducatum verò cum vua paſſa, pituitam è capite prolicit. Dolores quoque ſedat,valetudinem tuetur,& appetentiam mouet.Sed & concoctionem adiuuat,ad intinctus additum.Exceptum verò pice,ſtrumas diſcutit,ac vitiligines etiam ex nitro emaculat. Torretur autem fictili nouo ſuper prunis, eodem quo in cremanda lente fit modo agitatum. Cæterùm non eſt huius arboris radix, vt aliqui exiſtimauêre, zingiber:quemadmodum paulò pòſt oſtendemus. Attamen piperis radix coſto ſimilis eſt,guſtantium ora calfacit,ſaliuámque ciet. Eadem cum aceto impoſita, itémque pota, lienem imminuit. Capitis etiam pituitam elicit commanducata cum ſemine pedicularis herbæ, quam ſtaphidem agriam vocant.

De Zingibere. CAP. CXC.

ZINGIBERIS ſui generis planta eſt, quæ plurima in Troglodytica & Arabia naſcitur. Huius herba virente cocta,ad multa,perinde atque nos ruta, vtuntur,pro-

potiſmatis ac pulmentis eam admiſcentes. Radiculas habet paruas, cyperi modo, candicantes, ſapore piper imitantes ac odoratas. Eligito quæ teredinem minimè ſenſerint. A quibuſdam tamen ob id condiuntur, quòd celeriter cariem ſentiant, ac fictilibus in Italiam aſportantur, cibis idoneæ, ſi modò cum ſuo condimento aſſumantur. Vim porrò habet zingiber calfacientem, concoquentem, aluum leniter emollientem, ac ſtomacho etiam vtilem. Eſt & efficax aduerſus ea quę pupillis caliginem offundunt. In antidota quoque additur, ac in vniuerſum piperis vires quadantenus æmulatur.

De Hydropipere. CAP. CXCI.

HYDROPIPER apud aquas maximè ſtagnantes leniterve fluentes gignitur. Caulem edit geniculatum ac ſolidum, circa quem alarum ſunt concauitates, ac folia menthæ ſimilia: ſed maiora, delicatiora candidioráque, guſtu acria piperis modo, citra tamen vllam odoris gratiam. Fructum verò gerit in ſurculis paruis prope folia erumpentem, & racematim cohærentem: qui & ipſe acris eſt. Vim habent folia cum ſemine impoſita œdemata veteréſque duritias diſcutiendi, & ſub oculis ſugillata emendandi. Siccata verò & tuſa, ſali & opſoniis pro pipere admiſcentur. Cæterùm radicem habet par-

bet paruam, nullius in medicina vſus.

De Ptarmica. CAP. CXCII.

PTARMICA exiguus frutex eſt, ſurculos habens paruos, multos & teretes, abrotono ſimiles: circa quos folia ſunt oblonga, oleaginis proxima multáque: ac in cacumine capitulum, vti anthemidis, paruum, rotundum, acri odore, ſternutamenta ciens, vnde etiam nomen accepit. Valent folia cum floribus illita, ad delenda ſub oculis ſugillata: flores autem ſternutamenta efficaciſſimè mouent. Naſcitur in montoſis ſaxoſiſque locis.

De Struthio ſeu radicula.

CAP. CXCIII.

STRVTHIVM vulgo notum, quo fullones purgandis lanis vtuntur. Huius radix acris eſt, vrinámque ciet: auxiliatur hepaticis, tuſſi & orthopnœæ, ſumpta cum melle cochlearis menſura, & aluum quoque ſubducit. Eadem cum panace & capparis radice, calculos frangit & cum vrina expellit; lienémque in ſcirrhum induratum liquat. Subdita verò, menſes trahit, & partus efficaciter enecat. Cum polenta autem & aceto illita, lepram emendat. Diſcutit & panos, cum farina hordeacea & vino decocta. Miſcetur præterea collyriis exacuendæ oculorum aciei dicatis, itémque malagmatis.

Sternutamenta etiam facit, atque per os purgat, trita cum melle ac naribus infusa.

De Cyclamino. CAP. CXCIIII.

CYCLAMINVS folia habet hederæ similia, purpurea, varia, infrà supráque maculis albicantibus distincta: caulem verò quaternûm digitorum, inanem ac nudum: in cuius summo flores emicant rosarum effigie, purpurascentes. Radix nigra, rapo proxima & aliquantum lata. Quæ quidem cum hydromelite pota, pituitam aquosáque detrahit: ac menses pota subditáve ciet. Tradunt, si prægnans mulier radicem eam transgrediatur, abortum fieri. Sed & adalligata partum accelerat. Contra venena, præsertímque leporis marini, ex vino bibitur. Imposita quoque, contra serpentium ictus remedio est: & addita in vinum, ebrietatem repræsentat. Regium verò morbum discutit, tribus drachmis pota cum passo aut mulsa dilutiore: sed bibentem oportet cubiculo calido miniméque ventis exposito recumbere, pluribus contectum stragulis, quò faciliùs exudet. Qui verò elicietur sudor, colore felleus inuenietur. Eius etiam succus cum melle naribus infunditur ad purgandum caput, & sedi in vellere subditur ad deiicienda alui excrementa. Idem illitus vmbilico & imo ventri ad coxas vsque, alnum

aluum emollit, abortúmque facit. Quin & suffusis hebetioribúsque oculis oblitus cum melle succus prodest. Miscetur & medicamentis abortum inferentibus. Idem cum aceto illitus, prociduam sedem restituit. Exprimitur verò tusa radice succus, & ad mellis crassitudinem decoquitur. Radix autem ipsa cutem purgat, eruptiones papularum reprimit, ac vulneribus ex aceto tum per se, tum etiam cum melle, medetur. Lienem quoque imposita liquat & absumit. Contractas etiam à sole maculas & alopecias emendat. Sed & ipsius decoctum fotu, luxatis, podagræ, capitis vlcusculis atque pernionibus idoneum & accommodatum est. Quòd si in oleo vetere feruefacta fuerit, illito oleo cicatrix inducitur. Ipsa quoque radix excauata oleo impletur, & cineri feruenti imponitur, addito interdum cerę Tyrrhenicæ momento, vt strigmenti modo viscosus fiat illitus, perquàm vtilis pernione laborantibus. Cæterùm radix scillæ modo concisa reponitur: traditúrque etiam ad amatoria assumi tusa, ac in pastillos diuisa. Nascitur verò locis vmbrosis, maximéque sub arboribus.

De Cyclamino altera. CAP. CXCV.

Cyclaminus altera, quam nonnulli cissanthemon aut cissophyllon vocant, folia

fert hederæ, ſed minora: caules craſſos, geniculatos, quíque circa vicinas arbores capreolorum modo ſeſe voluunt. Flores viſuntur candidi, odorati. Fructus verò vuæ acinorum inſtar, corymbis hederæ ſimilis, mollis, ac ſapore aliquantulum acris, atque lentus: radix ſuperuacua. Naſcitur locis aſperis. Huius fructus drachmæ vnius pondere potus cum vini albi cyathis duobus ad quadraginta dies, lienem liquat, ac per vrinas & aluum abſumit. Bibitur & ad orthopnœam: ac potus quoque, reliquias à partu purgat.

De Dracontio ſeu dracunculo.
CAP. CXCVI.

DRACVNCVLVS folia fert hederacea, magna, candidis notata maculis: caulem verò rectum, duûm cubitorum, verſicolorem, anguis effigie, maculis reſperſum purpureis, baculi craſſitudine. Fructus eſt in ſummo racemoſus, colore primùm quidem herbaceo, ſed cùm ematuruit, ad croceum vergente, ſapore mordax. Radix quadantenus rotunda, bulboſa, aro ſimilis, tenui veſtita cortice. Naſcitur in vmbroſis, circa ſepes ac macerias. Expreſſus è ſemine ſuccus cum oleo in aurem infuſus, dolorem auris mitigandi vim habet. Naribus etiam ex vellere inditus, polypum abſumit. Sed &

carcino-

carcinomata illitu ſiſtit. Eius autem grana xxx. ſi in poſca bibantur, abortum inferunt. Quin & odorem aiunt, poſteaquam flaccidi flores emarcuerunt, recens conceptos fœtus enecare. At radix calfaciendi vi prædita, ſuccurrit orthopnoeæ, ruptis, conuulſis, tuſſi atque deſtillationi. Pectori etiam hærentes humores facit excreabiles, ſiue elixa, toſtáve cum melle aut per ſe edatur, ſiue ipſa trita ex melle delingatur. Vrinam quoque ciet ac Venerem excitat, è vino pota. Quin & vlcera maligna & phagedænica cum bryonia alba & melle trita expurgat & ad cicatricem perducit. Ex ea quoque efformantur collyria ad fiſtulas, extrahendóſque partus. Aiunt & qui manus radice perfricuerit, à viperæ morſu tutum & illæſum exiſtere. Ex aceto denique illita, vitiligines emaculat. Folia verò trita, recentibus vulneribus linamentorum vice conuenienter imponuntur: itidémque pernionibus, ſi priùs in vino decocta fuerint. Sed & caſeus foliis inuolutus, à putredine ſeruatur immunis. Succus autem radicis, ad nubeculas, albugines, oculorúmque caligines conuenit. Ipſa verò radix, etiam ad ſanorum vſus, nimirum in cibos, cocta crudáque oleris vice recipitur. Quin & Gymneſiarum inſularum, quas Baleares vocant, incolæ coctam radicem cum

melle multo placentarum loco in conuiuiis apponunt. Cæterùm radicem messibus effodi, lotámque & frustatim concisam, ac lino traiectam siccari in vmbra, atque ita recondi oportet.

De Aro. CAP. CXCVII.

ARON apud Syros lupha vocitatum, folia emittit dracunculi, sed & minora & minùs maculosa: caulem dodrantalem, subpurpureum ac pistilli forma, in cuius summo fructus est in croceum colorem inclinans. Radix alba, dracunculi radici proxima: quæ itidem decocta estur, quippe quæ minùs acris sit. Folia verò ad esum condiuntur, & arida per se decocta manduntur. Radix, semen & folia, easdem cum dracunculo vires obtinent. Priuatim tamen radix cum fimo bubulo podagricis imposita prodest. Cæterùm eodem quo dracunculi radix modo reconditur, ac in summa ob mitiorem qua prædita est acrimoniam esui aptior est.

De Ari seu arisaro. CAP. CXCVIII.

ARISARVM exigua herbula est, cuius radix oliuæ magnitudinem implet. Est ea maioris quàm aron acrimoniæ: vnde illitu nomas sistit. Ex eadem collyria concinnantur, ad fistulas efficacia. Cæterùm imposita indítáve, cuiuslibet animalis genitale agit in perniciem.

De Asphodelo, seu hastula regia.

CAP. CXCIX.

ASPHODELVS, planta est plerisque omnibus cognita, foliis magni porri, caule verò læui, (anthericon appellant) cuius in cacumine flos emicat. Radices subiacent oblongæ, teretes, glandibus similes, gustu acres, & calfaciendi vi præditæ. Hæ bibitæ, vrinas menstruáque concitant. Medentur & lateris doloribus, tussibus, conuulsis atque ruptis, drachmæ pondere in vino potæ. Vomitiones verò adiuuat asphodelus, lusorij tali magnitudine in cibo sumptus. Vtiliter etiam tribus drachmis datur à serpente demorsis: sed vulneribus ex morsu folia, radicem ac flores ex vino illini oportet. Item sordidis ac depascentibus vlceribus, mammarum ac testium inflammationibus, tuberculis furunculísque, radix vna cum vini fæce decocta: recentibus autem inflammationibus, ex polenta auxiliatur. At ex radicis succo, additis vetere vino dulci, myrrha & croco, ita vt simul omnia decoquantur, illinendis fit oculis vtile cumprimis medicamentum. Idem ad purulentas aures per se, & cum thure, melle, vino ac myrrha tepefactus, prodest: dentium verò dolores mitigat, oppositæ auriculæ per sese instillatus. Cinis autem è cremata radice,

alopecias illitu densat, capillóve replet. Oleum verò in excauatis radicibus igni decoctum, exulceratis pernionibus & igni ambustis inunctione conducit, & aurium dolori infusum auri auxiliatur. Porrò vitiliginem albam, ad solem linteolo antè perfrictam, illita radix emaculat. Cæterùm semen & flores, si in vino bibantur, præ cæteris omnibus egregriè scolopendræ & scorpionum ictibus aduersantur: sed & violenter aluum deiiciunt.

De Bulbo esculento. CAP. CC.

BVLBVS esculentus quo vescimur, vulgo cognitus est. Stomacho & aluo vtilis rufus, quíque ex Africa defertur. Amarus verò & scillæ similis, stomacho aptior est, & concoctionem adiuuat. Bulbi autem omnes, acres sunt & excalfactorij: Venerem stimulant, linguam & tonsillas exasperant, plurimùm nutriunt, & carnem augent: verùm inflationes pariunt. Illiti verò, efficaces sunt ad luxata, contusa, infixa spicula & articulorum dolores: itémque ad gangrænas & podagras, cum melle ac per se. Valent & ad hydropicorum œdemata & canum morsus, cum melle ac pipere trito similiter impositi. Sudores iidem compescunt, stomachíque dolores mitigant. Quin & furfures vlceráque capitis manantia cum tosto nitro abstergunt.

ſtergunt. Sub oculis ſugillata varóſque per ſe, aut ex oui luteo, itémque lentigines cum melle vel aceto, emendant. Fractis etiam auribus vnguibúſque contuſis ex polenta medentur. Ficos iidem tollunt, in calidis cineribus torrefacti, & cum vſtis mænarum capitibus impoſiti. Cremati verò & cum alcyonio permixti, contractas à ſole maculas & cicatrices nigras in ſole illiti emaculant. Faciunt & ad rupta, ſi cum aceto elixi edantur. Cæterùm ab ipſorum largiore cibo cauendum, quoniam genus neruoſum tentant.

De Bulbo vomitorio. CAP. CCI.

Bulbus, quem vomitorium vocant, folia habet lori modo flexiliora, multóque longiora quàm eſculentus: radicem tamen bulbo ſimilem, ſed cortice nigro veſtitam. Ea radix per ſe comeſta, itémque ipſius decoctum potum, veſicæ vitiis medentur, ac vomitiones mouent.

De Scilla. CAP. CCII.

SCILLA vim habet acrem & vrentem. Attamen aſſata, ad plurimos vſus accommodatur. Farina verò ſubacta lutóve oblinitur, & in clibanum coniicitur, aut prunis obruitur, donec ambiens cruſta ſufficienter intoſta fuerit. Hac detracta, niſi ſcilla prorſus mollis ac tenera euaſerit, iterum noua

farina ſubacta lutóve obducetur, & eadem quæ priùs fient. Enimuerò quæ non ſic aſſata fuerit, interaneis noxam infert, maximè ſi intrò ſumatur. Torretur & in olla operculata, atque in furnum demiſſa. Ex ea verò ſumitur quod intimum eſt meditullium, direptis exterioribus tunicis. Sed & conciſa elixatur, mutata ſæpius aqua, tantiſper dum in ipſa aqua neque amaritudo neque acrimonia percipiatur vlla. Denique & in vmbra ſiccatur fruſtatim confecta, linóque traiecta modicis interuallis, vt ne ſegmina ſeu taleolę ſeſe inuicem contingant. Et his quidem ſcillæ ſegmentis ad oleum, vinum & acetum ſcilliticum vtimur. At verò ad pedum rimas interna pars crudæ ſcillæ in oleo feruefacta, aut cum reſina diſſoluta, imponitur. A vipera autem demorſis in aceto decocta vice cataplaſmatis adhibetur. Ad ſingulas porrò toſtæ ſcillæ partes adiectis octonis triti toſtíque ſalis, cochlear vnum aut alterum ieiunis exhibemus, emolliendæ alui gratia. In potiones quoque & aromaticas compoſitiones addita, iis prodeſt quibus vrinam ciere volumus, itémque hydropicis & ſtomachicis quibus innatat cibus, regio morbo laborantibus, torminoſis, tuſſi vetere infeſtatis, ſuſpirioſis & ore vitioſos humores reiicientibus. Pondus verò ternûm

rò ternûm obolorum ex melle delingi sat est. Coquitur & in melle, estúrque in eosdem vsus, concoctionem plurimùm adiuuans. Strigmenti verò in modum viscida recrementa aluo detrahit. Sed & elixa simili sumpta modo, eosdem præbet effectus. Veruntamen cauendus ipsius vsus iis, quibus est interna quæpiam exulceratio. Quin & tosta, ad pensiles verrucas & perniones efficaciter illinitur. Ipsius verò semen tritum, carica aut melle exceptum atque deuoratum, aluum emollit. Est & tota pro foribus suspensa contra malorum medicamentorum noxiam remedio.

De Pancratio. CAP. CCIII.

PANCRATIVM, quod etiam aliqui scillam (pusillam) appellant, radice est magno bulbo simili, subrufa aut subpurpurea, amaro feruidóque gustu, foliis lilij, sed longioribus. Scillæ vires & præparationem eandem habet, ac eodem quoque pondere ad eosdem affectus efficaciter exhibetur. Attamen huic mitior quàm scillæ facultas inest: quò fit vt & huius radicis succus expressus ad erui farinam admixtus, in pastillos digeratur: qui quidem vtiliter ex hydromelite spleneticis hydropicísque dantur.

De Cappari. CAP. CCIIII.

CAPPARIS frutex eſt aculeatus, per terram in orbem ſtratus. Spinas, vt rubus, habet in hami modum aduncas: folia mali cotoneæ, rotunda: fructum verò oliuæ inſtar: qui cum dehiſcens panditur, florem promit candidum. Hoc verò dilapſo nonnihil glandis oblongæ figura inuenitur, quod apertum grana tanquam Punici mali exigua rubentiáque intra ſe oſtendit. Radices lignoſæ ſunt, grandes ac numeroſæ. Aſperis plerunque locis, tenuíque ſolo, in inſulis domorúmque areis naſcitur. Porrò caulis ipſius ac fructus, cibi gratia ſale condiuntur. Aluum porrò turbat capparis, ſtomacho aduerſatur, ſitímque gignit. At cocta tamen ſi edatur, ſtomacho quàm cruda vtilior. Semen drachmarum duarum pondere ex vino potum ad dies quadraginta, lienem abſumit: quippe quod vrinam trahat, cruentúmque alui excrementum educat. Epotum itidem, iſchiadi & paralyſi ſuccurrit, itémque ruptis & conuulſis: menſes quoque ciet, ac pituitam capite detrahit. Quin & dentium dolorem ſedat ex aceto decoctum, colluto inde ore. Radicis autem cortex aridus, tum ad antedicta valet, tum etiam quoduis vetus, ſordidum & calloſum vlcus expurgat. Spleneticis quoque cum hordea-

cea

cea farina imponitur. Sed & dente demorsa radix, eius dolori auxiliatur: & cum aceto trita, vitiligines albas exterit. Denique radix foliáque trita, duritias strumásque discutiunt: aurium verò vermiculos infusus succus enecat. Porrò capparis Africa, præsertímque quæ apud Marmaridas appellatos nascitur, vehementer inflat. Apula vomitum facit: quæ autem è Rubro mari & Arabia defertur, acerrima: siquidem in ore pustulas excitat, & gingiuas osse tenus exest: quapropter est cibis inepta.

De Lepidio. CAP. CCV.

LEPIDIVM, quod aliqui gingidium vocant, herbula vulgo nota, quæ muria cum lacte conditur. Vis foliorum acris & exulcerans: quapropter ischiadi per quàm eximium est ac singulare remedium, si trita cum helenij radice ad quartam horæ partem imponatur. Lienosis simili modo prodest: ac lepras quoque tollit. Radix autem adalligata collo, dentium dolores compescere ac inhibere creditur.

De Ranunculo. CAP. CCVI.

RANVNCVLI, quod aliqui apium agreste nominant, plura quidem sunt genera: at vis tamen omnibus vna, acris scilicet ac vehementer exulcerans. Ac vnum quidem coriandri foliis constat, sed latiori-

bus,ſubalbidis & pinguibus: flore luteo, interdum purpureo. Caulis minimè craſſus eſt, ſed cubitum altus. Radice nititur exigua, candida & amara, adnatis ceu capillamentis,hellebori modo,fibrata:iuxta fluenta naſcitur. Alterum eſt lanuginoſius, longioréque caule, pluribus foliorum inciſuris,plurimum in Sardinia proueniens, acerrimum, quod etiam ſylueſtre apium appellant. Eſt & tertium valdè paruum & odore graui, flore aureo. Quartum ſimile huic, flore lacteo. Folia & caules tenelli vim habent illitu exulcerandi, & vſque adeò vrendi, vt etiam cruſtas cum dolore inducant. Quare ſcabros vngues auferunt, pſoras remouent,ſtigmata delent: itémque formicationes ac penſiles verrucas & alopecias ad breue tempus impoſita tollunt. Quin & tepente eorum decocto perniones fouentur. Radix verò ſicca tritáque, ſternutamenta ciet, naribus admota: dentium quoque dolores appenſa leuat,ipſos tamen rumpit.

De Anemone. CAP. CCVII.

ANEMONE duûm eſt generum: ſylueſtris quidem vna,ſatiua altera.Et in ſatiuæ quidem genere eſt quæ phœniceos flores habeat: altera quæ candicantes, aut lacteos, aut purpureos. Harum folia coriandro ſimilia, ſed proximè terram ſciſſa tenuiùs.

nuiùs. Cauliculi lanuginosi, tenues, in quibus flores veluti papaueris, & in medio capitula nigra aut cærulea: radix oliuæ magnitudine, aut etiam maior, veluti geniculis distincta. At syluestri amplitudo prorsus maior quàm satiuæ, foliísque est latioribus ac durioribus: capite oblongiore, flore phœniceo, tenuibus ac pluribus radiculis. Est & quædam foliis nigris, quæ quidem acrior est. Vis vtriusque acris: qua de causa ipsius radicis succus naribus infusus, valet ad purgandum caput. Commanducata verò radix, pituitam trahit. Decocta autem in passo & imposita, medetur oculorum inflammationibus: sed & cicatrices eorundem ac hebetudines emendat, sordidáque vlcera expurgat. Cæterùm folia & caules si cum ptissana decoquantur, & in cibo sumantur, lactis fœcunditatem præstant: subdita autem in pesso, menstrua ciunt. Illita quoque, lepras eximunt. Sunt qui nescientes ab anemone syluestri distinguere argemonen dictam & papauer rhœas, (de quo inter genera papaueris agemus) propter florum in puniceo colore conuenientiam, eupatorium errore ducti argemoniam appellent. Veruntamen tum argemone, tum & rhœas minùs saturato puniceo colore visuntur, & vtraque seriùs floret. Quinetiam

argemone croceum gustúque admodum acrem liquorem reddit: rhœas verò, candidiorem & acrem. Insuper vtrique intermedia sunt capitula syluestris papaueris similia, nisi quòd argemones quidem capitulum supernè latiusculũ est: rhœadis autem, aliquantò angustius. At anemones genera neque liquorem reddunt, neque capitula calycésve habent, sed velut asparagi cacumen. Denique & in aruis cultísve illa plerunque nascuntur.

De Argemone. CAP. CCVIII.

ARGEMONE tota quidem syluestri papaueri similis est: sed folium habet quale anemone, diuisum: florem in cauliculo puniceum: caput quale papauer rhœas, sed oblongius & summis partibus latum: radicem rotundam: liquorem verò reddit croci colore & acrem. Illita folia, argema & nubeculas expurgant, inflammationésque compescunt.

De Anagallide. CAP. CCIX.

ANAGALLIDIS duo sunt genera, quæ flore distant. Nam quæ cæruleo est flore, fœmina dicitur: mas, quæ phœniceo. Frutices sunt exigui, in terra iacentes, quibus folia in quadrangulis cauliculis pusilla, subrotunda, ad folia helxines accedentia: fructus rotundus. Vtraque porrò vim habet miti-

mitigandi, inflammationes arcendi, adactos corpori aculeos extrahendi, & nomas cohibendi. At ſuccus earum capitis pituitam gargarizatu euocat,& naribus infuſus, dentium dolorem lenit, ſi in narem dolenti denti oppoſitam immiſſus fuerit. Emendat & argema cum melle Attico, & oculorum hebetudini opitulatur. Sed & morſis à vipera prodeſt,ex vino potus, itémque nephriticis, hepaticis, atque hydropicis. Cæterùm aiunt nonnulli impoſitam eam quæ cæruleum edit florem, ſedis procidentiam retrò agere: quæ verò phœniceum, eandem proritare.

De Hedera. CAP. CCX.

HEDERA multas in ſpecie differentias ſortitur: ſummas autem genere tres. Eſt enim candida quædam,nigra altera, tertiáque quæ vocatur helix. Et candida quidem, fructum fert candidum: nigra, quam etiam vulgus Dionyſiam vocat, nigrum aut croci æmulum. At helix fructum non gignit, tenues autem habet viticulas:folia verò parua, anguloſa & rubra. Porrò hedera omnis acris eſt & aſtringens, neruoſúmque genus tentat. Flores ternis digitis capti,&in vino poti, ad dyſentericos faciunt: ſed bis die potari oportet. Iidem cum cerato triti, ambuſtis proſunt. Recentia autem mollia-

ve folia ex aceto decocta, aut cruda cum pane detrita, lienem ſanant. At ſuccus foliorum & corymborum, cum irino vnguento, melle aut nitro, contra veteres capitis dolores vtiliter per nares infunditur. Perfunditur & eo caput cum aceto & roſaceo. Dolentibus verò purulentíſque auribus cum oleo medetur. Nigræ autem hederæ ſuccus & corymbi epoti, ſterilitatem faciunt, mentémque turbant largiùs ſumpti. Globoſi verò corymborum acini quinque triti calfactíque cum roſaceo in Punici cortice, & in dolore dentium contrariæ auri inſtillati, dolorem mitigant. Denigrant & capillum corymbi. At folia in vino cocta, omni vlcerum generi illinuntur. Ambuſta quoque, etiam maligna, & maculas à ſole contractas ſanant, velut antè dictum eſt, decocta. Mouent & menſes corymbi triti ac ſubditi. Iidem poſt purgationes fœminarum drachmæ pondere poti, ſpem conceptionis adimunt. Sed & pediculus foliorum melle irrigatus, & vuluæ inditus, menſes & partus extrahit. Succus autem inſtillatus, narium graueolentiam emendat, & earundem putrida vlcera expurgat. Hederæ verò lacryma, pſilothrum eſt: ac illitu pediculos enecat. Radicum denique ſuccus in aceto pôtus, morſis à phalangio ſuccurrit.

De

De Chelidonia. CAP. CCXI.

CHELIDONIA maior caulẽ profert cubitalem, aut etiam altiorem, gracilem, qui quidem adnatos habet ramulos foliis refertos. Sunt autem ea ranunculi foliis ſimilia, at molliora tamen, & aliquantum colore glauco: flos verò ſecundùm ſingula folia prodit, vti violæ albæ. Succus croceus eſt, acris, mordax, aliquantulum ſubamarus & graueolens. Radix supernè quidem ſingularis eſt, at infernè in multa crocea capillamenta fibratur. Fructus ceu corniculati papaueris, tenuis, longus, coni ſeu metæ figura, in quo exigua ſemina papaueris ſeminibus maiora concluduntur. Succus melli admixtus & in æreo vaſe prunis decoctus, oculorum aciem adiuuat. Foliis verò, radice & fructu ineunte æſtate ſuccus exprimitur: qui quidem ſiccatus in vmbra, digeritur in paſtillos. Radix cum aniſo ex vino albo pota, regio morbo medetur, itémque herpetibus, impoſita cum vino: ſed & commanducata, dentium dolorem ſedat. Porrò creditur chelidoniæ nomen ſibi vendicaſſe, quòd primo ſtatim hirundinum aduentu erumpat, earundémque diſceſſu marceſcat. Sunt & qui tradiderint, ſi quis ex hirundinum pullis excæcatus fuerit, matres admota herba illius cæcitati mederi, adeóque viſum reſtituere.

De Chelidonia minore. CAP. CCXII.

Chelidonia minor, quàm syluestre triticum aliqui nuncuparunt, herbula est pediculis ab radice pendens, sine caule, foliis hederæ figura, sed multò rotundioribus ac minoribus, mollibus & subpinguibus circundata. Radices habet ex eodem callo complures, pusillas, in granorum tritici modum aceruatim congestas, quarum tamen tres quatuórve in longitudinem protenduntur. Cæterùm iuxta aquas palustriáque loca nascitur. Vim acrem obtinet, & anemones modo summam cutem exulcerat: psoras item & scabros vngues eximit. Succus verò radicibus expressus, addito melle, ad purgandum caput naribus vtiliter infunditur.

De Othonna. CAP. CCXIII.

OTHONNAM aiunt nonnulli maioris chelidoniæ succum esse, quidam glaucij: alij floribus corniculati papaueris expressum succum: alij anagallidis cæruleæ, hyoscyami & papaueris succorum misturam esse contendunt. Alij denique Troglodyticæ cuiusdam herbæ succum, quæ Othonna vocetur: nascíque eam in eo Arabiæ tractu, qui ad Ægyptum spectat. Habet hæc folia erucæ proxima, crebrò perforata & tanquam à tineis pertusa, squalore obsita, pauca: quare quidam anemones speciem esse

esse existimauerunt. Ex ea succus expressus, oculorum medicamentis conuenit, vbi expurgare opus est. Mordet enim, & quæcunque oculis caliginem offundunt absterget. Tradunt & humorem quendam ex herba emanare; qui elotus, semotis lapillis, in pastillos ad eadem digeratur. Aliqui tamen affirmant, lapidem Ægyptium esse, in Thebaïde nascentem, æreo colore, exigua magnitudine, gustu cum feruore quodam & astrictione mordaci.

De Myosotide, seu muris auricula.

Cap. CCXIIII.

MVRIS auricula, quam myosotida vocant, caules promit ab vna radice plures, aliquatenus infernè rubentes & concauos: folia oblonga, angusta, dorsi spinam elatam & eminulam habentia, nigricantia, per interualla assiduè geminata, & in mucronem desinentia. Prodeunt verò ex alis tenues cauliculi, in quibus flosculi cærulei, parui, vt anagallidis. Radix digitali est crassitudine, multis fibrata capillamentis. Est denique, vt semel finiam, herba scolopendrio similis, sed læuior ac minor. Huius radix imposita, ægilopas sanat. Sunt & qui alsinem, myosotida vocitent.

De Isatide satiua, seu glasto.
Cap. CCXV.

ISATIS satiua, qua lanarum infectores vtuntur, folium habet plantagini simile, verùm pinguius nigriúsque: caulem verò, altitudine duos excedentem cubitos. Imposita folia, œdema quoduis atque tubercula discutiunt, cruentáque vulnera glutinant. Erumpentem quoque sanguinem sistunt, & phagedænas, herpetas, erysipelata ac putrescentia vlcera sanant.

De Isatide syluestri. Cap. CCXVI.

Isatis syluestris, antedictæ similis est: sed folia fert maiora, quæ ad lactucæ folia accedunt: caules verò tenuiores, multifidos, quadantenus rubentes: è quorum cacumine folliculi multi linguarum figura dependent, in quibus semen: florem denique luteum ac tenuem. Eadem quæ & suprà dicta prę stat, sed præterea lienosis tam pota quàm imposita auxiliatur.

De Telephio. Cap. CCXVII.

TELEPHIVM portulacę simile est & foliis & caule: alas verò binas habet, singulis foliorum geniculis inhærentes: ramuli seni septenive à radice fruticant, foliis referti cæruleis, crassis, lentis atque carnosis: flores denique lutei sunt aut candidi. Vere nascitur in vitibus locísque cul..s. Folia ad

lenas

ſenas horas impoſita, leucem ſanant: verùm poſteà hordeaceam farinam hydulæo ſubactam adhibere oportet. Tollunt & vitiligines alphos dictas, ex aceto in ſole illita: ſed vbi inaruerint, abſtergi ea oportet.

Libri ſecundi finis.



PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARbæi De Medica materia, Liber III.

IANO ANTONIO SARACENO, LVGDVNAEO, INTERPRETE.

Præfatio.



PRIORIBVS quidem libris, amantiſſime Aree, de aromatis, vnguentis, oleis, arboribus, earúmque fructibus & lacrymis: deindéque de animalibus, cerealibus, oleribus & acrimonia præditis herbis egimus. In

hoc verò tertio, de radicibus, ſuccis, herbis & ſeminibus tum naturæ noſtræ familiaribus, tum etiam medicamentoſis, diſſeremus.

De Agarico. CAP. I.



GARICVM radix fertur ſilphij ſimilis, non tamen denſa ſumma facie, veluti ſilphium, ſed tota rarior. Duo eius genera: mas inquam, & fœmina. Præfertur verò fœmina, quæ quidem rectas intus habet pectinum modo venas & quaſi diuiſuras. Mas autem rotundus eſt, & vndique congener ac ſui ſimilis. Sed eſt ſimilis vtrique guſtus: ſcilicet initio dulcis, mox vbi diffundi per os cœperit, in amaritudinem tranſit. Gignitur in Sarmatiæ regione, quæ Agaria dicitur. Sunt verò qui plantæ radicem eſſe affirment: alij vti fungos ex putredine naſci in arborum caudicibus. Naſcitur & in Galatia Aſiæ & Cilicia in cedris, ſed friabile & infirmius. Porrò Agaricum aſtringendi calfaciendíque vim habet: éſtque efficax contra tormina, cruditates, rupta & caſus ab alto. Datur verò binis obolis ex vino mulſo febrim non ſentientibus: febricitantibus autem, in aqua mulſa: itémque hepaticis, ſuſpirioſis, arquatis, dyſentericis, nephriticis, ægrè meientibus, ab vtero ſtrangulatis, atque

quæ fœdo pallore decoloratis drachmæ pondere exhibetur: phthiſicis autem ex paſſo: ac lienoſis in aceto mulſo. A ſtomachicis verò per ſe ita vt eſt, manditur ac deuoratur, nullo liquore inſuper abſorpto: ac ſimili quoque modo datur acidum eructantibus. Siſtit & ſanguinis reiectiones, ternis obolis ex aqua ſumptum. Facit & ad coxendicum articulorúmque dolores & comitiales morbos, ſi cum aceto mulſo pari pondere aſſumatur. Menſes quoque ciet, ac inflatione vteri vexatis mulieribus pari modo vtiliter exhibetur. Soluit & rigorem horrorémve, datum ante febrilium acceſſionum initia. Sed & aluum purgat drachma vna aut altera, ſi cum aqua mulſa bibatur. Eſt & venenis pro antidoto, drachmæ vnius pondere cum diluta vini potione ſumptum. Quin & ſerpentium ictibus ac morſibus tribus obolis ex vino potum auxiliatur. In ſumma internis omnibus vitiis ſubuenit, pro virium & ætatis ratione propinatum, his ex aqua, illis è vino, aliis in oxymelite, aliis denique ex aqua mulſa.

De Rha. CAP. II.

RHA, quod aliqui rheon vocant, prouenit in iis quæ ſupra Boſphorum ſunt regionibus, ex quibus etiam affertur. Radix foris nigra, centaurio magno ſimilis, ſed

minor ac intus rubicundior, ſine odore, laxa ſeu fungoſa & aliquantum leuis. Optimum habetur quod teredines non ſenſit, ſi guſtatu cum aſtrictione remiſſa lenteſcat, & commanducatum, colorem reddat pallidum & quodammodo ad crocum inclinantem. Id epotum facit ad inflationes, ſtomachi imbecillitatem, & omne genus dolores, ad conuulſiones, ſpleneticos, hepaticos, nephriticos, torminoſos, itémque aduerſus veſicæ & pectoris vitia, diſtenſiones hypochondriorum, vterinos affectus, iſchiadas, ſanguinis excreationes, ſuſpiria, ſingultus, dyſenterias & cœliacorum affectus, contra febrium circuitus & venenatorum morſus. Dabis verò ad ſingulos affectus, eodem quo agaricum pondere, & cum eiſdem liquoribus: ſcilicet febri carẽtibus, in vino mulſo: febricitãtibus autem, ex aqua mulſa: phthiſicis, ex paſſo: ſpleneticis ex aceto mulſo. At à ſtomachicis ita vt eſt mandetur, ac citra ſorbitionem vllam deuorabitur. Tollit quoque liuentia lichenáſque, cum aceto illitum: atque inflammationes omnes veteres ex aqua impoſitum diſſipat. Cæterùm ſumma ipſius vis, aſtringens eſt cum aliquanto calore.

De

De Gentiana. CAP. III.

GENTIANA primùm inuenta creditur à Gentio Illyriorum Rege, à quo etiam cognomentum habuit. Huius folia, quæ quidem proximè radicem sunt, iuglandi plantaginíve similia, subrubentia: quæ verò in medio sunt caule, maximéque quæ circa cacumen, paulùm dissecta. Caulis inanis, læuis, digiti crassitudine ac binûm cubitorum altitudine, geniculis distinctus, & maioribus ex interuallis foliis circundatus. Semen verò habet in calycibus latum, leue, acerosum, quod ad sphondylij semen accedit. Radix longa qualis aristolochiæ longæ, crassa & amara. Nascitur in celsissimis montium iugis, locis vmbrosis aquosisque. Vis radici excalfactoria & detergens. Contra venenatarum bestiarũ morsus duabus drachmis cum pipere & ruta ex vino pota auxiliatur. Extracti succi drachma, ad laterum dolores, casus è sublimi, rupta & conuulsa prodest. Hepaticis quoque & stomachicis pota cum aqua subuenit. Radix collyrij modo subdita, partus eiicit: impositáque vt lycium, vulneraria est, & cuniculatim depascentibus vlceribus medetur: præcipuè verò succo, qui quidem oculis etiam inflammatione laborantibus illinitur. Miscetur & succus acriorib. collyriis pro meconio. Sed

& radix vitiligines alphos dictas absterget. Porrò extrahendi succi ratio hæc est: Contusa radix ad dies quinque aqua maceratur, postea in eadem tantisper decoquitur, dum extent emineántque radices: ac vbi refrixit aqua, linteo excolatur, móxque discoquitur ad mellis crassitudinem, fictilíque vase reconditur.

De Aristolochia rotunda. CAP. IIII.

ARISTOLOCHIA ex eo nomen accepit, quòd optimè puerperis opitulari credatur. In eius generibus quædam est rotunda, quæ fœmina vocatur. Foliis hæc est hederaceis, cum acrimonia odoratis, subrotundis, mollibus, cum multis ab vna radice germinibus. Sunt verò prælonga quasi sarmenta: flores candidi pileolorum similitudine, in quibus quod rubicundum est, grauiter olet.

De Aristolochia longa. CAP. V.

Longa autem Aristolochia mascula appellatur & dactylitis: foliis quàm rotunda oblongioribus, ramulis tenuibus, fermè dodrantalibus: flore purpureo, graueolente, qui, vbi defloruit, pyro similis euadit. Rotundæ radix in orbem rapi modo conglobatur. Longæ verò, digiti crassitudinem implet, dodrantalis aut etiam maior. Ambæ colore intus buxeo, gustu amaræ ac virosæ.

De

De Aristolochia Clematitide.

Cap. VI.

Est etiamnum tertia longa, quæ etiam clematitis, quasi sarmentosa seu sarmentitia, vocatur, ramulos habens tenues, foliis refertos subrotundis, minori semperuiuo similibus: flores rutæ: radices longiores, tenues, crasso aromáque redolente cortice vestitas: quæ priuatim vnguentariis ad vnguentorum spissamenta conducunt. Porrò cæteris quidem venenis resistit rotunda. At longa contra serpentes & venenata drachmæ pondere ex vino bibitur, atque etiam imponitur. Pota, pipere & myrrha additis, purgamenta omnia post partum in vtero relicta, menses & partus eiicit. Eadem quoque efficit, subdita in pesso. Sed & rotunda ad eadem, ad quæ & antedicta, est efficax. Ex abundanti verò suspiriis, singultibus, horroribus, lieni, ruptis, conuulsis & lateris doloribus pota cum aqua auxiliatur. Extrahit & imposita aculeos ac spicula, ossiúmque squamas remouet. Vlcera quoque putrida emarginat, sordidáque expurgat, & caua explet cum iride ac melle. Gingiuas denique ac dentes extergit. Creditur & clematitis ad eadem pollere: sed efficacia tamen cedit antedictis.

De Glycyrrhiza. CAP. VII.

GLYCYRRHIZA, ſeu dulcis radix, plurima gignitur in Cappadocia & Ponto. Eſt verò frutex exiguus, ramis binûm cubitorum altitudine: circa quos folia ſunt denſa, lentiſci, pinguia tactúque glutinoſa. Flos eſt hyacinthi: fructus platani pilularum magnitudine, aſperior, qui ſiliquas habet lentium modo rufas, & paruas: radices longæ, buxei coloris, vti gentianæ, ſubacerbæ ac dulces: è quibus ſuccus lycij modo elicitur. Eſt verò ſpiſſatus hic ſuccus ad arteriæ ſcabritias efficax: verùm oportet vt linguę ſubditus eliqueſcat. Sed & æſtuanti ſtomacho ac thoracis & iocineris vitiis conuenit: necnon ad veſicæ ſcabiem ac renum vitia vtiliter ex paſſo bibitur. Idem eliquatus, ſitim ſedat, illitúſque vulneribus accommodatur: atque commanducatus prodeſt oris affectibus. Quin & recentium radicum decoctum, ad eadem conuenit. Arida verò radix ad læuorem detrita, pterygiis commodè inſpergitur.

De Centaurio maiore. CAP. VIII.

CENTAVRIVM magnum, quod aliqui narcen appellant, folia habet nucis iuglandis, oblonga, viridi braſſicæ colore, ſerrata in ambitu: caulem verò, ceu rumicis, binûm aut etiam ternûm cubitorum, multis

ab radice adnatis, in quibus capita ceu papaueris, in rotunditate longiuſcula: flos cæruleus: ac ſemen cnico ſimile, veluti laneis floccis quibuſdam inuolutum. Radix eſt craſſa, ſolida, grauis, ad bina cubita, ſucci plena, cum quadam aſtrictione ac dulcedine acris, rubeſcens. Amat ſolum pingue & apricum, ac ſyluas & colles. Cæterùm copioſè naſcitur in Lycia, Peloponneſo, Helide, Arcadia & Meſſenia, atque circa Pholoën, Lyciam & Smyrnam. Conuenit porrò radix ruptis, conuulſis, pleuriticis, dyſpnœæ, veteri tuſſi, & ſanguinem excreantibus: ac ſiquidem abſit febris, in vino: ſin minùs, ex aqua drachmis duabus trita exhibetur. Similiter quoque ad tormina & vuluæ dolores. Sed & deraſa & in collyrij formam vuluæ ſubdita, menſes atque partus extrahit. Eadem ſuccus etiamnum præſtat. Eſt & illa vulneraria: ſiquidem recens tuſa, aut, ſi arida fuerit, antè macerata, deindéque tuſa, vulnera colligat & conglutinat. Quin & tuſam ſi quis ſimul cum carnibus coquat, carnes ipſæ cohæreſcent. Cæterùm Lyciæ incolæ ſuccum ipſius exprimunt, quo pro Lycio vtuntur. Vocata autem fuit Panacea, quoniam inflammationes omnes ſedat, ictuúmque impetus lenit: atque calculoſos, quibúſque ſubſtillum eſt lotium, iniectione ſanat. Legitur verò paulò

ante Solis exortum, serena tempestate, per quam pleniora perfectioráque sunt omnia.

De Centaurio minore. CAP. IX.

Centaurium paruum seu tenue, quod aliqui limnæum, quasi palustre, vocant, quoniam humecta riguáve amet loca, herba est hyperico aut origano similis: cuius caulis dodrante altior est & angulosus: flores ad lychnidis florum similitudinē è puniceo colore in purpuram vergunt: folia minuta, quadantenus longiora, veluti rutæ: semen tritico simile: radix pusilla, læuis & superuacua. Herba ipsa virens contusa & imposita, vulnera glutinat, vetera vlcera purgat & ad cicatricem perducit. Bilem autem humorésque crassos per aluum exigit, si decocta deuoretur. Ius verò decocti ischiadicis conuenienter infunditur: trahit enim sanguinem, doloréinque leuat. At succus oculorum medicamentis perquàm vtilis: quippe qui quæ pupillis caliginem offundunt vnà cum melle discutiat. Vuluæ subditus, menses & partus extrahit: peculiariter verò neruorum vitiis epotus prodest. Succi autem extrahendi ratio hæc est: Legitur herba semine prægnans & diebus quinque [aqua] perfunditur, deindéque coquitur, dum aquæ supereminineat: mox vbi refrixit, exprimitur & per linteolum excolatur. Expressum [reiecto spissa-

ſpiſſamento] iterum coquitur, vſque dum mellis craſſitudinem aſciſcat. Nonnulli eandem illam virentem prægnantémque ſemine contundunt, ex eáque ſuccum exprimũt: quem fictili non picato inditum in ſole lignea rude aſſiduè mouẽtes inſpiſſant. Quòd ſi quid concretum vaſi adhæreſcat, identidem deradunt, reliquóque liquori permiſcent. Noctu verò diligenter operiunt: quoniam ros liquidos ſuccos coire denſaríque prohibet. Quicunque igitur ſucci è ſiccis radicibus aut herbis eliciuntur, coctura præparantur, veluti gentianæ ſuccus. Qui verò ex recentibus corticibus, radicibus herbíſve expreſſis; ad ſolem, vti antè dictum eſt, inſpiſſantur. Hoc modò è thapſia, mandragora, vuis acerbis, cæteríſque id genus, ſuccus elicitur. At lycium, abſinthium, hypociſthis, & conſimilia, coctura, eo quo dictum eſt modo, coguntur & inſpiſſantur.

De Chamæleone albo. CAP. X.

CHAMAELEONEM album ideò ixian appellarunt, quòd quibuſdam in locis viſcum ad ipſius radices inueniatur, quo etiam pro maſtiche vtuntur mulieres. Folia habet ſilybo aut carduo ſimilia, ſed chamæleonis nigri foliis aſperiora, acutiora atque validiora. Caulem non promit: verùm ex medio ſpinam echino marino aut cinaræ

ſimilem erigit: flores verò emittit purpura-ſcentes, capillorum figura, qui in pappos euaneſcunt: ſemen cnici ſimile: radicem in lætis quidem collibus craſſam, in montoſis verò graciliorem, in profundo albam, ali-quatenus aromaticam, odore graui, dulcem. Hæc pota acetabuli menſura, latum ventris lumbricum pellit. Sumitur verò in vino au-ſtero cum origani decocto. Hydropicis quoque commodè drachma in vino datur: etenim eos extenuat. Ipſius quoque deco-ctum, contra difficultatem vrinæ bibitur. Aduerſatur & in vino pota virulentarum beſtiarum venenis. Canes autem, ſuéſque ac mures occidit, ſubacta cum polenta, aquá-que & oleo diluta.

De Chamæleone nigro. CAP. XI.

Chamæleon niger & ipſe foliis ſcolymo ſimilis eſt: ipſa tamen habet minora, tenuio-ráque ac rubro diſtincta. Caulem verò pro-ducit digitali craſſitudine, dodrantalem ac ſubrubrum: qui quidem vmbellam gerit, floréſque ſpinoſos, tenues, hyacinthi æmu-los & verſicolores. Radix eſt craſſa, nigra, denſa, interdum & exeſa: quæ quidem diſſe-cta flaueſcit, & commanducata mordendi vim habet. Prouenit in campis aridis cliuo-ſiſque, & maritimis locis. Radix trita, additis atramenti ſutorij exiguo, cedrino oleo & axun-

axungia, psoras tollendi vi pollet. Eadem vnà cum sulphure ac bitumine in aceto decocta inunctáque, lichenas absterget. Eius autem decoctum, collutione dentium dolores mitigat. Sed & cum pari pipere & cera oblita radix, dentium doloribus auxiliatur. Fouentur & ea dentes, in aceto decocta & affusa. Dolentem quoque dentem commminuit, si per stylum calida illi adhibeatur. Maculas verò depurgat à sole contractas, & vitiligines cum sulphure emendat: septicis medicamentis admiscetur, ac denique imposita, phagedænica efferatáque vlcera sanat & extirpat. Cæterùm vt vocetur chamæleo, foliorum varietate euenit. Nam pro locorum differentiis, hîc intensè viridia, illic albicantia, aliubi cyanea, alibi denique rubra reperiuntur.

De Crocodilio. CAP. XII.

CROCODILIVM, chamæleonis nigri figuram habet. Nascitur autem in syluosis, radice longa, leui, aliquantum lata, odore, vt nasturtij, acri. Feruefacta in aqua & pota radix, valet ad copiosum sanguinem per nares pellendum. Datur & lienosis, eos euidenter adiuuans. Sed & semen ei rotundum est ac duplex, veluti scutum: quod quidem vrinam ciendi vim habet.

De Dipsaco. CAP. XIII.

DIPSACVS quoque aculeatarum stirpium generi ascribitur. Caulem habet altum, spinis horridum, & folia caulem amplectentia, lactucæ foliorum æmula, bina in singulis geniculis, prælonga: quæ & ipsa aculeata sunt, ac ceu quasdam bullas in dorsi medio intus forísque spinosas habent: concauos autem sinus, qua parte bina illa folia ad geniculum copulantur, quibus aquas ex rore & imbribus in sese colligunt: vnde & dipsaci, quasi sitientis, nomen traxit. At in cacumine caulis singulis surculis singula insunt capitula, echino similia, oblonga & aculeata: quæ quidem arefacta, candida spectantur: diuisa verò per longitudinem, in media medulla vermiculos ostendunt. Huius radix è vino decocta tusaque, vsquedum sit cerati crassitudo, sedis rimas & fistulas immissa sanat. Verùm hoc medicamentum ænea pyxide recondendum. Aiunt & ipsum myrmeciis verrucísque pensilibus remedio esse. Cæterùm capitulorum vermiculi folliculo illigati, & collo brachióve appensi, quartanas febres excutere perhibentur.

De Spina alba. CAP. XIIII.

SPINA alba nascitur in montibus & locis syluosis. Folia fert chamæleonis albi, sed angustiora & candidiora, aliquantum hirsuta &

ta & aculeata: caulem supra bina cubita altum, pollicari aut etiam ampliore crassitudine, candicantem ac intus cauum: cuius in cacumine capitulum est spinosum, echini marini æmulum, at minus & oblongum. Flores purpurei, in quibus semen ceu cnici, sed rotundius. Huius radix pota, sanguinem excreantibus, stomachicis cœliacísque confert: vrinam ciet, ac œdematis imponitur. Eiusdem decoctum ad dolorem dentium collutione efficax est. At epotum semen, conuulsis puerulis, & à serpente demorsis auxiliatur. Sed & venenata animalia pro amuleto gestatum abigere traditur.

De Spina Arabica. CAP. XV.

Spina Arabica, natura spinæ albæ similis esse creditur. Siquidem astringit: & ad fluxum muliebrem, sanguinis reiectionem, cæteráſque fluxiones radix simili modo valet.

De Scolymo, seu carduo.

CAP. XVI.

SCOLYMVS folia habet chamæleonis, & spinæ quæ alba dicitur: at nigriora & crassiora. Caulem edit longum, foliis obsitum: in quo capitulum est spinosum. Radix subiacet nigra, crassa: quæ suapte vi alarum reliquíque corporis grauolentiam emendat, seu inspersa, seu decocta in vino ac bibita. Copiosam enim vrinam fœtidámque ex-

pellit. Herba verò recens nata, si asparagi modo elixetur, oleris vicem subit.

De Poterio. CAP. XVII.

POTERIVM Iones neurada vocãt. Grãdis est frutex, ramulis longis, mollibus, lori modo lentis ac flexilibus, tenuibus, tragacanthæ proximis: foliis verò paruis & rotundis. Totus autem frutex tenui obducitur lanosa lanugine, éstque spinis horridus. Flores sunt parui, candidi: semen verò gustu odoratum & acre, sed nullius vsus. Nascitur in sabulosis locis, atque collibus. Radices subsunt binûm ternûmve cubitorum altitudine, firmæ ac neruosæ: quæ proximè terram recisæ, lacrymam fundunt gummi similem. Tusæ autem ac illitæ, præcisos neruos vulneráque glutinant. Decoctum quoque eius epotum, vitiis neruorum prodest.

De Acanthio. CAP. XVIII.

ACANTHIVM folia gerit spinæ albæ similia, in summo verò eminentias aculeatas, araneosa lanugine obductas: è qua collecta textáque vestes bombycinis similes fieri aiunt. Ipsa radix foliáque potu, opisthotono laborantibus auxiliantur.

De Acantha seu acantho. CAP. XIX.

ACANTHA, seu herpacantha (quasi serpens spina) nascitur in hortis, petrosis ac humentibus locis. Folia habet lactuca-

ceis latiora multò & longiora, erucæ diuisura, nigricantia, pinguia ac læuia: caulem læuem, binûm cubitorum, digitali crassitudine, prope verticem ex interuallis foliolis quibusdam, ceu alueolis, circundatum oblongis, hyacinthinis, è quibus flos prodit albus, semen oblongum ac luteum: caput verò thyrsi specie. Radices subiacènt viscosæ, mucosæ, rufæ ac longæ: quæ quidem ambustis igni luxatísque impositę prosunt: potę verò, vrinam cient, aluúmque cohibent. Phthisicis quoque, ruptis & conuulsis subueniunt.

De Acantha Syluestri. CAP. XX.

Est & syluestris Acantha, carduo similis, aculeata, breuior satiua, eáque quæ in hortis prouenit. Eius verò radix ad eadem, ad quæ superior, est efficax.

De Anonide. CAP. XXI.

ANONIS, quam aliqui ononida appellant, ramos habet dodrantales ac etiamnum maiores, fruticosos, frequentibus geniculis cinctos, multis alarum cauis præditos, itémque capitulis rotundis: foliolis verò pusillis, tenuibus ceu lenticulæ, ad rutæ aut pratensis loti folia accedentibus, subhirsutis, odoratis, nec iniucundè olentibus. Muria conditur antequam spinas producat, éstque cibis gratissima. Ramuli porrò spinis acutioribus ac spiculorum instar solidis,

horrent. Radix verò candida eſt, quæ excalfacit & extenuat. Huius cortex ex vino potus, vrinam ciet, & calculos comminuit: idem vlcerum cruſtas emarginat. Cæterùm radix decocta in poſca, dentium dolorem collutione mitigat. [Huius quoque decoctum potum, hæmorrhoïdas ſanare creditur.]

De Leucacantha. CAP. XXII.

LEVCACANTHA radice eſt cyperi, amara, & valida: quæ quidem commanducata, dentium dolorem ſedat. Ipſius verò decoctum cyathis tribus ex vino potum, veteri laterum dolore vexatis, iſchiadicis, ruptis & conuulſis auxiliatur. Sed & epotus radicis ſuccus, eoſdem præbet effectus.

De Tragacantha. CAP. XXIII.

TRAGACANTHAE radix lata eſt & lignoſa, ac ſupra terram etiam eminet: à qua ſurculi humiles, robuſti, latiſſimè fuſi: & in ipſis foliola numeroſa, tenuia: inter quæ aculei ſeſe proferunt, quos ipſa occulunt, candidi, firmi rectíque. Eſt & tragacantha, lacryma quæ ſuper reſecta radice concreſcit: quo in genere præſtat pellucens, læuis, gracilis, ſincera ac ſubdulcis. Vim porrò habet, æquè ac gummi, cutis ſpiracula obſtruendi. Huius autem increbuit vſus ad oculorum medicamenta, itémque ad tuſſim,

exaſpe-

exaſperatas fauces & vocem interceptam, atque deſtillationes, cum melle in delinctu. Sed & linguæ ſubdita, liqueſcere ſinitur. Bibitur quoque drachmæ pondere in paſſo macerata contra renum dolorem & veſicæ roſionem, mixto cornu cerui vſto & eloto, aut ſciſſi aluminis momento.

De Eryngio. Cap. XXIIII.

ERYNGIVM eſt in aculeatarum ſtirpium genere: cuius folia primo germinatu muria condita in cibos oleris vice recipiuntur. Lata autem ſunt & extremo ambitu aſpera, guſtu aromatica. Sed vbi augeſcunt, circa complures caulium eminentias in ſpinas aculeantur: in quorum ſummitatibus globoſa ſunt capitula ſpinarum acutiſſimarum durarúmque ambitu ſtellatim circumuallata. Horum color aliâs viridis, nunc pallidus, aliâs albus, interdum etiam cæruleus inuenitur. Radix oblonga, lata, in ſuperficie quidem nigra, intus verò albicans, pollicis craſſitudine: quæ & ipſa odorata eſt, & aromaticum quiddam reſipit. Naſcitur in campeſtribus & aſperis locis. Vim porrò habet calfactoriam: pota, menſes vrináſque pellit, ac tormina inflationéſque diſcutit. Hepaticis quoque, venenatorum morſibus, & iis qui venenum hauſerunt, cum vino ſuccurrit. Bibitur verò vt pluri-

mùm drachmæ pondere cum paſtinacæ ſemine. Cæterùm tum amuleti inſtar adalligata, tum & illita, diſcutere tubercula perhibetur. Pota verò cum hydromelite radix, opiſthotonicis & comitialibus medetur.

De Aloë. CAP. XXV.

ALOË folium habet ſcillæ ſimilitudine, craſſum, pingue, in rotundo modicè latum, retrorſum pandum. Sed vtrinque habent folia ex obliquo ſpinulas raris interuallis prominentes, eáſque breues & quaſi decurtatas. Caulem verò profert antherico non diſſimilem, florem album, & ſemen ceu haſtulæ regiæ. Eſt autem tota odore graui, & guſtu amariſſima. Vnica verò radice ceu palo in terram demiſſo nititur. Plurima in India præpinguíſque naſcitur: ex qua etiam coactus ſuccus importatur. Naſcitur & in Arabia, Aſia, ac in locis quibuſdam maritimis & inſulis, velut in Andro, non valdè eliciendo ſucco idonea: ſed ad conglutinanda vulnera ſanè quàm vtilis, ſi trita illinatur. Duo ſunt porrò ſucci genera: alterum arenoſum, quod puriſſimæ veluti fæx & craſſamentum eſſe videtur: alterum, quod ad iecinoris imaginem vergit. Eligito pinguem, quæ nihil doli ſenſerit, calculorum expertem, nitidam, ſubflauam, friabilem, iecinoris modo coactam, quæque facilè liqueſcat,

eximiæ-

eximiæque ſit amaritudinis. Nigram contrà fractúque contumacem improbato. Sunt qui eam gummi adulterent: id quod guſtu, amaritudine & odoris vehementia deprehenditur, eóque indicio, quòd attrita digitis non ad minima vſque ramenta reſoluatur. Neque deſunt qui acaciam immiſceant. Vim habet aſtringendi, ſomnum conciliandi, exiccandi, corpora denſandi, aluum ſoluendi, ſtomachúmque repurgandi, ſi binûm cochlearium menſura ex aqua frigida aut lactis inſtar tepida ſeu egelida bibatur. Sanguinis etiamnum excreationes ſiſtit, & morbum regium emendat, ex aqua tribus obolis, aut drachmæ pondere, in potu. Deuorata verò cum reſina, aut aqua vel melle cocto excepta, aluum ſoluit: ternûm autem drachmarum pondere, perfectè purgat. Sed & aliis purgantibus medicamentis admiſta, præſtat vt minùs ſtomachum infeſtent. Sicca verò inſperſa, vulnera glutinat, vlceráque ad cicatricem perducit cohibétque: eadem peculiariter exulceratis genitalibus medetur, & diſrupta puerorum præputia agglutinat. Quin & condylomata rimáſque ſedis dulci vino ammixto ſanat. Sanguinis ex hæmorrhoidibus eruptiones ſiſtit, pterygia ad cicatricem ducit: liuida & ſugillata, hypopia dicta, ex melle tollit. Scabras quoque lip-

pitudines, angulorúmque in oculis prurigines mitigat. Dolorem capitis sedat, ex aceto & rosaceo fronti ac temporibus illita. Sed & cum vino fluentem capillum continet: itidémque tonsillarum, gingiuarum cæterarúmque oris partium vitiis cum melle ac vino proficit. Cæterùm ad oculorum medicamenta torretur in munda & candente testa, ligulâque subinde versatur, donec æqualiter tosta fuerit. Lauatur & aloë: atque id quod arenosum subsidet, tanquam inutile secernitur: pinguissimum autem quódque læue est, recipitur.

De Absinthio. CAP. XXVI.

ABSINTHIVM, bathypicron dictum, herba est vulgo cognita. Præstantius in eo genere, quod in Ponto & Cappadocia in monte Tauro appellato nascitur. Vim porrò habet calfaciendi, astringendi, concoctiones adiuuandi, biliosáque detrahendi, quæ stomacho & aluo inhæserunt. Vrinam etiam cit, & crapulam in potu præsumptum arcet. Valet & aduersus inflationes, itémque ad discutiendos ventris & stomachi dolores, cum seseli aut nardo Celtico potum. Fastidia quoque absterget, arquatósque sanat ipsius madefacti dilutum, vti & decoctum, quotidie tribus cyathis haustum. Sed & menses trahit seu potum, seu etiam cum

melle

melle appoſitum. Contra fungorum ſtrangulationes conuenienter ex aceto bibitur. E vino autem, ixiæ necnon & cicutæ venenis aduerſatur, ac muris etiam aranei morſibus, itémque draconi marino. Anginæ eo cum melle & nitro perunguntur, vt epinyctides ex aqua. Ad ſugillata hebetiorémque oculorum aciem ex melle illinitur, ſimilitérque auribus ſanie manantibus. Quin & aurium dentiúmque dolores decoctum vaporis ſuffitu compeſcit. Decoctum vnà cum paſſo, vehementer dolentibus oculis adhibetur. Imponitur & hypochondriis hepatíque diuturno dolore infeſtatis, tritum cum cerato cyprino: ſtomacho verò longa valetudine laboranti, cum roſaceo. Admiſtis ficubus, nitro & loliacea farina, hydropicis lienoſiſque ſubuenit. Vinum denique ex eo paratur quod abſinthite vocant, præſertímque in Propontide & Thracia: quo ad antedicta vtuntur, ſi febris abeſt. Adde quod de ipſo æſtate propinant, corporibus bonam valetudinem præſtare exiſtimantes. Creditur & veſtiariis arcis inſperſum abſinthium, veſtes à tinearum iniuria vindicare: itémque ex oleo perunctum, culices abigere, & à corpore arcere. Cæterùm atramentum librarium ex diluto eius temperatum, libros à muſculorum eroſione tuetur. Exiſtimatur

& expressi succus eosdem præstare effectus. Attamen potionibus improbatur, quòd stomacho sit inimicus, dolorémque capitis cieat. Sunt verò qui succum amurcæ decoctæ permistione adulterant.

De Absinthio marino. CAP. XXVII.

Absinthium marinum quidam Seriphium vocant: quod quidem copiosissimum in Tauro monte iuxta Cappadociam gignitur, & in Taphosiri Ægypti. Id Isidis sacris initiati pro oleagino ramo præferre solenne habent. Est autem herba prætenuibus surculis, abrotoni parui similitudine, minutulis referta seminibus, subamara, stomacho inimica, graueolens, & cum quadam calfactione astringens. Hæc per sese aut cum oryza cocta, assumptáque cum melle, ascaridas teretésque lumbricos enecat, leuiter simul & semel aluum subducens. Sed & cum sapa aut lenticula decocta, eadem præstare potest. Cæterùm pecora hoc maximè pabulo pinguescunt.

De Absinthio Santonico.
CAP. XXVIII.

Est & tertium Absinthij genus, quod copiosissimum in Gallia Alpibus finitima nascitur. Id patrio nomine Santonicum appellant, tracto à Santonum regione, in qua gignitur, cognomento. Absinthio est simile,

attamen non adeò ſeminis fœcundum, verùm ſubamarum & eiuſdem cum Seriphio facultatis.

De Abrotono. CAP. XXIX.

ABROTONVM duorum traditur generum: ac fœmina quidem, frutex eſt arbóris ſpecie, candicans, foliis circa ramulos Seriphij modo minutim inciſis, floribus refertos habens in ſummo quaſi corymbos, auri fulgore, æſtate prouenientes, iucundi odoris cum grauitate quadam, at guſtu amaro. Hoc genus Siculum eſſe creditur. Alterum mas vocatur, ſarmentoſum, gracilibus ramulis, velut abſinthium. Plurimum in Cappadocia gignitur & Galatia Aſiatica, atque in Syriæ Hierapoli. Vtriuſque ſemen ſeu feruefactum, ſeu crudum tritum & ex aqua potum, orthopnœæ, ruptis, conuulſis, iſchiadicis doloribus, vrinæ anguſtiis & menſibus commorantibus auxiliatur. Eſt & in vino potum exitialium venenorum antidotum. Rigore prehenſis ex oleo vtiliter illinitur. Serpentes quoque tum ſubſtratu, tum etiam nidore fugat. Sed & contra morſus eorum cum vino bibitum prodeſt: priuatim verò pollet contra phalangiorum & ſcorpionum ictus. Subuenit & oculorum inflammationibus, cum cotoneo cocto aut pane impoſitum. Diſcutit quoque panos,

cum farina hordeacea cruda tritum decoctúmque. Miscetur denique & olei irini compositioni.

De Hyssopo. Cap. XXX.

HYSSOPVM herba nulli non cognita, duûm est generum: montanum enim quoddam est, hortense alterum. Laudatissimum est, quod in Cilicia nascitur. Vim habet attenuandi & excalfaciendi. Decoctum cum ficis, aqua, melle & ruta, potu peripneumonicis, asthmaticis, diuturnæ tussi, distillationi & orthopnoeæ auxiliatur: itémque ventris animalia enecat. Idem pręstat, si cum melle delingatur. Humores crassos per aluum extrahit eiusdem decoctum, cum oxymelite potum. Estur & cum viridibus ficis detritis ad subducendam aluum, sed valentiùs deiicit, admisto nasturtio vel iride aut irione: meliorem quoque colorem cuti conciliat. Lieni verò ac hydropi cum ficu nitróque illinitur: ex vino autem, inflammationibus. Discutit & sugillata, cum feruente aqua impositum. In anginis cum decocto ficuum efficacissimè gargarizatur. Cæterùm cum aceto decoctum, dentium dolorem collutione mitigat, & aurium inflationes vaporis suffitu discutit.

De

De Stœchade. CAP. XXXI.

STOECHAS in insulis Galliæ gignitur, quæ è regione Massiliæ sitæ Stœchades appellantur: & ab iis quoque nomen accepit. Herba est tenuibus surculis, coma thymi, sed folio longiore, gustu acris & aliquantum subamara. Decoctum huius, vt & hyssopi, ad pectoris vitia efficax est. Antidotis quoque vtiliter immiscetur.

De Origano. CAP. XXXII.

ORIGANVM Heracleoticũ, quod nonnulli cunilam appellant, folium habet hyssopo non dissimile: vmbellam autem non in rotæ speciem orbiculatam, sed veluti diuisam, & semen in summis virgis haudquaquam densum. Vim habet excalfaciendi: ac proinde ipsius decoctum ex vino potui datum, venenatorum morsibus conuenit. Ex passo verò, iis prodest qui cicutam aut meconium: ex aceto mulso, iis qui gypsum aut ephemerum hauserunt. Conuulsis autem, ruptis & hydropi medetur, cum fico esui datum. At aridum, acetabuli mensura cum aqua mulsa epotum, atros humores per aluum extrahit, menses ciet: ac tussi cum melle delinctum medetur. Prurigini autem, psoræ ac morbo regio decoctum ipsius in balneo prodest. Succus virentis, tonsillis, vuulis & aphthis medetur: & in nares ex

oleo irino infusus, caput purgat: aurium quoque dolores ex lacte mitigat. Conficitur denique ex eo, cæpis ac rhois frutice quo ad obsonia vtuntur, vomitorium medicamentum, his omnibus in cupreo vase per Caniculæ ardores ad dies quadraginta insolatis. Substrata autem herba, serpentes fugat.

De Onitide. CAP. XXXIII.

Quod Onitis appellatur, foliis est candidioribus, hyssopóque similius: ac semen habet, veluti corymbos cohærentes ac sibiinuicem incumbentes. Vis tamen eadem, quæ Heracleotico: at minùs efficax.

De Origano syluestri. CAP. XXXIIII.

Syluestre origanum aliqui panaces Heraclium vocant, alij cunilam: quo in numero est Nicander Colophonius. Foliis est origani, virgultis dodrantalibus, tenuibus, in quibus vmbellæ anethi insunt, flores candidi: radix tenuis ac inutilis. Priuatim venenatorum morsibus folia & flores ex vino in potu auxiliantur.

De Tragorigano. CAP. XXXV.

TRAGORIGANVM, exiguus est frutex, folio & ramulis origano aut syluestri serpyllo similis. Quoddam pro locorum ratione lætius ac speciosius, foliísque latioribus inuenitur, satis glutinosum. Alterum gracilibus est surculis, exilioribúsque foliis: quod

quod etiam prasium aliqui vocauêre. Optimum est Cilicium, quódque in Co, Chio, Smyrna Cretáque prouenit. Omnia excalfaciunt, vrinas cient, bonámque faciunt aluum, si decocti ius ebibatur: siquidem biliosa deiiciunt. Prosunt & lienosis ex aceto pota: itémque ex vino, iis qui ixiam hauserunt. Quin & menses trahunt, & in tussi ac peripneumonia ex melle in eclegmate dãtur. Est & eorum potio non ingrata: quò fit vt cibum fastidientibus, stomacho malè affectis, acidáque ructantibus exhibeatur, iísque itidem quos qualis ex maris agitatione anxietas, nausea & præcordiorum æstus comitantur. Discutiunt insuper œdemata, si cum polenta illinantur.

De Pulegio. CAP. XXXVI.

PVLEGIVM, herba vulgaris notitiæ. Extenuat, calfacit, concoctiones adiuuat. Bibitum, menstrua, secundas & partus eiicit. Pulmonum verò vitia excreabilia facit, cum sale & melle potum: ac conuulsis etiam auxiliatur. Nauseas & stomachi rosiones ex posca bibitum permulcet: atros etiamnum humores per aluum exigit. Venenatorum quoque morsibus in vino potum succurrit. Defectos animo recreat, cum aceto naribus admotum. Gingiuas etiam arefacti cinere corroborat. Illitum verò cum polenta,

inflammationem omnem lenit: & podagricis per se prodest, impositum dum rubescat locus. Cum cerato autem, varos extinguit: ac lienosis etiam confert, cum sale adhibitum. Cæterùm decoctum ipsius prurigines lotione mitigat, & vuluæ inflationibus ac duritiei, eiusdémque conuersionibus insessione subuenit. Aliqui porrò blechona vocant: quoniam, dum floret, à pecoribus gustatum, balatum concitat.

De Dictamno. CAP. XXXVII.

DICTAMNVM, quod syluestre pulegium aliquibus appellatur, herba est Cretensis, acris, læuis, pulegio similis: at maioribus lanuginosisque foliis, ac lanosa quadam veluti pube obductis. At neque florem neque semen profert. Præstat verò omnia quæ satiuum pulegium, sed efficaciùs multò. Nam non potum modò, sed & appositum ac suffitum, partus emortuos eiicit. Aiunt & in Creta capras tela quibus ictæ sunt huius herbæ pastu excutere. Porrò purgandi vim habet succus ipsius illitus, aut cum polenta affrictus. Imposita verò herba, plantæ pedum reliquóve corpori impactos aculeos refigit extrahítque. Est & efficax ad lienis dolorem: siquidem ipsum imminuit. Legitur autem æstate & autumno. Radix gustu excalfacit, necnon & partum accelerat. Sed

& suc-

& ſuccus cum vino potus, contra venenatorum morſus auxilio eſt. Herbæ verò tanta vis eſt, vt ictu venenato ſæuientes beſtias & olfactu abigat, & contactu perimat. Cæterùm expreſſus ex ea ſuccus, vulneribus ferro illatis aut venenatis morſibus inſtillatus, præſentaneo eſt remedio, ſi prætereà in potu aſſumatur.

De Pſeudodictamno.
CAP. XXXVIII.

Quod Pſeudodictamnum vocant, multis in terris naſcitur, antedicto ſimile, at minùs quàm illud acre. Eoſdem verò præbet effectus, at inefficaciùs.

De altero Dictamno Cretico.
CAP. XXXIX.

Defertur & è Creta alterum Dictamni genus, folio ſiſymbrij: at ramis maioribus, in quibus flos emicat ſylueſtris origani, niger ac mollis. Odor foliorum inter ſiſymbrium & ſaluiam medius, iucundiſſimus. Ad eadem ad quæ & antedictum efficax, ſed minùs nares ferit. Miſcetur & emplaſtris ac theriacis compoſitionibus.

De Saluia. CAP. XL.

SALVIA, quam Græci eleliſphacon, alij elaphoboſcon, alij denique ſphagnon nominant, frutex eſt oblongus, ramis numeroſis, virgas habens quadrangulas & al-

bicantes: folia mali cotoneæ effigie, ſed longiora, aſperiora craſſioráque, & attritarum veſtium modo ita parum villoſa, vix vt quiſquam villos animaduertat, ſubalbida, vehementer odorata, ſed viroſa: ſemen ſummis in caulibus ſylueſtri hormino ſimile gerit: in aſperis naſcitur. Foliorum ramorúmque decoctum, vim habet epotum vrinas menſéſque ciendi, partus extrahendi, & paſtinacæ marinæ ictibus auxiliandi. Capillos quoque denigrat ſaluia, vulnerariáque eſt, & ſanguinis cohibendi vi prædita: ac denique fera repurgat vlcera. Sed & folia ac ipſi etiam rami, ſi in vino decoquantur, genitalium pruritus fotu ſedant.

De Menta ſatiua. CAP. XLI.

MENTA, ab odoris ſuauitate hedyoſmos Græcis dicta, quam alij mintham vocant, cognita herbula eſt. Calfaciendi, aſtringendi atque exiccandi vi prædita: quamobrem ſiſtit ſanguinem ipſius ſuccus ex aceto potus, teretéſque lumbricos enecat, & Venerem ſtimulat. Singultus, vomitiones cholerámque ſedant bini ternive ramuli, cum acidi granati ſucco epoti. Diſcutit & abſceſſus, ſi cum polenta adhibeatur: & impoſita fronti, dolores capitis leuat: mammas diſtentas & nimio lacte turgentes compeſcit. Cum ſale verò, canum morſibus impo-

imponitur. Succus autem aurium doloribus cum aqua mulſa ſubuenit. Porrò mulieribus ante coitum ſubdita, conceptioni reſiſtit, & aſperam linguam affricta læuigat. Coire lac denſaríque ín caſeum non patitur, ſi illi folia immergantur. In ſumma ſtomacho vtilis eſt, & condimentorum miſturæ familiaris.

De Menta ſyluestri. CAP. XLII.

Syluestris Menta, ſeu mentaſtrum, hirſutioribus eſt foliis, & prorſus maior ſiſymbrio: at odore magis viroſo. Quare minùs ad ſanorum vſus idonea eſt.

De Calamintha. CAP. XLIII.

EX Calaminthæ generibus quædam mõtibus familiaris, folia habet ocimi, incana, ſurculos & caules anguloſos, ac florem purpureum. Altera pulegio ſimilis eſt: ſed maior, quam ſylueſtre pulegium ideò vocarunt, quòd & odore ipſum æmuletur: hanc Latini nepetam vocitant. Tertia mentaſtro cognata eſt, foliis oblongioribus, caule & ramis quàm ſuperiora genera maioribus: ſed viribus inefficacior. Omnium folia guſtu impenſè feruentia & acria: radix ſuperuacua. Naſcitur in campeſtribus locis, aſperis acceptæ humidis. Siue pota, ſiue impoſita, demorſis à ſerpente opitulatur. Sed & decoctum potu vrinas pellit: ruptis quoque,

conuulsis, orthopnœæ, torminibus, choleræ ac rigori auxiliatur. Præsumpta in vino, venenis resistit, & regium morbum expurgat. Teretes lumbricos & ascaridas cum sale & melle pota enecat: seu cocta, seu etiam cruda contrita fuerit. Elephanticos etiam esitata iuuat, si serum lactis superbiberint. Detrita folia in pesso subdita, partus enecant & menses extrahunt. Eadem accensa & substrata, serpentes fugant. Porro cicatricibus nigris etiam candorem reddit in vino cocta & imposita, ac sugillata qnoque emendat. Ischiadicis itidem imponitur, vt humores ex alto euocet, summam cutem adurens. Succus denique vermes aurium necat instillatus.

De Thymo. CAP. XLIIII.

THYMVM ab omnibus cognoscitur, exiguus frutex, surculosus, exilibus foliis, multis & angustis circundatus: habens in cacumine floris capitula purpurascentia. Maximè verò petroso tenuique solo nascitur. Potum cum sale & aceto, vim habet pituitam per aluum detrahendi. At eius decoctum cum melle, orthopnoicis & anhelatoribus auxiliatur. Sed & lumbricos, menses, partus & secundas pellit. Vrinas quoque ciet. Cum melle verò in eclegmate sumptum, excreabilia pectoris vitia facit. Ex

aceto

aceto autem impoſitum, œdemata recentia diſcutit, ſanguinis grumos diſſoluit, ac thymos penſiléſque verrucas tollit. Quin & iſchiadicis cum vino & polenta impoſitum ſubuenit: hebetiore oculorum acie præditis in cibo confert. Eſt denique pro condimento ad ſanorum vſus perquàm vtile.

De Thymbra. CAP. XLV.

THYMBRA quoque nota eſt: quippe quæ gignitur in tenui ſolo, aſperíſque locis, thymo ſimilis: at minor tamen ac tenerior, ſpicam ferens florum plenam, virentem. Eadem poteſt quæ thymum, ſi modo ſimili aſſumatur, atque itidem ſanorum vſui apta eſt. Eſt & ſatiua quædam Thymbra, ſylueſtri ad omnia inefficacior: quæ tamen propter mitiorem acrimoniam commodiùs in cibos recipitur.

De Serpyllo. CAP. XLVI.

SERPYLLVM eſt quoddam hortenſe, quod quidem odore ſampſuchum imitatur, & in coronas addi ſolet: ita dictum à ſerpendo, quòd radicetur quacunque ſui parte terram attingat. Habet autem folia & ramulos origani, verùm coloris candidioris, & è maceriis demiſſum longiùs latiúſque propagatur. Alterum ſylueſtre, quod etiam zygis appellatur, minimè ſerpit: at in altum aſſurgens, ramulos edit tenues ac ſurculoſos,

foliis rutæ ſimilibus refertos, verùm vtcunque anguſtis, longioribus atque durioribus. Flores guſtanti acres, iucundi odoris: radix nullius vſus. Naſcitur in petris efficacius, magíſque excalfaciens, & ad medendi vſum aptius, quàm ſit hortenſe. Potum ſiquidem, menſes trahit, vrinámque ciet. Torminibus, ruptis, conuulſis & iocineris inflammationibus auxiliatur. Eſt & efficax aduerſus ſerpentes, tum potum, tum & impoſitum. Decoctum in aceto, capitis dolorem adiecto roſaceo lenit, ſi modò in caput irrigetur: maximè verò in lethargo ac phrenitide conuenit. Cæterùm cruentam vomitionem ſedat ſuccus, drachmis quatuor ex aceto potus.

De Sampſucho. CAP. XLVII.

SAMPSVCHVM in Cyzico ac Cypro laudatiſſimum: ſecundum ab hoc locum ſibi vendicat Ægyptium. Vocatur autem à Cyzicenis & Siculis Amaracum. Herba eſt ramoſa, per terram repens, foliis hirſutis ac rotundis, tenuioris folij calaminthæ æmulis, vehementer odorata & excalfaciens: nexilibúſque coronis inſeritur. Decoctum ipſius, potu incipientibus hydropicis vtile, vt & iis quos vrinæ difficultas aut tormina excruciant. Illita ex melle arida folia, ſugillata tollunt: menſéſque ſubdita in peſſo trahunt.

Contra

Contra ſcorpionis ictum ex aceto & ſale illinuntur. Luxatis autem cerato excepta imponuntur, itémque œdematis cerato ſimiliter excepta. Sed & ad oculorum inflammationes cum polline polentæ illinuntur. Cæterùm acopis & malagmatis excalfaciendi gratia commiſcentur.

De Meliloto, ſeu ſertula Campana.

CAP. XLVIII.

SERTVLA Campana laudatiſſima, quæ in Attica, Cyzico & Chalcedone naſcitur: quæ quidem croco ſimilis odoratáque eſt. Naſcitur & in Campania circa Nolam, in luteum colorem vergens, & odore infirmo. Vim habet aſtringendi, inflammationémque omnem emolliendi, præſertim oculorum, vuluæ, ſedis ac teſtium, ſi ex paſſo decocta imponatur: addito interdum oui luteo aſſato, aut fœnigræci farina, lini ſemine aut tritici polline, aut denique capitulis papaueris, intybóve. Sanat & recentes meliceridas per ſe cum aqua, & vlcera manantia in capite, cum terra Chia & vino aut galla inuncta. Stomachi dolorem in vino decocta, itémque cruda cum aliquo ex antedictis leuat. Dolores etiam aurium cum paſſo mitigat ſuccus ex ipſa cruda expreſſus & inſtillatus. Denique capitis dolorem ex aceto & roſaceo irrigatus lenit.

De Maro. CAP. XLIX.

MARVM seu hysobrium, herba vulgo cognita, surculosa, flore origani, attamen foliis multò candidioribus ac flore odoratiore. Vim habet sisymbrio consimilem: siquidem subastringit & modicè calfacit. Qua de causa nomas sistit impositum, & in calidas perunctiones additur. Iuxta Magnesiam & Tralleis copiosissimum gignitur.

De Acino. CAP. L.

ACINVS seu aconus, herba est gracili surculo, coronaria, ocimo similis: sed hirsutior atque odorata. Apud nonnullos etiam in hortis seritur. Aluum mensésque pota sistit: ac panos & erysipelata imposita sanat.

De Bacchare. CAP. LI.

BACCHARIS herba est fruticosa, odorata, ex qua itidem coronæ factitantur. Huius folia aspera, magnitudine inter violam & verbascum media: caulis angulosus, cubiti petens altitudinem, aliquantulum asper, nec sine adnatis appendicibus: flores purpurei, subalbicantes & odorati: radices veratro nigro similes, quibus odor est cinnamomo proximus. Solum amat asperum miniméque humidum. Radix in aqua decocta, conuulsis, ruptis, euersis seu ex alto

præci-

præcipitatis, ſpirandi difficultati, tuſſi veteri ac vrinæ difficili auxiliatur. Menſes quoque pellit, & contra ſerpentium morſus vtiliter ex vino propinatur. Subdita vnica è tenellis radicibus, partus extrahit. Decoctum verò, puerperis inſidentibus vtile. Vtiliter quoque in diapaſmata inſeritur: quippe quæ magnam habeat odoris gratiam. Folia, vtpote quæ aſtringant, capitis doloribus adhibita proſunt, itémque aurium inflammationi, ægilopiis incipientibus, & mammis à partu inflammatis, atque etiam eryſipelatis. Cæterùm & ipſe odor ſomnum gignit.

De Ruta. CAP. LII.

RVTA montana & ſylueſtris, ſatiua & hortenſi acrior eſt, & in cibis damnata. Eſt autem in hortenſis genere aptior eſui, quæ iuxta ficos prouenit. Vtrunque porrò genus vrendi vim habet, calfacit, exulcerat, vrinam ciet, menſes ducit, ac tum cibo tum etiam potu aluum ſiſtit. Semen acetabuli menſura è vino bibitum, contra lethalia medicamenta eſt pro antidoto. Quin & folia per ſe præſumpta aut cum nucibus iuglãdibus aridíſque ficis, venena irrita & inefficacia reddunt. Sed & ſimili ſumpta modo, contra ſerpentium ictus valent: genituram ſeu eſitata ſeu bibita ruta extinguit: decocta verò cum anetho ſicco, tormina potu

ſedat. Facit & ad pectoris laterúmque dolores, ſpirandi difficultatem, tuſſes, pulmonis inflammationem, coxendicum articulorúmque cruciatus, & rigores febrium circuitu repetentes, pota velut antè dictum eſt. Item ad inflationes coli, vuluæ rectíque inteſtini, cum oleo decocta & infuſa. Vuluæ etiamnum ſtrangulatui medetur, ſi trita cum melle genitali ſedetenus imponatur. Feruefacta ex oleo & pota, lumbricos expellit. Sed & articulariis doloribus, ex melle: & aquæ ſubter cutem fuſæ morbo cum ficubus adhibetur. His iiſdem in potu auxiliatur, itémque decocta in vino ad dimidias partes & affricta. Cruda quoque conditáque, in cibo aciem oculorum excitat: quin & oculorum dolores impoſita cum polenta lenit. Caput dolentibus cum roſaceo & aceto ſuccurrit: ac profluentem naribus ſanguinem ſiſtit, trita & indita. Teſtium inflammationibus cum laureis foliis impoſita, & papularum eruptionibus cum myrteo cerato prodeſt. Cum vino autem, pipere ac nitro affricta, vitiligini albæ medetur, & cum iiſdem illita, thymos ac myrmecias tollit. Contra impetigines cum melle & alumine vtiliter imponitur. Succus verò in mali Punici calyce calfactus, aurium doloribus efficaciter infunditur. Opitulatur & aciei

oculorum hebetiori, si additis fœniculi succo ac melle oculi ipsi eo inungantur. Erysipelata, herpetas & vlcera in capite manantia, cum aceto, cerussa & rosaceo, inunctione sanat. Ipsa verò ruta alliorum cæparúmque grauem halitum emendat, si posteà commanducetur. At montana si copiosiùs estur, interficit. Atque si sub id tempus quo florere incipit ad muriæ conditurum colligatur, cutem rubefacit ac inflat, cum pruritu ac vehementi inflammatione. Eam itáque vnctis antea manibus & facie colligere oportet. Tradunt & succum gallinaceis pullis inspersum, feles arcere. Adiiciunt verò, eam quæ iuxta flumen Haliacmonem in Macedonia gignitur, comedentes interimere. Montosus autem is locus est, ac viperis abundat. At illius semen epotum, contra interaneorum vitia est efficax: ideóque antidotis vtiliter immiscetur. Contra incontinentiam vrinæ, tostum septenis diebus potui dato, & cessabit. Cæterùm radix huius, montanum moly vocitatur. Syluestris itaque ruta, satiuæ quodammodo similis est. Ac pota prodest comitialibus & ischiadicis: menstrua quoque mouet, ac partus enecat, Acrior verò est, quàm satiua & maioris efficaciæ. Attamen syluestrem cibis abdicare oportet, quippe quæ veneni noxiã obtineat.

De Ruta syluestri. CAP. LIII.

Vocant etiamnum syluestrem Rutam, quod in Cappadocia & Galatia Asiatica moly dicitur. Frutex est,ab vna radice complures virgas proferens: foliis multò quàm alterius rutæ longioribus ac tenerioribus, iísque graueolentibus, flore candido, capitulis in cacumine paulò quàm satiuæ rutæ maioribus:quæ quidem tribus maximè partibus constant: in quibus triquetrum semen, subfuluum gustúque perquàm amarum, recluditur, cuius etiam est vsus. Id autumno maturescit, túmque conuenit ad retusam oculorum aciem, si cum melle, vino, gallinaceo felle, croco ac fœniculi succo teratur. Sunt qui rutam hanc Harmala vocent, Syri Besasa, Cappadoces Moly, quoniam quandam cum Moly seruet similitudinem:siquidem radice nigra est, flore verò candido. In collibus ac læto fœcundóque solo prouenit.

De Moly. CAP. LIIII.

MOLY folia habet graminis, at latiora & humi sparsa: florem albæ violæ similem, lactei coloris, at minorem: quippe qui ad purpureæ violæ florum magnitudinem accedat: caulem verò tenuem, quaternûm cubitorum, in cuius cacumine quiddam est, quod allij speciem referat. Radix

parua,

parua, bulbo ſimilis, quæ ad apertas vuluas mirum in modum valet, ſi trita cum loliacea farina in peſſo ſubiiciatur.

De Panace. CAP. LV.

PANACES Heracleum, ex quo opopanax colligitur, plurimum in Bœotia & Pſophide Arcadiæ naſcitur. Sed & quæſtus gratia, qui quidem ex eo liquore factitatur, in hortis ſtudioſè colitur. Foliis eſt aſperis, in terra iacentibus, virentibus, & multùm ad ficulnea accedentibus, in ambitu quinquepartitò diuiſis: caule verò vti ferulæ altiſſimo, alba lanugine obducto, foliiſque ſtipato minutioribus, vmbella in cacumine ceu anethi, oblonga: flore autem luteo, ac ſemine odorato, vrendíque vi prædito: radicibus denique ab vna origine compluribus, iiſque candidis, graueolentibus, craſſo & ſubamari guſtus cortice præditis. Naſcitur in Cyrene Libyæ & Macedonia. Excipitur porrò liquor inciſa radice, dum cauliculi recèns adhuc pullulant, íſque candidus: qui quidem exiccatus ſuperficietenus croceum colorem contrahit. Effluentem verò liquorem illum ſubſtratis in excauato ſolo foliis excipiunt, ac vbi exiccatus fuerit, eximunt. Simili quoque modo caule meſſibus inciſo profluentem liquorem excipiunt. Meliores è radicibus, quæ diſtentæ ſunt ac minimè rugoſæ,

albæ, aridæ, neutiquam cariosæ: gustu verò feruentes & aromaticæ. Semen è media ferula idoneum: quod verò ex agnatis coliculis decerpitur, minùs succulentum est. Præstat autem in liquoris genere, qui gustu est amarissimus, intus candidus aut subfuluus, foris verò ad croci colorem inclinans, læuis, pinguis, friabilis, quíque statim diluitur, éstque graueolens. At niger ac mollis improbatur: ammoniaco enim aut cera adulteratur. Sed sincerus ac fraudis expers eo indicio deprehenditur, quòd digitis in aqua confricatus resoluatur atque lactescat. Vis ei excalfaciens, emolliens & attenuans: quamobrem febrium circuitibus rigoribúsque, conuulsis, ruptis, lateris doloribus, tussi, torminibus, vrinæ stillicidio ac vesicæ scabiei conuenit, ex aqua mulsa aut vino bibitus. Menses trahit, fœtus enecat, vuluæ inflationes duritiásque ex melle dilutus discutit. Ischiadi quoque illinitur, & cephalicis medicaminibus admiscetur. Carbunculos etiam circumquaque rumpit: podagricis cum vua passa illitus subuenit: dolores dentium demulcet, ipsorum cauis inditus: & oculorum aciem inunctus excitat. Denique si pici admisceatur, emplastrum parabitur contra canis rabidi morsus præstantissimum. Radix autem derasa & vuluæ subdita, partus

extrahit, ad vlcera vetusta efficax est, ac etiamnum ossa nudata carne operit, si trita inspergatur, aut cum melle illinatur. Semen verò cum absinthio sumptum, menses ciet. Cum aristolochia prodest aduersus bestias quæ venenum eiaculantur, & contra vuluæ strangulatus, in vino bibitum.

De Panace Asclepio. CAP. LVI.

Panaces Æsculapij caulem à terra emittit tenuem, cubitalem, geniculatum: circa quem folia visuntur fœniculi, maiora tamen hirsutioráque, odorata: & in cacumine vmbella, in qua flores emicant aurei, acres, & odorati. Radix est parua. Auxiliarem vim habent flores ac semina contra vlcera, panos & phagedænam, si trita cum melle imponantur: aduersus serpentes ex vino bibuntur, & cum oleo illinuntur. Aliqui panaces quoque, syluestre origanum vocant, alij cunilam: de qua capite de origano dictum est.

De Panace Chironio. CAP. LVII.

Panaces Chironium in Pelio monte maximè prouenit: foliis est amaraco similibus, floribus aureis, radice tenui, minimè alta, gustu acri. Pota radix serpentium veneno resistit: ac imposita quoque coma, contra illud ipsum efficax.

De Ligustico. CAP. LVIII.

LIGVSTICVM plurimum in Liguria nascitur, vnde & nomen traxit, in monte scilicet Apennino dicto, Alpibus contermino. Ipsum incolæ Panaces haud abs re appellant, quoniam & radice & caule Heracleotico panaci simile sit, paribúsque viribus prĉditum. Gignitur in altissimis asperísque montibus ac vmbrosis, maximè verò iuxta foueas & scrobes. Cauliculum profert tenuem, ceu anethi, geniculatum: circa quem folia sunt meliloti, at teneriora & odorata, prope verticem graciliora, pluribúsque diuisa incisuris. In cacumine vmbella, è qua semen dependet nigrum, solidum, oblongum, fœniculo proximum, gustanti acre & aroma redolens. Radix est candida, Heracleotici Panacis similis & odorata. Seminis radicísque vis excalfactoria & concoquens: siquidem prosunt ad interaneorum dolores ac tumores, itémque ad iuuandam concoctionem. Valent & ad inflationes, præsertímque ventriculi, necnon & ad venenatarum bestiarum ictus: vrinas quoque ac menses pota trahunt. Sed & apposita radix idem præstat. Ipsa porrò æquè ac semen vtiliter oxyporis & concoquentibus medicamentis admiscetur. Hoc verò stomacho perquàm vtile est: quare piperis loco id indigenæ ob-

soniis

ſoniis immiſcent. Adulteratur autem ſemine quodam conſimili, quod tamen guſtu facilè diſcernas: amarum enim eſt. Alij quoque ſeminibus fœniculi aut ſeſelis ſimul admixtis fraudem faciunt.

De Paſtinaca. CAP. LIX.

PASTINACA ſylueſtris folia habet gingidij, at latiora & ſubamara, caulem rectum, ſcabrum, vmbellam ſimilem anethi, in qua flores inſunt candidi, ac in medio exiguum quiddam, colore purpureo & ferè ad croceum inclinante. Radix eſt digiti craſſitudine, dodrantalis, odorata, &, ſi decoquatur, eſculenta. Huius ſemen potum ſubditúmve, menſes ciet. Cõuenit & ægrè meientibus, hydropicis atque pleuriticis, in potione: necnon & venenatarum beſtiarum morſibus ictibúſque prodeſt. Sed & aiunt, qui illud præſumpſerint, ab illis minimè lædi. Conceptum quoque adiuuat. Radix autem, quæ & ipſa vrinas pellit, Venerem prætereà ſtimulat, & partus appoſita eiicit. Folia verò trita & cum melle impoſita, phagedænica vlcera repurgant. Hortenſis porrò paſtinaca cibo aptior, ad eadem pollet, attamen viribus inefficacior.

De Seſeli Maſsilienſi. CAP. LX.

SESELI Maſſilienſe folia habet fœniculi, at craſſiora, caulémque vegetiorem: vm-

bellam anethi, in qua ſemen oblongum, angulosum, deguſtanti ſtatim acre: radix longa eſt, & iucundi odoris. Semen & radix excalfaciendi vim habent: potu ſtranguriæ & orthopnœæ medentur: vteri ſuffocationibus, comitialibúſque proſunt, menſes & partus trahunt, ad omnia interna vitia pollent, ac tuſſim denique veterem ſanant. Semen cum vino potum, concoctioni confert, torminàque diſcutit: epialis febribus eſt vtile, & ad propulſandam in itineribus algoris iniuriam cum pipere ac vino bibitur. Cæterùm ad partum adiuuandum capris cęteríſque pecudibus datur in potu.

De Seſeli Æthiopico. CAP. LXI.

Quod verò Æthiopicum ſiler appellatur, folia habet hederæ, ſed minora & oblonga, ceu periclymeni. Frutex grandis eſt, palmitibus ferè bicubitalibus, ramis dodrantalibus, & capitulis velut anethi: ſemine nigro ac ceu tritici denſo, verùm acriore & odoratiore, quàm ſit Maſſilienſe, ac valdè ſuaui. Eadem verò præſtat.

De Seſeli Peloponnenſi. CAP. LXII.

Quod autem in Peloponneſo naſcitur, folia habet cicutæ, ſed latiora & craſſiora: caulem ſupra Maſſilienſis magnitudinem, ferulaceum, & latam in cacumine vmbellam, in qua ſemen latius, odoratum & carnoſius

noſius

nosius pendet. Iisdem præditum est viribus. Nascitur in asperis & vliginosis, atque collibus. Gignitur & in Ida.

De Tordylio. CAP. LXIII.

TORDYLIVM, quod aliqui Creticum Seseli vocant, in Amano Ciliciæ monte nascitur. Herbula surculacea, exiguo semine eóque rotundo ac duplici, scutulorum effigie, subacri & aroma olente. Bibitur id contra vrinæ difficultatem, & ad ciendos menses. Succus caulis seminísque adhuc virẽtis, ternis obolis ex passo diebus decem bibitus, nephriticos persanat. Efficax quoque radix est: siquidem pectoris excreationes purgat, si cum melle delingatur.

De Sisone. CAP. LXIIII.

SISON exiguum semen est, quod in Syria nascitur, apio simile, oblongum, nigrum & feruentis gustus. Bibitur contra lienis vitia & vrinæ difficultatem: itémque ad commorantes menses euocandos. Eo ipso indigenæ cum cucurbita in aceto cocta condimenti vice vtuntur. In cacuminibus autem ceu granula multa gerit.

De Aniso. CAP. LXV.

ANISVM in vniuersum vim habet excalfaciendi, exiccandi, oris halitum iucundiorem faciendi, dolores leuandi, digerendi, vrinas ciendi, ac denique discutiendi

dissipandíque. Potum, hydropicis sitim cohibet: virulentorum animalium venenis aduersatur, itémque prodest ad inflationes: aluum & alba fœminarum profluuia sistit, lactis vbertatem præstat & Venerem stimulat. Dolorem capitis leuat, suffitum naribus: & cum rosaceo tritum instillatúmque, fractis auribus medetur. Efficaciùs porrò quod recens, plenum, minimè furfurosum, vehementíque est odore. Laudatissimum est Creticum, proximum Ægyptium.

De Caro. Cap. LXVI.

Carvm semen est exiguum, vulgaris notitiæ. Vrinas ciet, excalfacit, stomacho vtile, oríque gratum; concoctionem adiuuat, ac vtiliter antidotis & oxyporis admiscetur: denique non parua illi est cum aniso conuenientia. Est & cocta radix edulis, æquè ac pastinacæ.

De Anetho. Cap. LXVII.

Anethi aridi comæ seminísque decoctum potu, lac euocat, tormina inflationésque sedat, aluum & eorum quæ in summo fluitant ventriculo vomitiones cohibet, vrinas ciet, ac singultus lenit: frequentiùs potum oculos hebetat, & genituram restinguit. Est & eius decoctum fœminis hystericis ad desessiones vtile. Denique vstum inspersúmque semen, condylomata tollit.

De Cumino satiuo. CAP. LXVIII.

CVMINVM satiuum, stomacho est vtile: sed multò magis Æthiopicum, quod Hippocrates regium appellauit. Secundum locum tenet Ægyptium: mox reliqua sequuntur. Prouenit in Galatia Asiæ, Cilicia & Tarentina regione, aliísque locis compluribus. Excalfaciendi, astringendi & exiccandi vi præditum est: ad tormina inflationésque conuenit, seu coctum & cum oleo infusum, seu etiam cum hordeacea farina hydrelæo subacta impositum. Datur & orthopnoïcis, in posca: demorsis à venenatis beluis, in vino. Testium inflammationibus auxiliatur, cum vua passa & fabarum lomento aut cerato impositum. Cohibet & fluxum muliebrem sanguinísque è naribus profluuia, in aceto contritum & admotum. Cæterùm cutis colorem bibitum illitúmve mutat in pallorem.

De Cumino syluestri. CAP. LXIX.

Syluestre Cuminum plurimum efficaciúsque in Lycia & Galatia Asiæ atque Carthagine Hispaniæ gignitur. Est verò frutex exiguus, caule dodrantali ac tenui, in quo quaterna quináve sunt minuta folia, tenuia, veluti serrata & gingidij diuisura. Gerit autem in cacumine quina aut sena capitula rotunda & mollia, in quibus semen acerosum &

gustu acrius, quàm satiuum. Nascitur in collibus. Bibitur semen ex aqua aduersus tormina & inflationes: singultus ex aceto sedat: & contra virulentas bestias ac stomachi ex nimia humiditate imbecillitatem in vino bibitur. Sugillata tollit, si commanducatum cum melle & vua passa imponatur. Quin & testium inflammationibus, adiectis iisdem impositum, medetur. Est & alterum syluestris cumini genus, satiuo simile: quod quidem è singulis floribus erecta sursúmque spectantia cornicula promit: in quibus semen est melanthio simile. Potum id, contra serpentium morsus singulari est præsidio. Quibus substillum est lotium, calculosis & sanguinis grumos meientibus auxiliatur: verùm seminis apij decoctum superbibendum est.

De Ammi. Cap. LXX.

AMMI nonnulli Æthiopicum, aliqui regium cuminum appellant. Alij alterius naturæ Æthiopicum cuminum, & alterius Ammi esse prodiderunt. Vulgo notum est semen, exile, multò minus cumino, & origani sapore. Eligito purum miniméque furfurosum. Vim habet hoc quoque excalfactoriam, vrentem, & exiccantem: valet ad tormina, vrinæ difficultatem, ac venenatorum morsus, ex vino potum. Menstrua quoque

que ciet. Miſcetur & cutim erodentibus medicamentis è cantharide paratis, quò reſiſtat vrinæ difficultatibus, quæ alioqui id genus medicamentis ſuperuenire ſolent. Sugillata cum melle impoſitum tollit. Sed & potu ac illitu colorem pallidiorem efficit. Suffitum autem cum vua paſſa aut reſina, vuluam purgat.

De Coriandro. CAP. LXXI.

CORIANDRVM, Græcis Corion ſeu Coriannum, vulgaris eſt notitiæ, vim habens refrigeratoriam. Quare cum pane aut polenta impoſitum, eryſipelata & quæ ſerpunt vlcera ſanat: cum melle verò & vua paſſa, epinyctidibus, teſtium inflammationibus carbunculiſque medetur: & cum faba freſa, ſtrumas panóſque diſcutit. Semen exigua quantitate cum paſſo bibitum, lumbricos pellit, & geniturae abundantiam facit. At ſi largiùs ſumptum fuerit, mentem non ſine periculo è ſua ſede & ſtatu dimouet: quamobrem ab ipſius copioſiore frequentioréque vſu cauendum. Succus autem cum ceruſſa aut lithargyro, necnon & aceto atque roſaceo perunctus, ardentes in ſumma cute inflammationes emendat.

De Hieracio magno. CAP. LXXII.

HIERACIVM magnum, caulem profert aſperum, ſubrubrum, ſpinoſum,

vtcunque concauum: folia verò fundit ex interuallis, laciniis rarioribus diuiſa, ſimilia ſoncho per ambitum: flores luteos in oblongis capitulis. Vim habet refrigeratoriam, modicéque ac leuiter aſtringentem. Quamobrem æſtuanti ſtomacho inflammationibúſque vtiliter imponitur. Succus autem, ſtomachi roſionem ſorbitione mitigat. Cæterùm herba cum radice impoſita, ictis à ſcorpione auxiliatur.

De Hieracio paruo. Cap. LXXIII.

Hieracium paruum, folia quoque habet ex interuallis diuiſa per ambitum: cauliculos verò promit teneros ac virentes, in quibus flores lutei, in orbem circinati. Vires porrò & hoc cum antedicto eaſdem obtinet.

De Apio. Cap. LXXIIII.

APII hortenſis herba ad eadem, ad quæ & coriandrum, conuenit: prætereáque ad oculorum inflammationes, cum pane aut polentæ polline impoſita. Æſtuantem quoque ſtomachum demulcet, & mammas grumoſo lacte turgentes reprimit: ciet & vrinas, ſiue cocta ſiue cruda edatur. Decoctum eius radicúmque potum, venenorum noxæ reſiſtit, dum vomitiones excitat: aluum quoque cohibet. At ſemen potentiùs vrinas pellit, & à venenata beſtia demorſis, iíſque

qui

qui argenti ſpumam hauſerunt, opitulatur, ac denique flatus diſcutit. Sed & vtiliter admiſcetur medicamentis quæ dolorum leuamenta præſtant, itémque theriacis ac tuſſicularibus.

De Helcoſelino, ſeu apio paluſtri.
CAP. LXXV.

Helcoſelinon, quod in aquoſis locis naſcitur, ſatiuo apio grandius eſt: ſed ad eadem, ad quæ & illud, efficax.

De Oreoſelino. CAP. LXXVI.

Oreoſelinon, caule eſt dodrantem alto, qui quidem ſingularis ex gracili radice aſſurgit: ambiunt verò ipſum ramuli & capitula cicutæ ſimilia, at multò tamen tenuiora: in quibus ſemen oblongum, acre, tenue, odoratum, cumino ſimile. In petroſis montoſiſque locis naſcitur. Et ſemen & radix, vrinam ciendi vim habent, ſi in vino bibantur, ac menſes etiam trahunt. Antidotis quoque & vrinam cientibus atque excalfactoriis medicaminibus inſeruntur. Neque verò nos oportet in eo errore verſari, vt id oreoſelinon exiſtimemus, quod in ſaxis prouenit: aliud enim eſt petroſelinum.

De Petroſelino. CAP. LXXVII.

Apium, quod petroſelinum dicitur, prouenit in Macedonia, præruptis in locis, ſemine ammeos: at odoratiore, acri & aroma

olente. Vrinas id menſtruáque pellit: contra ſtomachi & coli inflationes ac tormina prodeſt. Succurrit & lateris, renum ac veſicæ doloribus, in potione ſumptum. Admiſcetur & antidotis vrinas cientibus.

De Hipposelino. CAP. LXXVIII.

Hippoſelinon aliqui grielum, alij agrioſelinum, quaſi apium ſylueſtre, alij ſmyrnium appellant: quanquam aliud eſt Smyrnium propriè dictum, de quo mox agemus. Eſt autem maius candidiúſque apio hortenſi, caule cauo, proccro, tenello ac veluti lineis diſtincto: Foliis latioribus, in puniceum vergentibus: in quibus eſt ceu libanotidis coma, florum plena, quæ quidem in corymbos cogitur, anteaquam defloreſcat. Semen autem eſt nigrum, oblongum, ſolidum, acre & aromaticum: radix itidem odorata, candida, ori grata, neque adeò craſſa. Naſcitur in vmbroſis & iuxta paludes. Oleris verò modo editur, veluti apium. Nam & radix cruda coctáve eſtur, & folia cum ipſis caulibus decocta manduntur, ac tum per ſe tum etiam cum piſcibus præparantur. Sed & cruda, muria condiuntur. Semen ex vino mulſo potum, menſes ciendi vim habet, ac rigore prehenſos potum illitúmve calefacit, & vrinæ ſtillicidio auxiliatur. Radix autem eoſdem præſtat effectus.

De

De Smyrnio. CAP. LXXIX.

SMYRNIVM, quod in Cilicia petroſelinum vocant, plurimum in Amano monte gignitur. Caulem habet apij, copioſa cinctum agnata ſobole: folia verò latiora ad terram, infracta, ſubpinguia, robuſta, odore medicato, & cum quadam acrimonia iucundo, colore denique in luteum langueſcente: habet & vmbellam ſupra caulem, qualis anetho ineſt: ſemen rotundum, braſſicæ ſimile, nigrum, acre, myrrhæ ſapore, ita vt alterum alterius qualitatem repræſentet: radix verò acris eſt, odorata, mollis, ſuccoſa, faucéſque mordens, cortice prædita foris nigro, intus verò pallido aut ſubalbido. Naſcitur in ſaxoſis collibus, locis aridis & incultis angulis. Vim habent radix, herba, ac ipſum quoque ſemen, excalfactoriam. Folia quoque muria condita, olerum inſtar in cibos veniunt, aluúmque ſiſtunt: radix verò pota, prodeſt contra ſerpentium morſus: tuſſes & orthopnœas mitigat, ac vrinæ difficultatibus medetur: impoſita verò, recentia œdemata, inflammationes duritiáſque diſcutit, & vulnera ad cicatricem perducit: ferueſacta autem ſubditáque, abortum infert. Semen renum, lienis ac veſicæ vitiis ſuccurrit, menſes & ſecundas pellit: iſchiadicis vtiliter in vino propinatur, & inflatio-

nes ſtomachi lenit: ſudores item ciet atque ructus. Peculiariter verò potui datur contra hydropem ac febrium circuitus.

De Elaphobosco. CAP. LXXX.

ELAPHOBOSCO caulis eſt libanotidi aut fœniculo ſimilis, geniculatus: folia duûm digitorum latitudine, prælonga ceu terebinthi, circumfracta, & quodammodo aſpera. Habet verò caulis ipſe agnatos ramulos multos, qui quidem vmbellas gerunt anethi ſimiles, flores ſubluteos, & ſemen itidem anethi: radix ferè ad ternûm digitorum longitudinem & vnius craſſitudinem accedit, candida, dulcis & eſculenta. Sed & caulis recens adhuc ac tenellus, olerum modo in cibos recipitur. Cæterùm huius herbæ pabulo ceruas aiunt ſerpentium morſibus reſiſtere: atque ideò ſemen quoque contra ſerpentium morſus in vino datur.

De Fœniculo. CAP. LXXXI.

FOENICVLI herba ſi edatur, mammas lacte replet: idem verò poteſt ſemen epotum, aut cum ptiſſana decoctum. Comæ autem decoctum bibitum, renum ac veſicæ vitiis eſt vtile: quippe quod vrinam excieat. Conuenit & à ſerpente demorſis in vino bibitum, ac menſes quoque ciet. In febribus nauſeam & ſtomachi ardorem ſedat, ex aqua frigida potum. Contritæ verò radices &

cum

cum melle impositæ, canum morsibus medentur. Succus caulibus & foliis expressus, & in sole siccatus, oculorum medicamentis vtiliter additur, quæ ad aciem visus excitandam reficiendámve præparantur. Extrahitur & ad eadem valens è recenti semine succus vna cum foliis atque ramulis. Radicibus præterea prima germinatione succus eodem modo exprimitur. Porrò in Iberia, quæ ad Occidentem spectat, liquorem etiam reddit fœniculum, gummi similem. Caulem verò medium, dum floret herba, demetunt indigenæ, ignique admouent, quò faciliùs vi caloris velut exudans gummi remittat. Id autem est succo ipso efficacius ad oculorum medicamenta.

De Hippomarathro. CAP. LXXXII.

Hippomarathrum, fœniculum est sylueſtre, procerum: quod semen profert cachryi simile. Radix autem subest odorata, quæ quidem bibita stranguriæ medetur, subditáque menses ciet. Semen porrò & ipsa radix potu, ventrem sistunt, contra venenatorum morsus auxiliantur, calculos comminuunt, & regium morbum expurgant. At haustum foliorum decoctum, & lactis abundantiam facit, & fœminas à partu purgat. Traditur & alterum Hippomarathri genus, foliis angustis, exilibus & oblon-

gis: ſemine rotundo ceu coriandri, acri, odorato, & excalfaciendi vi prædito. Viribus id antedicto reſpondet, niſi quòd agit imbecilliùs.

De Dauco. Cap. LXXXIII.

DAVCVM aliqui dircæum vocant. Ac Creticum quidem, foliis eſt fœniculi ſimilitudine, at minoribus atque tenuioribus, caule dodrantali, vmbella coriandri, floribus candidis: atque inter hos ſemine acri, albo, hirſuto, ac ſuauis in mandendo odoris. Radix eſt digitali craſſitudine, & dodrantis longitudine. In ſaxoſis apricíſque locis prouenit. Alterum verò genus eſt apio ſylueſtri ſimile, aroma olens, acre, odoratum, feruentíſque guſtus. Probatius Creticum. Tertium præterea genus eſt, foliis coriandri, floribus albis, capite & ſemine anethi: vmbella verò in capite, ceu paſtinacæ: ſemine referta oblongo, ceu cumini, acri. Omnium ſemen excalfaciendi vim habet. Potum, menſes, partus & vrinas pellit, torminibus liberat, veterémque tuſſim mitigat. Subuenit & à phalangio demorſis in vino potum, & impoſitum œdemata diſcutit. Seminis duntaxat ex aliis vſus eſt: at ex Cretico & radicis, quippe quæ maximè contra venenatorum iniuriam in vino bibatur.

De

De Delphinio. CAP. LXXXIIII.

DELPHINIVM ſurculos emittit ab vna radice duûm dodrantum altitudine, aut etiam maiores: circa quos exiliunt minuta folia, inciſuris diuiſa, tenuia, & oblonga, quæ delphinorum effigiem repræſentant: vnde & nomen tractum eſt. Flos violæ albæ ſimilis, purpureo colore: ſemen in ſiliquis milio proximum, quo non aliud vtiliùs in vino bibi poteſt à ſcorpione percuſſis. Aiunt & admota herba ſcorpiones reſolui atque ignauos torpeſcere: remota verò eadem, ſeſe recolligere. Naſcitur in aſperis & apricis.

De Delphinio altero. CAP. LXXXV.

Delphinium alterum, quod alij hyacinthum, Romani buccinum vocant, ſuperiori quidem eſt ſimile: at foliis & ramulis longè gracilioribus. Viribus etiamnum eiſdem cum antedicto pollet: at non eſt perinde efficax.

De Pyretrho, ſeu ſaliuari herba.
CAP. LXXXVI.

PYRETHRVM herba eſt, quæ caulem foliáque profert, vti daucum ſylueſtre & fœniculum: vmbellam verò ceu anethi, circinatæ rotunditatis. Radix longa eſt, pollicari craſſitudine, guſtúque feruidiſſimo. Pituitam elicit: atque ideò in dentium dolo-

ribus decocta in aceto, collutione auxilia-tur. Pituitam etiam eadem commanducata extrahit: & ex oleo inuncta, sudores ciet, contra diuturnos rigores efficax: quin & perfrigeratis resolutísve corporis partibus eximiè conducit.

De Libanotide. CAP. LXXXVII.

LIBANOTIS duûm est generum: ac vnum quidem frugiferum est, à nonnullis zea aut campsanema dictum: cuius semen cachrys vocatur: folia fœniculi habet, sed crassiora, latioráque: in rotæ speciem humi strata, odoratáque: caulem cubiti altitudine ac etiamnum maiorem, multis concauum alis, ac in cacumine vmbellam: in qua semen copiosum, candidum, sphondylio simile, rotundum, angulosum, acre, resinosum, ac in mandendo linguam exurens: radix alba & prægrandis, thuris odorem habet. Est & genus alterum antedicto omnino consimile, quod semen gerit latum, nigrum vti sphondylium, odoratum, minimè feruens: ac radice nititur, foris quidem nigra, at intus si contundatur alba. Quæ verò sterilis libanotis dicitur, penitus antedictarum similitudinem refert: at neque caulem, neque florem, neque semen profert. In saxosis autem & asperis prouenit. Omnium in genere herba trita & imposita, hęmorrhoïdum

pro-

profluuia ſiſtit, ac ſedis inflammationes & condylomata lenit. Concoquit & ſtrumas, atque abſceſſus qui ad maturationem ægrè perducuntur. Siccæ verò radices, cum melle vlcera repurgant. Torminibus quoque medentur, ac venenatorum morſibus conueniunt, in vino bibitæ: menſes itidem ac vrinas pellunt: & impoſitæ, œdemata vetuſta diſcutiunt. Tam radicis quàm herbæ ſuccus adiecto melle inunctus, oculorum aciem exacuit. Potum verò ſemen, ad eadem pollet. Sed & comitialibus malis, ac veteribus pectoris vitiis auxilio eſt: itémque regio morbo laborantibus, cum pipere ac vino exhibitum. Sudores quoque mouet, cum oleo perunctum. Prodeſt & ruptis atque conuulſis, itémque podagris, ſi cum loliacea farina & aceto tritum illinatur. Vitiligines etiamnum purgat, addito aceto quàm acerrimo. Ac ſemine quidem in potionibus vtendum eius libanotidis quæ cachryn non ferat: quipppe illud acre eſt, & arteriam exaſperat. Cæterùm Libanotida tradit Theophraſtus cum erica naſci, foliis lactucæ ſylueſtris amaræ, at candidioribus & aſperioribus: radice verò breui, quæ potu ſupernè infernéque purget.

De Cachry. CAP. LXXXVIII.

Cachry vim habet excalfaciendi & vehe-

menter exiccandi: quare commodè smegmatis inseritur: & contra oculorum fluxiones capiti inspergitur, ita vt tertio die tollatur.

De Libanotide coronaria.
CAP. LXXXIX.

Libanotis, quam Romani rosmarinum vocant, quáque coronarij vtuntur, virgultis est tenuibus: circa quæ folia exeunt minuta, densa, oblonga & gracilia, subter incana, supernè virentia, graui odore. Vi porrò excalfactoria pollet, regiúmque morbum sanat, si quis ipsam in aqua decoctam ante exercitationes potui dederit, ac deinde laborantem exercitatum lauet, illíque vinum propinet. Acopis denique gleucinóque vnguento admiscetur.

De Sphondylio. CAP. XC.

SPHONDYLIVM folia quidem habet platano quadantenus similia, ad panacis foliorum figuram accedentia: caules verò cubitali altitudine, aut etiam ampliùs assurgẽtes, fœniculaceos: semen in cacumine seseli simile, duplex, verùm latius, candidius & magis acerosum, grauis odoris: flores albos, radicem itidem albam, raphani similitudine. Nascitur in palustribus & aquosis. Potum ipsius semen, pituitosa per aluum excernit, ac medetur etiam hepaticis, ictericis,

orthopnoïcis, comitialibus & vuluæ ſtrangulatui. Profundiore verò ſomno captos ſuffitu reuocat. Ex oleo commodè irrigatur in capita phreneticorum, lethargicorum, itémque caput dolentium. Cohibet & herpetas, cum ruta adhibitum. Radix autem regio morbo laborantibus & hepaticis exhibetur. Circumraſa eadem & indita; fiſtularum callos exedit. Recentis verò floris ſuccus, exulceratis purulentíſque auribus accommodatur. Cæterùm reliquorúm etiam ſuccorum modo inſolatus, ad vſum reconditur.

De Ferula. Cap. XCI.

E Viridi ferula medulla epota, vtilis eſt hæmoptoicis atque cœliacis: itémque à vipera morſis in vino datur, erumpentémque naribus ſanguinem linamenti inſtar indita ſiſtit. Semen verò potum, torminoſis auxiliatur: & perunctum ex oleo, ſudores ciet. Caules in cibo ſumpti, capitis dolores faciunt: iidem muria quoque condiuntur. Ferula itaque caulem profert ternûm plerunque cubitorum: folia verò habet fœniculi, at longè craſſiora maioráque. [Sagapenum quoque ex ea proximè radicem vulnerata manat.]

De Peucedano. CAP. XCII.

PEVCEDANVM caulem profert tenuem, gracilem, fœniculo ſimilem: comam verò habet circa radicem, copioſam ac denſam: florem luteum: radicem nigram, graui odore, craſſam, liquoris plenam. Gignitur in montibus opacis. Excipiendi liquoris ratio hæc eſt: Tenera radix cultello conciditur, ſtatímque qui profluit è plaga liquor in vmbra reponitur. Sub ſole ſiquidem confeſtim euaneſcit. Verùm inter colligendum capitis dolorem vertiginémque inducit, niſi quis priùs nares roſaceo perunxerit, eodémque caput irrigauerit. Quæ verò radix liquorem fuderit, deinceps inutilis euadit. Sed & è caulibus, vti & è radice, & liquor & ſuccus elicitur, haud ſecus ac è mandragora. At ſuccus liquore inefficacior eſt, ocyúſque expirat. Interdum etiam priùs concreta reperitur lacryma, thuris ſimilitudine, caulibus radicibúſque adhærens. Porrò præfertur liquor qui è Sardinia & Samothrace petitur, odore graui, fuluus, feruénſque guſtu. Ex aceto & roſaceo illitus, prodeſt lethargicis, phreniticis, vertiginoſis, comitialibus, diuturno capitis dolore vexatis, paralyticis, iſchiadicis & conuulſis. Ac in vniuerſum omnibus neruorum vitiis ex oleo & aceto conuenienter illinitur. Datur & olfactandus in

in ſtrangulatu vuluæ: paritérque profundiore ſomno ſopitos excitat. Suffitu quoque ſerpentes fugat. Quin & aurium dolori cum roſaceo vtiliter inſtillatur, & ad mitigandum dentium dolorem earum cauernis inditur. Sed & contra tuſſim efficaciter ex ouo aſſumitur: itémque ſpirandi difficultatibus, torminibus, inflationibúſque ſubuenit, ventrem leniter emollit, lienem abſumit, ac difficiles partus egregiè adiuuat. Facit & potus ad veſicæ renúmque cruciatus ac diſtenſiones, vuluámque aperit. Radix ad eadem vtilis eſt, at inefficacior: eius verò decoctum bibitur. Arida quoque trita, ſordida purgat vlcera, oſſium ſquamas extrahit, veteráque vlcera cicatrice obducit. In cerata denique & malagmata calfacientia additur. Radicem eligito recentem, minimè carioſam, ſolidam & odoris plenam. Cæterùm ſuccus ad potiones amaris amygdalis, aut ruta, aut pane calido, aut anetho reſoluitur.

De Gith, ſeu Melanthio. CAP. XCIII.

MELANTHIVM, frutex eſt exiguus, ſurculis tenuibus, in binûm dodrantum altitudinem, aut etiam ampliùs, aſſurgens, foliis veluti ſenecionis, at multò tenuioribus: capitulo in cacumine paruo ceu papaueris, oblongo, intrinſecus diſſepimentis quibuſdam prædito: intra quæ ſemen

latet nigrum, acre & odoratum, quod panibus inspergitur. Caput dolentibus illitum fronti subuenit: itémque incipientibus oculorum suffusionibus, tritum cum irino & infusum naribus. Tollit & lentigines, lepras veterésque tumores ac duritias, ex aceto illitum: circumscarificatos clauos excutit, cum vrina vetere impositum. Dentium quoque dolori cum aceto & tæda coctum collutione prodest. Teretes itidem lumbricos expellit, illito ex aqua vmbilico. Tritum verò, linteolo illigatum & olfactum, destillatione laborantes adiuuat. Pluribus autem diebus continuis sumptum, menses vrinásque ciet, & lac auget. Leuat & spirandi difficultatem, addito nitro potum: auxiliatúrque phalangiorum morsibus ex aqua, drachmæ pondere bibitum. Incensum quoque, serpentes fugat. Sed & ipsum tradunt largiùs epotum enecare.

De Silphio. CAP. XCIIII.

SILPHIVM, seu laserpitium, circa Syriam, Armeniam, Mediam & Libyam nascitur. Huius caulis ferulaceus, maspetum appellatur: folia sunt apio similia, semen verò latum. Radix excalfacit, ægrè concoquitur, inflationes facit, ac vesicæ quoque noxia est. Strumis atque tuberculis cerato excepta, & sugillatis cum oleo illita, medetur. Ischiadicis

dicis

dicis cum irino aut cyprino cerato conue-nit: excrescentia circa sedem tollit, tegmini mali Punici incocta cum aceto & imposita: venenis eadem pota resistit: necnon & intinctibus salibúsque admista, ori grata est. Colligitur & liquor è radice atque caulibus incisis. Præfertur is modicè ruber atque translucens, myrrhæ æmulus, odoréque valens, minimè porraceus, neque saporis immitis & asperi: qui denique, dum liquescit ac diluitur, facilè albescit. At Cyrenaicus, etiamsi tantillum quis ipsum degustauerit, madorem toto corpore ciet, éstque odore blandissimo: adeò vt ne os quidem gustanti nisi paululum spiret. Medicus verò & Syriacus viribus minùs valent, & magis virosum reddũt odorem. Porrò liquor omnis anteaquàm siccescat, addito sagapeno aut fabæ lomento adulteratur: quod maleficium gustu, odore, visu, ac diluendo quoque deprehendes. Sunt verò qui caulem, silphium: radicem, magudarim: & folia, maspeta vocauerint. Efficacissimus est liquor, mox folia, postremò caulis. Est autem ille acris, inflationésque facit: alopecias cum vino, pipere & aceto perunctas sanat: cum melle illitus, oculorum aciem exacuit, incipientémque suffusionem dissipat. In dentium doloribus, cauernis ipsorum inditur, aut cum thure

linteolo illigatus circumponitur, aut deniq; que cum hyssopo & ficis in posca decoctis colluitur. A rabioso cane demorsis prodest, vulneribus impositus: itidémque valet ad omnium quæ virus eiaculantur animantium venenatorúmque telorum ictus, seu potus, seu etiam illitus. Scorpionum plagis oleo dilutus circumlinitur: gangræna obsessis partibus priùs scarificatis infunditur: necnon & carbunculis, cum ruta, nitro & melle, aut etiam per se: clauos callósque priùs circuncisos extrahit, siquidem cerato siccorúmve ficuum carne subactus antea fuerit. Sanat & lichenas recentes ex aceto: itidémque sarcomata & polypos, si cum attramento sutorio aut ærugine per dies aliquot illinatur: verùm extuberantia forfice extrahi oportet. Arteriis quoque longo tempore exasperatis opitulatur: ac vocem quæ derepente irraucuerit aqua dilutus sorbitione confestim expedit. Quin & vuam illitus cum melle reprimit, ac in anginis ex aqua mulsa vtiliter gargarizatur. Vescentibus lætiorem colorem conciliat, ad tussim commodè in sorbili ouo datur, itémque pleuriticis in sorbitionibus. Ictericis verò & hydropicis cum aridis ficis vtiliter exhibetur. Rigores etiam cum pipere ac thure in vino potus discutit. Tetano opisthotonóque di-
stentis

ſtentis oboli pondere deuorandus datur: hærentes gulæ hirudines gargarizatus cum aceto decutit. Quibus hauſtum lac intus concreuerit, & comitialibus, ſumptus ex aceto mulſo, ſuccurrit. Potus verò cum pipere & myrrha, menſes ciet: cœliacos in acino vuæ ſumptus adiuuat, denique cum lixiuio potui datus, repentè conuulſis ruptíſque prodeſt. Ad potiones autem, amygdalis amaris, ruta aut pane calido diſſoluitur. Cæterùm foliorum ſuccus eadem præſtat, at liquore multò inefficaciùs. Eſtur porrò vtiliter cum aceto mulſo ad purgandas fauces, maximè verò cùm ſuppreſſa interceptáve vox eſt: veſcuntur & ipſo cum lactucis, erucæ loco. Sed & altera fertur magudaris in Libya naſci, radix laſerpitio ſimilis, at minùs craſſa, acris verò ac fungoſa, nullóque prægnans ſucco: eiuſdem tamen cum laſerpitio facultatis.

De Sagapeno. CAP. XCV.

SAGAPENVM, ferulaceæ herbæ liquor eſt, quæ quidem in Media naſcitur. Præfertur id quod tranſlucet, foris quidem fuluo, intus verò albo colore, medio inter laſer & galbanum odore, acríque guſtu. Prodeſt pectoris lateríſque dolori, ruptis, conuulſis, tuſſibus vetuſtis: humoréſque craſſos pulmoni moleſtos expurgat. Datur & comitia-

libus, opisthotonicis, lienosis, paralyticis, perfrigeratis, & contra febres per circuitum repetentes in potu, & ad vnguenta quoque vtiliter adhibetur. Sed & menses trahit ac fœtus enecat, cum aqua mulsa potum. Medetur & venenatorum morsibus, ex vino sumptum: olfactum etiamnum ex aceto, eas quæ ab vtero strangulantur excitat. Oculorum cicatrices, hebetudines & offusam pupillis caliginem, suffusionésque detergit. Cæterùm, ceu laser, ruta, aqua & amaris amygdalis, aut melle panéve calente resoluitur.

De Euphorbio. CAP. XCVI.

EVPHORBIVM, Libyca arbor est, ferulæ speciem habens: quæ quidem in Atlante Mauritaniæ monte nascitur, acerrimo referta liquore: quem propter eximium feruorem non citra metum incolæ ita colligunt. Ouillos ventres lotos arbori circumligant, & è longinquo ipsius caudicem contis hastilibúsve vulnerant: confestímque è plaga ceu ex vase quodam copiosus liquor in subditos ventriculos effluit: pars etiam humi præ eruptionis impetu spargitur. Sunt porrò liquoris duo genera: vnum sarcocollæ modo pellucidum, erui magnitudine: alterum in ventriculis quibus excipitur coit, vitri effigie. Adulteratur verò sarcocollæ &

glutini

glutini mixtione: ſed eligendum tranſlucens & acre. Difficile autem eſt quod è guſtu petitur ſaporis experimentum: quippe cùm leui linguæ contactu os accenſum diu detineat, adeò vt quicquid deinde exhibetur, euphorbium eſſe videatur. Cæterùm id Iuba in Libya regnante primò inuentum fuiſſe in cònfeſſo eſt. Vim porrò habet liquor inunctus ſuffuſiones diſcutiendi, ſed potus die tota exurit: quare melli collyriiſque pro acrimoniæ ratione admiſcetur. Prodeſt & coxendicum doloribus, in aromatica potione hauſtus: oſſium verò ſquamas eadem die remouet. Verùm qui eo vtuntur, oportet oſſibus circumiacentem carnem inditis linamentis aut ceratis probè communiant. Cæterùm tradunt nonnulli, nihil incommodi ſenſuros qui à ſerpente demorſi fuerint, ſiquidem inciſa oſſetenus capitis cute intritus liquor infundatur, vulnúſque poſteà conſuatur.

De Galbano. CAP. XCVII.

GALBANVM, liquor eſt naſcentis in Syria ferulæ: id nonnulli Metopium vocant. Eſt in hoc genere probatiſſimum, quod thuris (aut ammoniaci) præbet effigiem, grumoſum, purum, pingue, minimè lignoſum, at nonnihil retinens admixti ſeminis ac ipſius quoque ferulæ, odore graui,

neque valdè humidum, neque etiam penitus aridum. Admixtis resina, faba fresa & hammoniaco adulteratur. Excalfacit porrò galbanum, vrit, attrahit atque discutit: menses ac partus trahit, appositu vel suffitu: lentigines cum aceto & nitro illitum tollit. Deuoratur autē ad tussim veterē, spirandi difficultatē, suspiria, rupta atque conuulsa. Cum vino quoque & myrrha epotum, toxico aduersatur. Sed & simili modo sumptum, partus mortuos extrahit. Imponitur & lateris dolori atque furunculis. Comitiales, vuluæ strangulatus, & vertiginosos olfactu suscitat. Si vratur, fugat nidore venenatas bestias, ac perunctos itidem ab illarum morsu vindicat: serpentes cum sphondylio & oleo admotum necat. Dentium dolorem oblitum, aut cauernis inditum, sedat. Prodesse quoque difficulter meientibus existimatur. Sed & ad potiones, amaris amygdalis & aqua, aut ruta mulsáve aut calido pane resoluitur: aliâs verò meconio, æréve vsto aut felle liquido. Porrò si purgare galbanum voles, in feruentem aquam demittito: nam vbi liquatum fuerit, sordes ex parte fluitabunt, quas ita facilè separabis: dein galbanum ipsum mundo raróque linteo illigatum in ærea pyxide aut fictili vase ita suspendito, vt ne fasciculus nodulúsve vasis

imum

imum contingat, opertúmque vas in feruidam aquam demittito. Sic enim quod vtile præstantiúsque fuerit, veluti per colum eliquescet: lignosum verò quicquid fuerit, intra linteum remanebit.

De Hammoniaco. CAP. XCVIII.

EST & Hammoniacum ferulæ liquor, quæ in ea gignitur Africæ parte, quæ est iuxta Cyrenen. Totus cum radice frutex, Agasyllis appellatur. Maximè probatur quod bene coloratum est, ligni & calculorum expers, thuris glebarum granorúmve similitudine, syncerum ac densum, nulla sorde spurcatum, castoreum odore imitans,& gustu amarum. Hoc genus thrausma, quasi fragmentum seu friaturam dicas, appellatur: alterum quod terræ calculorúmve est particeps, phyrama, id est, mixtura seu miscella. Gignitur verò succus is in Africa iuxta Hammonis templum è ferulacea stillans arbore. Vim habet molliendi, attrahendi, calfaciendi, atque duritias & panos discutiendi. Potum, aluum subducit, partúsque extrahit: lienem verò consumit, cum aceto drachmæ pondere haustum, & articulorum coxendicúmque doloribus liberat. Auxilio quoque est anhelatoribus, orthopnoicis & comitialibus: item quibus humor intra pectus hæret, si ex melle delingatur, aut cum

ptiſſanæ ſucco ſorbeatur. Cruentas etiam vrinas pellit: necnon & oculorum albugines abſtergit, & genarum ſcabritias abſumit. Tritum autem ex aceto & impoſitum, lienis iocinerísque duritias emollit. Sed & tophos ſeu nodos diſſoluit qui circum articulos occalluerunt, cum melle adhibitum, aut etiam pici admixtum. Facit & ad laſſitudines & iſchiadas: ſi additis aceto, nitro & cyprino oleo, acopi vice perungantur.

De Sarcocolla. Cap. xcix.

SARCOCOLLA lacryma eſt arboris in Perſide naſcentis, thuri tenui ſimilis, ſubfulua, guſtu amariuſcula. Vim habet vulnera glutinandi, & oculorum fluxiones inhibendi. Inſeritur & emplaſtris. Cæterùm admixto gummi adulteratur.

De Glaucio. Cap. c.

GLAVCIVM ſuccus eſt herbæ quæ ad Hierapolin Syriæ naſcitur, foliis ferè cornuti papaueris, pinguioribus tamen & in terram ſparſis, graueolentibus & guſtanti amarioribus: quæque ſunt crocei coloris, ſucco copioſo prædita. Folia in ollam coniecta ſemifrigidis clibanis calfaciunt indigenæ, vſquedum flacceſcant: deinde contuſis ſuccum exprimunt. Eſt porrò eius vſus ad oculorum affectus circa principia: quippe cùm refrigerandi vim habeat.

De

De Glutino. CAP. CI.

GLVTINVM quod xylocollam vel taurocollam vocãt, præstantissimum Rhodiacum, quod è coriis bubulis cõficitur. Candidum verò id est atque translucens: at nigrum, minùs probatur. Resolutum in aceto, impetigines lepràsque summæ cutis delet. Ex aqua verò calida dilutum & illitum, non patitur ambusta in pustulas attolli. Vulnerarium quoque est, si melle & aceto diluatur.

De Ichthyocolla. CAP. CII.

ICHTHYOCOLLA, hoc est, piscium gluten, venter est piscis cetacei. Præstat natione Pontica, candicans, subaspera, minimè scabra, & quæ celerrimè liquescit. Vtilis est in emplastris cephalicis, leprarúmque medicaminibus, & tetanothris quæ faciei cutem erugant & extendunt.

De Visco. CAP. CIII.

VISCVM optimum quod recens est, colore intus porraceo, extrà verò subflano, quódque nil habet asperi aut furfuracei. Confit è fructu quodam rotundo fruticis in robore nascentis, foliis buxo similibus. Contunditur fructus, deinde lauatur, tandémque in aqua decoquitur. Sunt qui acinos commanducantes, ipsum conficiant. Gignitur quoque in malo, pyro & plerisq;

aliis arboribus: atque etiam apud fruticum quorundam radices inuenitur. Discutit, emollit, attrahit: tubercula, parotidas aliósque abscessus maturat, resinæ paríque ceræ admixtum: epinyctidas quoque in splenio sanat. Vetera autem vlcera, malignósque abscessus cum thure mollit: lienémque absumit, cum calce aut gagate Asióve lapide coctum & impositum. Vngues quoque extrahit, cum arsenico aut sandaracha illitum. Cæterùm cum calce viníque fæce mistum, suam vim intendit.

De Aparine. CAP. CIIII.

APARINE, quam alij ampelocarpum, alij omphalocarpum, alij philanthropum, alij denique ixum quasi viscum vocant, ramis multis fruticat, iísque paruis, quadrangulis, asperis: folia, ceu & rubiæ, ramulos in orbem cingunt per interualla. Flores sunt candidi: semen durum, album, rotundum, in medio quodammodo concauum instar vmbilici: herba ipsa vestibus adhærescit. Ea verò pastores coli vice vtuntur, ad eximendos è lacte pilos. Seminis, caulium ac foliorum expressus succus è vino potus, contra phalangiorum viperarúmque morsus præbet auxilium. Idem auribus infusus, earum doloribus medetur. Cæterùm herba ipsa si axungia trita excipiatur, strumas discutit.

De Alysso. CAP. CV.

ALYSSON, suffrutex est exiguus, subasper, foliis rotundis: iuxta quæ fructus est duplicium scutulorum effigie, in quo semen quadantenus latum. Nascitur in montibus asperísque locis. Huius decoctum potum, soluit singultus qui sunt citra febrim. Idem præstat, si teneatur vel olfiat. At cum melle tritum, lentigines & maculas à Solis ardore contractas emendat. Sed & existimatur canis rabidi morsui mederi, contusum in eduliis & exhibitum. Quin & in domo suspensum, salutare ac tum hominibus tum aliis animalibus fascini amuletum esse fertur. Panno verò puniceo circumligatum, pecorum morbos abigit.

De Asclepiade. CAP. CVI.

ASCLEPIAS ramulos emittit longos, in quibus folia longa, hederacea: radices numerosas, tenues, odoratas: florem graueolentem, semen ceu securidacæ. Nascitur in montibus. Radices in vino potæ, torminibus, & contra venenatorum animalium morsus, auxiliantur. Folia verò imposita, mammarum ac vuluæ malignis vitiis conferunt.

De Atractylide. CAP. CVII.

ATRACTYLIS, spina est cnico similis, sed quæ in summis virgultis folia mul-

tò longiora proferat: maior autem pars nuda est & aspera, qua etiam fœminæ pro colu vtuntur. Capitula etiam gerit in cacumine aculeata, florémque pallidum: radix tenuis est atque supernacua. Huius folia, coma & semen, trita potáque cum pipere ac vino, à scorpione percussis succurrunt. Tradunt & nonnulli, percussos, quandiu herbam eam tenuerint, cruciatum non sentire: sed illa deposita, statim dolere.

De Polycnemo. CAP. CVIII.

POLYCNEMON, frutex est surculosus, foliis origani, caule geniculis multis intercepto, vti pulegij. Neque verò vmbellam habet, sed paruos in cacumine corymbos cum acri quadam odoris iucunditate. Seu recens, seu aridum ex aqua impositum, efficaciter vulnera glutinat: sed quinto die solui debet. Ad stranguriam itidem & rupta ex vino bibitur.

De Clinopodio. CAP. CIX.

CLINOPODIVM exiguus frutex est, etiam surculosus, duûm dodrantum altitudine, qui quidem in petrosis nascitur: foliis serpyllo similibus, & floribus [orbiculato suo ambitu] lecti pedum speciem præbentibus, ex interuallis marrubij modo dispositis. Bibitur herba ipsiúsque decoctum ad venenatorum animalium morsus,

con-

conuulsa, ruptáque & ftranguriam. Pellit & menfes atque partus. Verrucas penfiles, quas acrochordonas vocant, auellit, aliquot diebus epotum. Aluum quoque fiftit ad tertias decoctum & potum, fiquidem febris abfit, in vino: fin minùs, ex aqua.

De Leontopetalo. CAP. CX.

LEONTOPETALVM caulem profert dodrantalem, aut etiam altiorem, plurimis alis concauum: in quarum cacuminibus filiquę funt cicerum modo, ac in his duo triáve minuta femina, flores punicei, anemonæ fimiles, folia braffícæ, papaueris foliorum diuifura: radix nigra, rapo fimilis, quæ eminentias ceu nodos quofdam habet. Nafcitur in aruis, ac inter fegetes. Radix ex vino pota, commorfis à ferpente auxiliatur, dolorem omnem celeriter eximens. Mifcetur & ifchiadicorum clyfteribus.

De Teucrio. CAP. CXI.

TEVCRIVM funt qui etiam chamædryn appellant. Herba eft virgæ fpeciem præ fe ferens, triffagini fimilis, tenui folio ac ciceris figura. In Cilicia iuxta Gentiadem & Ciffadem appellatam vbertim prouenit. Recens cum pofca, vel etiam aridæ feruectactæ ius, potu potenter lienem confumendi vim habet. Sed & lienofis imponitur cum ficis & aceto: venenatorum

autem animalium morsibus, ex aceto solo fine ficis.

De Trissagine. CAP. CXII.

TRISSAGO Græcis chamædrys, quibusdam chamædrops, aliis linodrys dicitur. Sunt & qui eam ipsam Teucrium appellauerint, propterea quòd cum teucrio quandam seruet similitudinem. Nascitur in asperis ac petrosis locis. Est verò frutex exiguus, dodrantalis, folia habens exigua, effigie & diuisura quercus, amara: florem penè purpureum ac pusillum. Carpi ipsam semine prægnantem oportet. Recens in aqua decocta, potu conuulsis, tussi, lieni indurato, vrinæ difficultate laborantibus ac incipientibus hydropicis auxiliatur. Ciet etiam menses, atque partus extrahit, lienémque ex aceto pota consumit. Est & aduersus venenata animantia potu ex vino illitúque efficax. Sed & trita, in catapotia redigi potest ad supradicta. Efficax quoque est ad repurganda vetera vlcera cum melle. Trita verò cum oleo & illita, caligines oculorum discutit. Denique excalfacit perunctione.

De Leucade. CAP. CXIII.

LEVCAS montana latioribus foliis est quàm satiua, semine verò acriore, amariore atque etiam ori magis ingrato: attamen quàm satiua efficacior habetur. Vtraq;

cum

cum vino & illitu & potu contra virulentorum animalium, maximéque marinorum, venena efficax.

De Lychnide coronaria.

CAP. CXIIII.

LYCHNIS coronaria flore est albæ violæ, sed purpureo: qui quidem in corollas nectitur. Semen in vino potum, à scorpione ictis auxiliatur.

De Lychnide syluestri. CAP. CXV.

Lychnis syluestris, omni ex parte satiuæ similis. Semen duabus drachmis potum, biliosa per aluum detrahit, & ictis à scorpione subuenit. Sed & aiunt scorpiones hac herba admota torpescere, prorsúsque inertes & ad lædendum inefficaces reddi.

De Lilio. CAP. CXVI.

LILII regij flos coronarius est: lirium nonnulli vocant: ex eóque paratur vnguentum, quod aliqui lirinum, alij susinum appellant, neruos, priuatímque vuluæ duritias, emolliens. Herbæ folia imposita, serpentium morsibus opitulantur: feruefacta quoque, adustis proficiunt: aceto verò condita, vulneribus prosunt. Ex eorundem succo in æneo vase decocto, adiectis aceto & melle, liquidum fit medicamentum, veteribus vlceribus recentibúsque vulneribus vtile. Inassata radix & ex rosaceo trita, igni

ambusta sanat, vuluam emollit, menstrua ciet, vlceráque cicatrice obducit. Cum melle autem detrita, præcisis neruis luxatísque medetur: alphósque, lepras & furfures emendat. Quin & vlcera in capite manantia exterget, faciémque purgat simul & erugat. Eadem trita cum aceto aut hyoscyami foliis & farina tritici, testium inflammationes demulcet. Semen verò potum, serpentium morsibus aduersatur: erysipelatis autem semen & folia trita ex vino imponuntur. Tradunt porrò nonnulli, etiam purpureos nasci liliorum flores. Cæterùm in Syria & & Pisidia Pamphyliæ lilia vnguento conficiendo efficacissima nascuntur.

De Ballote. CAP. CXVII.

BALLOTE, seu marrubium nigrum, caules edit quadrangulos, nigricantes, subhirsutos, ab vna radice numerosos, foliis marrubij: at maioribus, rotundioribus, nigris & hirsutis, caulem per interualla cingentibus apiastri similitudine, atque etiam graueolentibus. Vnde & hanc aliqui apiastrum vocauêre. Sed & flores candidi vnà cum foliis orbiculatim caules ipsos ambiunt. Huius folia ex sale imposita, aduersus canis morsus efficacia sunt. Ferue̅ti verò cinere cocta dũ flaccescãt, condylomata reprimunt, sordidáq; vlcera cum melle purgant.

De

De Apiastro. CAP. CXVIII.

APIASTRVM, quod Græci melissophyllon, & alio nomine melittænam, vocant, quoniam apes ea herba delectantur, foliis & cauliculis antè memoratæ ballotæ similis est: attamen maioribus & tenuioribus, neque ita hirsutis, citreum verò malum redolentibus. Folia cum vino pota atque etiam imposita, prosunt contra scorpionum ictus, necnon & phalangiorum canísque rabidi morsus. Eorundem decoctum fotu ad eadem valet. Conuenit etiamnum fœminarum desessionibus ad ciendos menses. Colluitur & in dentium doloribus, atque etiam dysentericis infunditur. Folia quoque addito nitro bibita, iis auxiliantur qui à fungis strangulantur, necnon torminosis: orthopnoïcis verò, in eclegmate sumpta. Cæterùm imposita cum sale, strumas discutiunt, itémque vlcera purgant: sed & articularios dolores illita sedant.

De Marrubio. CAP. CXIX.

MARRVBIVM frutex est ab vna radice ramosus, subhirsutus, candicans, virgis quadrangularibus: folium pollicem æquat, subrotundum, villosum, rugosum, gustu amaro. Semen est in caulibus ex interuallis: flores verticillato ambitu asperi. Nascitur circa domorum areas & rudecta.

Huius foliorum ſiccorum ſimul & ſeminis decoctum ex aqua, aut etiam recentium foliorum ſuccus vnà cum melle, tabidis, ſuſpirioſis ac tuſſientibus exhibetur. Craſſam quoque pituitam pectore contentam, ammixta iride ſicca, excreatione purgat. Datur & mulieribus quæ non purgantur, ad euocanda menſtrua, ſecundáſque pellendas: itémque difficilè parientibus, atque etiam his qui à venenatis beſtiis commorſi ſunt, necnon & iis qui venena hauſerunt: attamen veſicam ac renes offendit. Folia cum melle illita, ſordida purgant vlcera: pterygia nomáſque ſiſtunt, & laterum dolores mitigant. Sed & ſuccus foliis contuſis expreſſus & in ſole ſpiſſatus coactúſve, ad eadem pollet. Cum vino quoque ac melle inunctus, oculorum claritatem adiuuat: per nares itidem regium morbum expurgat. Denique aurium doloribus per ſe & cum roſaceo conuenienter inſtillatur.

De Stachy. CAP. CXX.

STACHYS frutex eſt marrubio ſimilis, ſed aliquantò longior, & folia proferens numeroſa, rara, ſubhirſuta, dura, odoris iucundi, candida: & complures virgulas ab eadem radice exeuntes, quàm marrubij candidiores. Naſcitur in mõtoſis & aſperis locis. Vim habet excalfactoriam & acrem: ideóque folio-

Foliorum decoctum menstrua secundásque potu pellit.

De Phyllitide. CAP. CXXI.

PHYLLITIS folia promit rumici similia, sed oblongiora & magis virentia, sena septenáve, recta: quæque parte anteriore læuia cernuntur, posteriore verò, tenues quasi vermiculos annexos ostendunt. Nascitur in vmbrosis locis ac viridariis, gustu acerbo. Neque verò caulem, neque semen, neque florem profert. Folia in vino pota, serpentium morsibus aduersantur. Quadrupedibus itidem per os infusa auxilio sunt. Bibuntur & ad dysenteriam & ad diarrhœam.

De Phalangio. CAP. CXXII.

PHALANGIVM aliqui phalangiten, alij etiam leucacantham appellant. Ramuli ei sunt duo aut tres pluresve, inter se distantes: flores candidi, liliaceis similes, incisuras multas habentes. Semen verò latum, nigrum, ad dimidiatæ lentis figuram, sed multò gracilius. Radicula parua, tenuis, & dum è terra eruitur, coloris herbacei: posteà verò, contrahit sese. Nascitur in collibus. Folia, semen & flos, siquidem ex vino bibantur, contra scorpionum ictus phalangiorúmque morsus auxiliantur: tormina quoque discutiunt.

De Trifolio. CAP. CXXIII.

TRIFOLIVM Græci triphyllon, alij oxytriphyllon, alij menyanthes, alij asphaltium, alij denique cnicium vocant. Frutex est supra cubiti altitudinem assurgens, ac virgas habens tenues, nigras, iunceas, non sine ramulorum appendiculis: in quibus folia exeunt loti arboris foliorum similitudine, eáque terna in singulis germinibus. Odor illorum vbi recèns nata sunt, rutæ: postea quàm verò adoleuerunt, bitumini proximus. Florem verò edit purpureum, ac semen quadantenus latum & subhirsutum, ab altera extremitate veluti corniculum gerens. Radix autem tenuis, longa, ac firma validáque est. Semen & folia in aqua pota, pleuriticis, vrinæ difficultate laborantibus, comitialibus, hydropicis incipientibus, ac fœminis vuluæ strangulationi opportunis auxiliantur; menses quoque ciunt. Sed è semine, ternæ drachmæ: è foliis verò, quaternæ exhiberi debent. Succurrunt & venenatorum morsibus folia trita ex aceto mulso pota. Tradunt verò nonnulli, totius fruticis, radicis inquàm & foliorum decoctum fotu dolores eorum mitigare, quos serpentes momorderint: verùm si qua sanatus quispiam fuerit aqua, alius aliquis foueatur qui vlcus habuerit, perinde affici vt qui demorsi fuêre.

Quidam

Quidam terna folia aut totidem ſemina in tertianis cum vino potui dedêre,& in quartanis quaterna, ceu quæ febrium circuitus finiant atque diſcutiant. Cæterùm radix antidotis inſeritur.

De Polio. CAP. CXXIIII.

POLIVM quoddam montanum, cui etiam teuthris nomen eſt, & cuius eſt vſus. Exiguus frutex eſt, tenuis,candidus,dodrantalis, & ſemine refertus: capitulo in cacumine quandam corymbi ſpeciem præ ſe ferente, paruo, cæſariei canæ ſimili, & graueolente cum aliquantula odoris iucunditate. Alterum fruticoſius eſt, non vſqueadeò valens odore, ac viribus inefficacius. Decoctum ipſorum epotum, ſuccurrit venenatorum morſibus, hydropicis & arquatis: ſpleneticis autem ex aceto propinatur. Sed capitis dolorem ciet, ſtomachúmque malè habet. Ducit verò etiam aluum ac menſes. Cæterùm ſubſtratum ſuffitúmve polium, venenatas beſtias abigit: impoſitum verò, vulnera conglutinat.

De Scordio. CAP. CXXV.

SCORDIVM in montanis & paluſtribus locis naſcitur. Folia habet triſſaginis ſimilitudine, at maiora, neque ita per ambitum inciſuris diuiſa, aliquantùm verò allium redolentia, aſtringẽtia & guſtu amara:

cauliculos autem quadrangulos, è quibus flos subruber emicat. Vim habet herba excalfactoriam, vrinámque cit. Recens trita, itémque arida, decocta in vino, aduersus serpentium morsus, venenáque propinatur: ad stomachi verò rosiones, dysenteriam, & vrinæ difficultatem, binis drachmis ex hydromelite. sed & pus crassius pectore expellit. Facit & arida ad veterem tussim, rupta, conuulsáque, si cũ nasturtio, melle ac resina in eclegmate misceatur: diuturnam quoque hypochondrij inflammationem cerato excepta lenit: valet itidem ad podagram, ex aceto acri oblita aut ex aqua imposita: subdita verò, menses mouet. Quin & vulnera conglutinat, vetera vlcera repurgat, & cum melle ad cicatricem perducit. Sicca verò, carnis excrescentias cohibet. Sed & expressus ex ea succus, ad eadem vitia bibitur. Verùm efficacissimum Ponticum, Creticúmque.

De Tussilagine. CAP. CXXVI.

TVSSILAGINI folia sunt hederaceis similia, sed maiuscula, sena septenáve à radice prodeuntia, infernè subalbida, supernè verò virentia, pluribus angulis prædita: caulis palmi altitudine, flos ex luteo albicans, qui verno tempore prodit, at quamprimùm vnà cum caule amittitur. Ex quo factum vt nonnulli herbam hanc sine caule

ac ſine flore eſſe exiſtimauerint. Radix tenuis, nec ſuperuacua. Naſcitur circa ſcaturigines aquarum, & riguis locis. Folia trita, ex melle impoſita, eryſipelatis omníque inflammationi medentur: ſuffita verò arida, ita vt ex iis fumus per infundibulum hianti ore excipiatur hauriatúrque, eos ſanant qui ſicca tuſſi & orthopnœa infeſtantur: pectoris etiamnum vomicas rumpunt. Eundem effectum præbet ſuffita radix: ſed & decocta in hydromelite ac epota, partus emortuos eiicit.

De Artemiſia. CAP. CXXVII.

ARTEMISIA in maritimis plerunque naſcitur, herba fruticoſa, abſinthij ſimilitudine, niſi quòd eſt maioribus pinguioribúſque foliis: quanquam eſt quædam lætior habitiórque, foliis virgultíſque latioribus, altera verò, tenuioribus. Flores ſunt parui, tenues, candidi & graueolentes: æſtate autem floret. Sunt qui in Mediterraneis artemiſiam monoclonon appellent, herbulam gracili ſurculo, ſimplici caule donatam, valdè puſillam, attamen floribus refertam tenuibus, & ad fuluum colorem accedentibus. Hæc quàm præcedens iucundiorem afflat odorem. Vtraque excalfacit & attenuat. Feruefactæ inſidentibus fœminis proſunt ad extrahendos menſes, partus ſecundáſque:

itémque ad vuluæ præclusionem & inflammationem. Valent etiamnum ad comminuendos calculos, remoratámque vrinam eliciendam. Quinetiam herba ipsa copiosior imo ventri imposita, menses ciet. Succus ex eadem expressus, cum myrrha subactus vuluæque subditus, eadem quæ & insessus ex vtero trahit. Sed & coma eorundem educendorum gratia ternis drachmis propinatur.

De Artemisia tenuifolia.

CAP. CXXVIII.

Habetur & Artemisia tenuifolia, quæ circa riuulos ac sepes & in agris frumentariis nascitur. Huius flores & folia si contriueris, sampsuchi odorem expirant. Si quis igitur herbam eam tusam, & cum oleo amygdalino bene subactam more malagmatis dolenti stomacho imposuerit, sanabitur. Quòd si quis etiam neruorum dolore tentetur, eius contritæ succo expresso & mixto cum oleo rosaceo, illum si perunxeris, curabitur.

De Ambrosia. CAP. CXXIX.

AMBROSIA, quam alij botryn, alij botryn artemisiam appellant, exiguus frutex est, trium palmorum altitudine, ramosus: folia circa imum caulem habet exigua, ceu rutæ: cauliculos verò minutis seminibus, quasi racemulis, qui nunquam florent, refer-

refertos: eſt is odore vinoſo, ac ſuauis. Radix tenuis, & duûm palmorum longitudine. Nectitur in coronas apud Cappadoces. Vis eius, reprimere, repellere & illitu aſtringere humores, qui in aliquam partem incumbunt.

De Botry. CAP. CXXX.

BOTRYS herba eſt lutea tota, frûticoſa, latè ſparſa, & alis compluribus prædita. Semen circa totos ramulos naſcitur: folia cichorio ſimilia, numeroſa. Herba verò tota ſuauiter admodùm olet: quamobrem veſtibus etiam interponitur. Inuenitur verò potiſſimùm circa profluentes aquas, & in torrentium ripis. Pota ex vino, orthopnœas mulcendi vim habet. Et hanc Cappadoces ambroſiam vocant, alij artemiſiam.

De Geranio. CAP. CXXXI.

GERANIVM folio eſt anemones, inciſuris diuiſo, at longiore: radice propemodùm rotunda, dulci & eſui apta. Hæc drachmæ pondere in vino pota, vuluæ inflationes diſcutit. Vocatur & à nonnullis geranium alterum, quod cauliculos habet tenues, lanuginoſos, binûm palmorum altitudine: folia verò ceu maluæ, & in ſummis alis ſurſum ſpectantes eminentias quaſdam, veluti gruũ capitula cũ ſuis roſtris, aut dentes caninos. Sed nullius eſt in medicina vſus.

De Gnaphalio. CAP. CXXXII.

GNAPHALII foliis albis mollibúsque pro tomento vtuntur. Efficaciter autẽ ad dysenteriã in vino austero propinãtur.

De Typha. CAP. CXXXIII.

TYPHA folium profert cyperidi simile, caulem læuem & æquabilem, quem in cacumine flos ambit densus, quíque in pappos soluitur. Eum aliqui paniculam nominant. Huius flos vetere suillo adipe loto exceptus, ambustis medetur. Gignitur autem in paludibus & aquis stagnantibus.

De Circæa. CAP. CXXXIIII.

CIRCAEA, quam dircæam aliqui vocant, folia gerit hortensis solani, ac propagines crebras: flores nigros, pusillos, numerosos: semen milij figura, quibusdam veluti corniculis inuolutum: radices dodrantales, ternas quaternásve, albas, odoratas, & excalfaciendi vi præditas Nascitur maximè locis petrosis & apricis perflabilibus. Radix vnciarum quatuor pondere tusa, & in vini dulcis heminis sex diem noctémque macerata, triduóque bibita, vuluam expurgat. At semen in sorbitionibus assumptum, lactis vbertatem præstat.

De OEnanthe. CAP. CXXXV.

OENANTHEN alij leucanthon nominant. Folia edit pastinacæ: flores candi-

candidos: caulem craſſum, palmi altitudine: ſemen atriplicis: radicem denique magnam, in multa rotunda capitula extuberantem. Naſcitur in petris. Semen, caulis ac folia, ad ſecundas pellendas cum vino mulſo propinantur. Ipſa quoque radix è vino, ad ſtranguriam regiúmque morbum vtilis.

De Conyza. CAP. CXXXVI.

CONYZA quædam parua vocatur, odore præſtantior: maior altera, quæ frutice altior eſt, foliíſque latioribus atque graueolens. Vtriuſque folia oleæ ſimilia, at hirſuta & pinguia. Et maioris quidem conyzæ caulis in binûm cubitorum altitudinem aſſurgit: minoris verò, pedem æquat. Flos ſqualidus eſt, lutei coloris & ſubamarus, ac in pappos abit: radices autem, ſuperuacuæ. Frutex cum foliis, ſubſtratu ſuffitúque venenatas beſtias fugat, culices abigit, ac pulices quoque necat. Folia vtiliter imponuntur ſerpentium morſibus, tuberculis atque vulneribus. Flores etiam ac folia, ad menſes partúſque pellendos in vino bibuntur: itémque contra ſtranguriam, tormina morbúmque regium. Eadem ex aceto pota, comitiales adiuuant. Quin & decoctum, inſeſſu vuluæ vitiis medetur, menſéſque purgat. Subditus autem ſuccus, abortum infert. Sed & herba ex oleo peruncta, contra rigores

est efficax. Tenuior verò, etiam capitis dolores imposita sanat. Est & tertium conyzæ genus, caule crassiore molliorèque, foliis mediæ inter maiorem & minorem amplitudinis. Minimè autem pinguis ea est: at odore longè grauior, atque adeò iniucundior simul & inefficacior. Locis aquosis prouenit.

De Hemerocalle. CAP. CXXXVII.

HEMEROCALLIS caulem foliáque habet lilij, sed porri modo virentia. Flores in singulis scapi propaginibus terni quaternive erumpunt, lilij diuisura, cùm dehiscere cœperint, saturatiore verò ochræ colore: radix prægrandi bulbo similis est: quæ quidem trita potáque, aut cum melle & lana subdita in pesso, aquam & sanguinem inutilem educit. Folia verò trita illitáque, mammarum à partu inflammationes, necnon & oculorum epiphoras mitigant. Cæterùm & radix & folia, igni ambustis vtiliter imponuntur.

De Leucoïo seu Viola alba.

CAP. CXXXVIII.

LEVCOION vulgaris est notitiæ: sed est in floribus differentia. Nanque aut albi, aut lutei, aut cærulei, aut etiam purpurei reperiuntur. Est porrò leucoïon luteum inter cætera præcipui in medicina vsus: quippe cuius aridi flores feruefacti, in desessionibus

valent

valent cõtra vuluę inflãmationes, mẽstruáq; pellunt. Cerato verò excepti, rimas sedis: cum melle autem, oris vlcera, quæ aphthæ dicuntur, sanant. At semen duũm drachmarum pondere ex vino potum, aut cum melle subditum, menses, secundas & partus extrahit. Cæterùm radices ex aceto illitæ, lienem reprimunt, & podagricos iuuant.

De Crataeogono. CAP. CXXXIX.

CRATAEOGONON, siue, vt aliis placet, Cratæonon, folia habet melampyri: plures autem ab vna radice emicant culmi, geniculati: semen est milio simile. Nascitur vt plurimùm locis opacis & frutetosis. Est autem vehementer acre. Traditur à quibusdam, seminis potum efficere vt mulier virilis sexus fœtum pariat, siquidem post menses purgatos, anteaquàm cum viro congrediatur, ter die ieiuna semen tribus obolis in aquæ cyathis duobus bibat, ad dies quadraginta: bibat & ipsum vir modo consimili, ac totidem etiam diebus, deindéque cum illa coëat.

De Phyllo. CAP. CXL.

PHYLLON, alij elæophyllon, bryoniam alij nominant: in saxosis nascitur. Ac illud quidem quod thelygonon dicitur, veluti bryon oleæ pallidius gerit: folio verò est magis herbacei coloris: caule tenui, breui:

radice gracili: flore albo: ſemine papaueris, maiuſculo. Arrhenogonon verò cæterà antedicto ſimile: ſemine tantùm differt: habet enim racemoſum, ei quodammodo ſimile quod, poſtquàm defloruit olea, primulùm emergit atque conſpicitur. Perhibetur autem, arrhenogoni potu mares generari: thelygoni verò, fœminas. Hæc memoriæ prodidit Crateuas: quanquam talia mihi videtur hiſtoriatenus, tanquam fama auditionéve accepta, proponere.

De Orchi ſeu teſticulo. CAP. CXLI.

ORCHIS, quem alij cynoſorchin, quaſi canis teſticulum, vocant, foliis eſt circa caulis imam partem in terra ſtratis, mollibus, oleæ ſimilibus, at longioribus: caule palmari, in quo flores purpuraſcentes emicant: radice bulboſa, oblonga, gemina, anguſta, oliuarum inſtar: quarum vna ſuperior eſt, altera inferior: & hæc quidem plenior ac mollior, illa durior ac rugoſa. Radix cocta vt bulbus eſtur. Sed & de his radicibus memoriæ proditur, ſi maiorem edant viri, mares generari: ſi minorem fœminæ, alterum ſexum. Inſuper autem proditum eſt, in Theſſalia mulieres teneram è lacte caprino propinare ad excitandam libidinem: aridam verò, ad eandem inhibendam: atque ab vnius potu alterius vires exolui. Naſcitur in ſaxoſis & ſabuletis.

De Testiculo altero. CAP. CXLII.

Testiculus alter, quem alij, velut & Andreas, Serapiada vocant, propter radicis multiplicem vsum, foliis est porri, oblongis, at latioribus & pinguibus, ex alarum sinu inflexis: cauliculis palmaribus, ac floribus penè purpureis: radix autem subiacet testiculis similis. Hæc imposita, œdemata dissipat, vlcera repurgat, herpetem sistit: fistulas quoque abolet, & illita, partes inflammatas demulcet. Arida eadem inspersa, nomas cohibet, sanátque putrescentia & cacoëthe oris vlcera. Aluum denique sistit, è vino pota. Sed & de hac radice eadem, quæ de antè memorata testiculi canini radice, narrantur.

De Satyrio. CAP. CXLIII.

SATYRIVM alij trifolium vocant, quoniam vt plurimùm terna folia in terram conuexa proferat, rumici aut lilio similia, attamen minora atque rubescentia: caulem gerit nudum, cubitalem: florem lilij effigie, candidum: radicem bulbosam, mali magnidine, rufam, intus verò albam, oui instar, sapore dulcem oríque gratam. Hanc in vino nigro austero bibere oportet, contra opisthotonō. Ipsa quoque vtere, si cum muliere rem habere volueris. Eam enim etiam ad venereos impetus concitatricem vim habere affirmant.

De Satyrio Erythronio.

CAP. CXLIIII.

Satyrium Erythronium siue erythraïcum, semen habet lini similitudine, at maius, firmum, splendens ac læue: quod fertur etiam non secus atque scincus libidinem excitare. Est verò cortex radicis aliquantùm gracilis ac rufus: interna autem pars, alba, sapore dulci, oríque grata. In apricis & montosis locis enascitur. Proditur & radix, si modò manu teneatur, Venerem stimulare, eóque magis, si bibatur in vino.

De Hormino. CAP. CXLV.

HORMINVM, herba est foliis marrubio similis: caule quadrãgulo, semicubitali, circa quem eminentiæ siliquis similes conspiciuntur, quæ quidem radicem versus spectant, & in quibus semen diuersum recluditur. Siquidem in syluestri rotundum fuscúmque reperitur: at in altero oblongum & nigrius, cuius & vsus est. Creditur enim in vino bibitum, etiam Venerem stimulare. Purgat verò cum melle oculorum argema & albugines: illitúmque ex aqua, etiam œdemata discutit, & infixos aculeos è corpore extrahit. Sed & imposita herba, hæc eadem præstat. Syluestre autem magis viribus pollet: quamobrem etiam vnguentis, præsertímque gleucino immiscetur.

De

De Hedyſaro. CAP. CXLVI.

HEDYSARVM, quod vnguentarij pelecinum, id eſt, ſecuridacam, vocant; frutex eſt minutis foliis, ciceri ſimilibus: ſiliquis verò cornicula referentibus, in quibus ſemen fuluum, quod ancipitem ſecurim æmulatur, (vnde & nomen accepit) guſtu amarum, ſtomachóque in potu vtile. Additur & in antidota. Cum melle verò ſubditum, ante coitum ſpem partus adimere creditur. Cæterùm inter triticum & hordea naſcitur.

De Onoſmate. CAP. CXLVII.

ONOSMA alij oſmadem, alij phlonitim, alij denique ononim vocant: folia habet ad ſimilitudinem anchuſæ, oblonga, mollia, quatuor digitorum longitudine & vnius latitudine, in terra iacentia, denique anchuſæ foliis quàm ſimillima. Eſt autem ſine caule, ſine ſemine, ſine flore. Radicula verò ſubeſt longiuſcula, infirma, tenuis, ac modicè rubeſcens. Gignitur in aſperis. Folia in vino pota, partus extrahunt. Sed & prægnans ſi herbam eam ſupergrediatur, abortum facere dicitur.

De Nymphæa. CAP. CXLVIII.

NYMPHAEA in paludibus ſtagnantibúſque aquis naſcitur: folia verò habet Ægyptiæ fabæ ſimilia, at minora oblongioráque, plura ab vna eadémque radice

prodeuntia: quorum alia ſuper aquam quodammodo extant, alia in ea ipſa demerguntur, florem album, lilio ſimilem, in quo medium croceum eſt. At cùm defloruerit, calyculus rotundus, figura malo aut papaueris capiti ſimilis, idémque niger, extuberat: in quo ſemen nigrum, latum, denſum, atque guſtanti lentum glutinoſúmve recluditur. Caulis eſt læuis, minimè craſſus, niger, Ægyptiæ fabæ cauli ſimilis: radix nigra, ſcabra, clauæ ſimilis, quæ autumno ſecatur. Ea ſicca cum vino pota, cœliacis ac dyſentericis auxiliatur, lienémque conſumit. Stomachi quoque ac veſicæ doloribus ſedandis ipſa radix imponitur, & alphos ex aqua emendat: alopeciis etiamnum cum pice impoſita medetur. Eadem contra Veneris inſomnia bibitur, ſiquidem illa in totum adimit: quin & aliquot diebus continenter epota, genitale ita infirmat, vt arrigi minimè poſſit. Idem porrò ſeminis quoque poti effectus eſt. Cæterùm à nymphis nymphææ nomen ſibi vendicaſſe creditur, quoniam loca amet aquoſa. Plurima autem inuenitur in Helide, Anygro amne, & in Bœotiæ Aliarto.

De Nymphæa altera. CAP. CXLIX.

Eſt & altera Nymphæa, cuius flos blephara dicitur, foliis antedictæ ſimilis: at radice alba ſimul & aſpera, flore luteo, ſplendente, roſæ

rosæ simili. Radix & semen, ad inhibenda fœminarum profluuia efficaciter ex vino nigro bibuntur. Nascitur autem in Thessalia, iuxta Peneum amnem.

De Androsace. CAP. CL.

ANDROSACES in maritimis Syriæ nascitur: herba verò est alba, tenuibus cirris, amara, sine foliis, folliculum habens in cacumine, quo semen continetur. Ea drachmis duabus in vino pota, copiosam hydropicis vrinam ciet. Quin & herbæ decoctum, itémque semen largiùs ex vino potum, eundem præbet effectum. Vtiliter quoque podagricis illinitur.

De Aspleno. CAP. CLI.

ASPLENON aliqui scolopendrium, alij splenium, alij hemionion, alij denique pteryga vocant. Foliis est scolopendræ animali similibus, pluribus ab vna radice, sparsis in ambitum. Nascitur in petris parietibúsque confectis è calculis silicibúsve, iísque opacis. Nec verò caulem, nec florem, nec semen habet: folia autem filiculæ modo incisuris diuiduntur, subter flauescentia hirsutáque, supernè verò viridia. Vim hanc habet foliorum in aceto decoctum, vt per dies XL. potum lienem absumat. Sed & foliis è vino tritis lienem illini oportet. Stranguriæ quoque, singultui, & regio morbo subuenit,

atque calculos vesicæ comminuit. Cæterùm spem partus adimere creditur, tum per sese, tum etiam cum muli liene amuleti instar adalligatum. Verùm in eum vsum tradunt nocte quapiam illuni effodiendum.

De Hemionitide. CAP. CLII.

HEMIONITIN sunt qui splenium vocent. Folium emittit simile dracunculi, curuatæ in cornua lunæ modo sinuatum. Radices subiacent multæ, eæque tenues: sed neque caulem, neque semen, neque florem profert. In saxosis hæc herba nascitur, astringente sapore prædita: & ex aceto pota, lienem quoque absumit.

De Anthyllide. CAP. CLIII.

ANTHYLLIS duûm est generum; quędam enim foliis est mollibus, alioqui lenticulæ simillimis, & ramulis palmi altitudine, rectis: radice tenui & parua. Nascitur in sabulosis, apricis, subsalsa gustanti. Altera est foliis ramusculísque chamæpityi similis, hirsutior tamen, breuior & asperior: flore purpureo, & odoris admodum grauis: radice cichorij. Hæc drachmis quatuor bibita, vrinæ difficultate laborantibus & nephriticis plurimùm prodest. Tritæ verò, vteri inflammationes emolliunt, cum rosaceo & lacte subditæ, ac vulneribus quoque medentur. Quæ autem chamæpityos similitudinem

refert,

refert, præter alia etiam comitiales ſanat, cum aceto mulſo pota.

De Anthemide. CAP. CLIIII.

ANTHEMIDEM alij leucanthemon, alij eranthemon, quoniam vere floreat, alij chamæmelum, quoniam odorem mali habeat, nonnulli melanthemon, alij chryſocomen, alij denique calliam vocant. Huius genera tria flore tantùm diſtantia: rami dodrantales, fruticoſi, alis multis concaui: foliola parua, tenuia, numeroſa: rotunda item capitula, intus quidem auri colore fulgentia, foris verò orbiculato ambitu floribus circundata candidis, aut melinis, aut purpureis, magnitudine foliorum rutæ. Naſcitur in aſperis, & iuxta ſemitas. Colligitur vere. Vim habent radices, flores & herba ipſa, excalfaciendi extenuandíque: ſeu potu ſeu inſeſſione pellunt menſtrua, partus, calculos & vrinas. Propinantur & aduerſus inflationes & ilei tormenta. Sed & regium morbum expurgant, atque hepaticis medentur: decoctum quoque veſicæ fotibus accommodatur. Ex omnibus autem hiſce generibus ad calculos efficaciſſima eſt, quæ florem purpureum habet, quæque omni ex parte cæteris maior amplióꝛque eſt: hanc propriè Eranthemon vocant. Ea verò cui leucanthemon nomen eſt, item quæ chry-

ſanthemon dicitur, potentiùs vrinam ciunt: ægilopiis quoque illitæ medentur, & commanducatæ vlcerum eruptiones in ore ſanant. Nonnulli iis in farinam tritis cum oleo vtuntur ad illitiones, ídque ad febres periodicas abigendas. Flores autem ac folia, ſingula inquàm ſeorſim tuſa & in paſtillos digeſta, recondi oportet: radix verò priùs exiccanda eſt. Ac vbi vſus exigit, modò herbæ partes duæ dari debent, modò floris aut radicis pars vna: aliâs contrà, floris partes duæ & herbæ pars vna, viciſſim duplicato pondere alternis diebus. Bibere autem oportet in vino mulſo diluto.

De Parthenio. CAP. CLV.

PARTHENIVM aliqui amaracum, alij leucanthemon vocant: foliis eſt coriandri, tenuibus, floribus per ambitum albis, in medio verò melinis, odore ſubuiroſo & ſapore ſubamaro. Siccatum cum aceto mulſó aut ſale potum, æquè ac epithymum pituitam & bilem atram detrahit, ſuſpirioſiſque ac melancholicis prodeſt. At herba citra florem, calculoſis & anhelatoribus magna vtilitate propinatur. Ipſius verò decoctum, ad inſidendum valet in vuluarum duritiis & inflammationibus. Sed & ipſa cum floribus, eryſipelatis & inflammationibus imponitur.

De-

De Buphthalmo. CAP. CLVI.

BVPHTHALMVM (quidam cachlan vocant) teneros emittit cauliculos & quodammodo tenues, folia fœniculi, flores melinos, maiores quàm anthemidis, oculorum ſimilitudine: vnde & herba nomen traxit. In campeſtribus & circa oppida naſcitur. Huius flores triti cum cerato, œdemata duritiáſque diſcutiunt. Aiunt verò, poſt exitum à balneo epotam, regio morbo correptis ad tempus aliquod colorem gratiorem facere.

De Pæonia. CAP. CLVII.

PÆONIA ſiue glycyſide, quibuſdam pentorobon dicitur: ſunt qui Idæos dactylos radicem pæoniam vocent. Caulis ferè in duorum dodrantum altitudinem adoleſcit, adnaſcente numeroſa ſobole comitatus: ac mari quidem folia ſunt qualia iuglandis, fœminæ verò, inciſuris ſmyrnij modo diuiſa. Summo caule fert vtraque ſiliquas quaſdam, veluti Græcas nuces: quibus dehiſcentibus grana multa rubentia, parua, acinis Punicorum ſimilia inueniuntur, & inter hæc media quinque aut ſex, nigra, purpurea. Radix maris, digitali ferè eſt craſſitudine & palmi longitudine, guſtu aſtringens, candida: fœminæ verò radicibus ceu glandes ſeptem octóve adhærent, quales haſtulæ regiæ radicibus adnaſcuntur. Radix fœminis à

partu non purgatis exhibetur: ciet quoque menſes, nucis Græcæ magnitudine pota: ventris etiam doloribus in vino bibita auxiliatur. Prodeſt & arquatis, iiſque qui renum aut veſicæ cruciatibus infeſtantur. Eadem decocta in vino potáque, aluum ſiſtit. Seminis autem granula decem duodecímve rubentia in vino nigro & auſtero pota, ſanguinolentum fluorem muliebrem ſiſtunt: ſtomachicíſque, qui eroſiones ventriculi ſentiunt, comeſta opitulantur. Quin & à puerulis pota eſitatáve, initia calculi eximunt. Quæ verò nigra ſunt grana, ſuppreſſionibus nocturnis, quas ephialtas vocant, vuluæque ſtrangulationibus ac vteri doloribus, numero quindecim in aqua mulſa aut vino pota, auxiliantur. Cæterùm naſcitur pæonia in altiſſimis montibus eorúmque verticibus.

De Lithoſpermo. CAP. CLVIII.

LITHOSPERMON, nonnulli ægonychon, alij exonychon, alij Heracleam vocant, propter ſeminis duritiam, à qua & lithoſpermi nomen accepit. Foliis eſt oleæ, longioribus tamen, latioribus atque mollioribus, & iis quidem quæ in imo à terra exiliunt humi iacentibus: ramulis rectis, tenuibus, acuti iunci craſſitudine, firmis, lignoſis: in quorũ cacumine bifida propago cauli-

cauliculorum ſpeciem exhibet, foliis longis: inter quæ ſemen lapidea duritie, rotundum, candicans, erui parui magnitudine. Naſcitur in aſperis & editis locis. Vim habet ſemen cum vino albo potum, calculos frangendi, vrináſque pellendi.

De Phalaride. CAP. CLIX.

PHALARIS cauliculos emittit à tenuibus ac nullius vſus radicibus numeroſos, bipalmes, geniculatos, culmis zeæ ſimiles, graciliores tamen ac ſapore dulces: folia itidem zeæ: ſemen verò milij magnitudine, candidum & oblongum. Herbæ tuſæ ſuccus ex aqua aut vino expreſſus, ad veſicæ cruciatus vtiliſſimè bibitur. Semen quoque cochlearis menſura ex aqua potum, ad eadem eſt efficax.

De Rubia. CAP. CLX.

RVBIA, Græcis Erythrodanum ſeu Ereuthodanum, aliquibus teuthrion vocatur: radix eſt rubra, tingendo idonea. Vna quidem ſylueſtris eſt, ſatiua altera, vt in Thebana Galilææ & Rauennæ in Italia. Sed & in Caria inter oleas ſeritur, velut in aruis. Vtiliter autem colitur, quòd multo polleat quæſtu, ex eáque ampliſſimus reditus percipiatur. Sunt ei caules quadranguli, longi, aſperi, quales aparinæ: ſed omni ex parte maiores atque robuſtiores, foliis in orbem per-

interualla, nempe circa ſingula genicula, ſtellæ modo decuſſatim radiatis: ſemine rotundo, inter initia viridi, mox rubro, ac poſtremò cùm ematuruit nigro. Radix eſt tenuis, longa, rubra, ciendæ vrinæ vi prædita: qua de cauſa arquatis auxiliatur, pota cum aqua mulſa: itémque iſchiadicis atque paralyticis. Craſſam porrò copioſámque vrinam pellit, ac interdum etiam ſanguinem: bibentes tamen quotidie lauari oportet, & excrementorum quæ reddũtur differentiam contemplari. Contra ſerpentium morſus caulem cum foliis imponere prodeſt. Semen verò ex aceto mulſo potum, lienem abſumit. At ſubdita radix, partus, menſes ſecundáſque trahit. Albæ quoque vitiligini illita ex aceto medetur.

De Lonchitide. CAP. CLXI.

LONCHITIS folia habet porro perquàm ſimilia, latiora tamen & rubentia, plurima, ad radicem circunfracta, veluti in terram procumbentia. Habet & circa caulem pauca, in quo quidem flores ceu pileoli, hiantibus comicis perſonis figura ſimiles, iíſque nigri, ſed è rictu albam veluti paruam linguam exerentes, quæ ad labrum inferius ſpectet: ſemen inuolucris clauſum, triangulum & lanceæ cuſpidi ſimile, vnde etiam planta ipſa ſibi cognomentum arrogauit: radix

radix dauci. Nascitur in asperis ac sitientibus. Radix ex vino pota, vrinam ciet.

De Lonchitide altera. CAP. CLXII.

Lonchitis altera, quam alij asperam dicunt, folia profert scolopendrij, sed asperiora maioráque, ac multò magis diuisa. Vim porrò habet vulnerariam, inflammationésque arcet. Lienem quoque pota ex aceto absumit.

De Althaea. CAP. CLXIII.

ALTHAEA, quam nonnulli Ibiscum vocant, maluæ syluestris species est, foliis vti cyclamini rotundis, lanuginosis: flore rosaceo: caule bicubitali: radice lenta glutinosáque, intus alba. Althææ verò nomen inditum illi est, à multiplici excellentíque quam in medendo præstat vtilitate. Decocta enim in aqua mulsa aut vino, aut per se etiam tusa, efficaciter imponitur vulneribus, parotidibus, strumis, abscessibus, mammarum inflammationibus, sedis doloribus, contusis, flatuosis tumoribus ac neruorum distensionibus: siquidem discutit & maturat, aut rumpit, & ad cicatricem perducit. At cocta, vti dictum est, si cum adipe suillo aut anserino, terebinthináve subigatur, facit ad vuluæ inflammationes præclusionésque, subdita in pesso. Sed & ipsius decoctum eundem obtinet effectum, relicta post partum in vtero

purgamenta prætereà extrahens. Succurrit & radicis decoctæ ſuccus ex vino potus vrinæ difficultati, calculoſorum ſæuis acerbíſque cruciatibus, dyſentericis, iſchiadicis, tremulis atque ruptis. Eadem dentium mulcet dolorem, cum aceto decocta, colluto inde ore. Semen autem ſeu viride, ſeu etiam ſiccum, vitiligines in ſole ex aceto perunctas emendat & exterit. Illud idem ex oxelæo perunctum, venenatorum animalium arcet iniurias. Vis quoque illi efficax contra dyſenteriam, ſanguinis per os reiectionem, alíſque profluuium. Quin & bibitur in poſca aut vino decoctum contra apum aliarúmque omnium minutarum beſtiolarum aculeatos ictus. Folia verò cum olei momento, morſibus ipſis atque etiam igni ambuſtis imponuntur. Cæterùm ipſa radix aquam addenſat atque coagulat, ſiquidem trita illi ammixta, ſimúlque ſub dio poſita fuerit.

De Alcea. CAP. CLXIIII.

ALCEA & ipſa ſylueſtrium maluarum generi aſſignatur: folia verò habet diuiſa, verbenacæ proxima: caules tres aut quatuor, cortice cannabino veſtitos: florem paruum, roſæ ſimilem: radices albas, latas, quinque aut ſex, ferè cubitales: quæ quidem cum vino aut aqua potæ, dyſenteriæ ruptíſque medentur.

De

De Cannabi satiua. CAP. CLXV.

CANNABIS satiua, planta ad texendos funes validissimos mortalium generi perutilis, folia gerit fraxini, sed fœdi odoris, caules proceros, inanes, semen rotundum: quod cibo largiore genituram extinguit. Ex eo recente expressus succus, conuenienter aurium doloribus instillatur.

De Cannabi syluestri. CAP. CLXVI.

Syluestris Cannabis virgulas profert quales althæa, sed nigriores, asperiores ac minores, cubiti altitudinem æquantes: foliis satiuæ, asperioribus tamen ac nigrioribus: floribus lychnidis, subrubris: semine & radice althææ. Vim habet decocta radix & imposita, inflammationes leniendi, œdemata discutiendi, & tophos articulorum dissipandi. Sed & huius cortex torquendis funibus est accommodatus.

De Anagyri. CAP. CLXVII.

ANAGYRIS siue Anagyros, quem alij acopon vocant, frutex est arboris instar, foliis & virgis vitici assimilis, perquàm grauis odore, flore brassicæ, semine in longis corniculis renibus figura simili, versicolore ac solido, quod vua maturescente durescit. Huius folia recentia trita & imposita œdemata reprimunt. Eadem [sicca] drachmæ pondere in passo, suspiriosis potui dătu:

itémque ad ſecundas, menſes partúſque extrahendos:& contra capitis dolores,in vino. Difficulter etiam parientibus amuleti inſtar adalligantur:ſed à partu ſtatim auferri abiiciíque oportet. Radicis autem ſuccus diſcutiendis cōcoquendíſq; adhibetur. Semen verò comeſtū,vomitiones vehemēter cōcitat.

De Cepæa. CAP. CLXVIII.

CEPAEA portulacæ ſimilis eſt,verùm nigriora habet folia,radicémque tenuem. Folia in vino pota, ſtranguria & veſicæ ſcabie laborantibus opitulantur. Maximè verò id præſtant, ſi cum aſparagi radicum, quem myacanthon vocant,decocto bibantur.

De Aliſmate. CAP. CLXIX.

ALISMA, aliqui alceam, alij damaſonium, alij acyron, alij denique lyron appellant. Folia ei plantaginis,ſed anguſtiora,conuexáque in terram. Caulis tenuis,ſimplex, cubito altior, thyrſi ſpecie, habens in cacumine capitula. Flores tenues, candidi, palleſcentes:radices vt veratri nigri, tenues, odoratæ, acres ac modicè pingues: aquoſos amat tractus. Radix drachmæ vnius aut alterius pondere in vino pota, his conuenit qui leporem marinum deuorarunt: iiſque qui à rana rubeta demorſi ſunt, vt & iis qui opium hauſerunt. Valet & contra tormina ac dyſenteriam, per ſe aut cū pari modo ſe-

minis

minis dauci potui data. Sed & conuulsis & contra vuluæ vitia prodest. At herba ipsa sistit aluum, ac menses ciet, tumorésque imposita mitigat.

De Onobrychide. CAP. CLXX.

ONOBRYCHIS folia habet lentis, ferè longiora, caulem dodrantalem, florem puniceum, radicem exiguam. Nascitur in humentibus & incultis locis. Herba si trita illinatur, panos discutiẽdi vim habet. Cum vino autem pota, stranguriæ medetur, & inuncta ex oleo sudores mouet.

De Hyperico. CAP. CLXXI.

HYPERICVM alij androsæmon, alij corion appellant: sunt qui & chamæpityn, quoniam semen odore pineam resinam imitatur. Frutex est surculaceus, dodrantalis, rubescens, foliis rutæ: flore verò luteo, violæ albæ simili, qui quidem digitis tritus sanguineum succum remittit: qua ex causa etiam androsæmon appellatum est: calyculis subhirsutis, in rotundo oblongis, hordei magnitudine, in quibus semen nigrum & resinosi odoris. Gignitur locis cultis & asperis. Vrinam cit, subditúmque menses trahit: ex vino autem bibitum, tertianis quartanísque liberat. Medetur & semen ischiadicis, quadraginta diebus haustum. Sed & foliis cum semine impositis ambusta sanantur.

De Ascyro. Cap. CLXXII.

Ascyron siue Ascyroïdes, aliis androsæmon, etiam hyperici genus est, magnitudine distans: siquidem ramos habet maiores, ac fruticosius est: foliis interim tenuibus, puniceo colore rubentibus: flores luteos profert, & fructum hyperico similem ac resinosi odoris: cuius attritu digiti veluti cruentantur: qua de causa androsæmon (quasi humanum sanguinem dixeris) vocauêre. Est & huius fructus ad ischiadicos efficax potus in hydromelitis heminis duabus. Nam biliosa recrementa plurima aluo detrahit. Sed dari frequētiùs oportet, donec sanitati restituti fuerint. Illinitur & ambustis efficaciter.

De Androsæmo. Cap. CLXXIII.

Androsæmon, quod alij Dionysiada, alij etiam ascyron appellant, ab hyperico & ascyro differt: frutex verò est ramulis gracilibus, surculosus, virgultis puniceo colore rubentibus, foliis triplo quadruplóve maioribus quàm sint rutæ folia, quæque trita vinoso succo manant. Habet autem alas in cacumine complures, vtrinque expansas pinnatásque: circa quas flosculi pusilli lutei, & in calyculis semen papaueris nigri, veluti punctis notulísve distinctum. Huius coma contrita, resinosum odorem reddit. Sed & semen tritum drachmis duabus potum, excrementa

biliosa

biliosa trahit. Prodest verò maximè ischiadicis: verùm à purgatione aquam insuper sorbere oportet. Cæterùm illita herba, medetur ambustis, & sanguinem cohibet.

De Cori. CAP. CLXXIIII.

CORIS, quod aliqui etiam hypericum appellant, frutex est folio ericæ, sed minore, pinguiore & rubente, dodrantalis, ori gratus, acris & odoratus. Huius semen potum, vrinas mensésque ciet. Est & auxilio ex vino potum à phalangio demorsis, ischiadicis & opisthotonicis: itémque rigoribus, addito pipere. Sed & eo vtiliter opisthotonici cum oleo perunguntur. [Radix in vino decocta potáque, resolutis egregiè opitulari creditur: sed laborantem inter potandum bene circumquaque operiri decet: siquidem corpore toto sudorem ciet, qua ex re agilitas pristina recuperatur.]

De Chamæpity, seu abiga.

CAP. CLXXV.

CHAMAEPITYS, quam qui Pontum incolunt holocyrton, Athenienses Ioniam, EVboici sideritin vocant, herba est quæ humi serpit, incuruæ similis, foliis semperuiui minoris: at multò tenuioribus pinguioribúsque & hirsutis, circa ramulos densis, odore pinus: floribus tenuibus, luteis, vel candidis: radice cichorij. Huius folia septem

diebus in vino pota, regio morbo medentur: & quadraginta diebus ex hydromelite, ischiadem sanant. Dantur & hepaticis & vrinæ difficultate laborantibus, ac peculiariter nephriticis: torminosis etiam prosunt. Vtuntur & ea herba Heracleæ Ponticæ incolæ, velut antidoto contra aconitum, decoctum ipsius propinantes. Porrò ad antedicta quoque vitia cum polenta iure decocti subacta imponitur. Contrita verò cum ficubus & pilularum instar exhibita, aluum emollit. At excepta melle cum æris squama & resina, etiam purgat. Extrahit & quæ in vtero morantur, cum melle subdita in pesso. Mammarum quoque duritias discutit, vulneráque glutinat. Herpetas denique illita cum melle cohibet.

De altera Chamæpity. CAP. CLXXVI.

Est & altera Chamæpitys, ramis cubitalibus, in anchoræ speciem incuruatis, gracilibus: coma supradictæ, flore candido, ac semine nigro. Sed & hæc pinum redolet. Additur & tertia, quæ mascula nominatur. Est autem herbula læuis, foliolis tenuibus, albis, pilosis: caule scabro, candido: pusillis floribus luteis, ac minuto semine iuxta alas. Resipit & hæc pinũ. Vtraq; porrò vim antedictæ similẽ obtinet, at nõ perinde efficacẽ.

Libri tertij finis.



PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARbæi De Medica materia, Liber IIII.

IANO ANTONIO SARACENO, LVGDVNAEO, INTERPRETE.

Præfatio.



VONIAM tribus libris prioribus, amantissime Aree, de aromatis, oleis, vnguentis, arboribus, animalibus, cerealibus, oleribus, radicibus, succis, herbis ac seminibus egimus: in hoc quarto, de iis quæ restant herbis atque radicibus disseremus.

De Vettonica. CAP. I.



ESTRON, quod psychrotrophō vocitatur, quoniam frigidissimis in locis reperiatur, Romani Vetonicam seu rosmarinum appellant. Herba est caulem proferēs tenuem; cir-

biti altitudine, aut etiam maiorem, quadrangulum: folia longa, mollia, quernis similia, in ambitu incisuris diuisa, boni odoris, ac prope radicem maiora: semen in summitate caulium, thymbræ modo spicatum inest. Decerpta huius folia siccari oportet: quippe quorum sit etiam maior & frequentior vsus. Radices verò subsunt tenues, ceu ellebori: quæ quidem ex hydromelite potæ, pituitosam vomitionem euocant. At folia, ad conuulsa, rupta, vuluæque vitia & strangulationes drachmæ pondere ex aqua mulsa potui dantur: & contra venenatarum bestiarum morsus, drachmis tribus ex vini heminis duabus. Sed & herba earundem morsibus vtiliter imponitur: itidémque aduersus venena drachmæ pondere ex vino pota prodest. Quin & ei, qui ipsam in potu præsumpserit, haustum deinde lethale medicamentum minimè nociturum est. Vrinas prætereà ciet, aluúmque subducit. Medetur & comitialibus atque insanis, ex aqua pota: hepaticis verò ac spleneticis, drachmæ pondere in aceto mulso. Concoctionem quoque facit, si quis ipsam a cœna fabæ magnitudine cum melle cocto deuorarit. Simili modo & acidum eructantibus exhibetur. Stomachicis autem eam manducare, succúmque deuorare, deindéq; vinum dilutum insuper

sorbere

ſorbere proderit. Datur & ſanguinem excreantibus, obolis tribus in vini diluti egelidi cyatho vno: itémque iſchiadicis, nephriticis & à veſica dolentibus, ex aqua: hydropicis autem, binis drachmis ex aqua mulſa, ſi quidem febricitent: ſin aliter, ex mulſo. Regio quoque morbo laborantes recreat, ac menſes pellit, drachmæ pondere in vino pota: drachmis verò quatuor bibita in aquæ mulſæ cyathis decem, aluum purgat. Eſt & phthiſicis ac empyicis auxilio cum melle. Cæterùm folia areſacta tritáque in fictili vaſe recondi oportet.

De Britannica. CAP. II.

BRITANNICA ſeu Vettonica, herba eſt foliis ſylueſtris lapathi, at nigrioribus ac piloſioribus, guſtu adſtringentibus: caulem verò promit non ita magnum: radice autem tenui breuíque nititur. Foliis exprimitur ſuccus, qui ſole aut igni cogitur & inſpiſſatur. Vim porrò habet aſtrictoriam, priuatim oris ac tonſillarum depaſcentibus vlceribus accommodatam. Valet etiam ad reliqua, quibus adſtrictione opus eſt.

De Lyſimachia. CAP. III.

LYSIMACHIA, quam aliqui lytron appellant, caules emittit cubitales aut etiam altiores, tenues, fruticoſos, à quorum geniculis folia prodeunt ſalignis ſimilia

gustu astringentia: flos est fuluus aureúsve. Nascitur in palustribus & secus aquas. Foliorum succus, qua pollet astringendi vi, sanguinis reiectiones supprimit: valet etiam ad dysenteriam, seu potui datus, seu etiam clystere infusus: fluorem quoque muliebrem sistit, subditus in pesso. Sed & herba sanguinis è naribus profluuio subuenit, iisdem indita. Est & vulneraria, sanguinémque supprimit. Acerrimum verò nidorem suffita reddit, adeò vt & serpentes abigat, & muscas enecet.

De Polygono mare. CAP. IIII.

POLYGONON mas, Latinis sanguinaria seu sanguinalis, herba est quæ ramos habet exiles, teneros, numerosos, geniculis interseptos, qui graminis instar humi serpunt, neque à terra attolluntur: folia rutæ, sed longiora molliorâque, semine sub singulis foliis turgescente, vnde & marem appellari volunt: flos ei candidus aut puniceus. Vis epoti succi, astringere & refrigerare: prodest cruentis excreationibus, alui fluxionibus, cholera & stranguria laborantibus: nam euidenter vrinas ciet. Cum vino potus, venenatorum morsibus auxiliatur, ac febrium circuitus finit, si hora vna ante accessionem assumatur. Sistit & subditus fluorem muliebrem, ac auribus dolentibus purulentísve vtiliter instillatur. Cum vino

autem

autem decoctus adiecto melle, facit eximiè ad genitalium vlcera. Folia verò, ſtomachi feruori, ſanguinis reiectioni, herpetibus, eryſipelatis, inflammationibus, œdematis & recentibus vulneribus imponuntur.

De Polygono fœmina. CAP. V.

Polygonon fœmina frutex eſt exiguus, vno caule præditus, tener & harundini ſimilis, geniculis denſus: quorum alia aliis tubarum modo inſeruntur infarciuntúrve. Ipſos verò geniculorum articulos cingunt in orbem apices, foliolis pini ſimiles: radix ſuperuacua. Naſcitur in aquoſis. Huic vis aſtringens ac refrigerans, ad eadem valens, ad quæ antedicta: ſed inefficacior.

De Polygonato. CAP. VI.

POLYGONATVM in montibus naſcitur, frutex cubito altior, foliis lauri, at latioribus, & læuioribus, ſapore quodammodo malum cotoneum aut Punicum redolentibus, ſiquidem guſtanti aſtrictum ſaporem reſipiunt: florem autem per ſingulos foliorum exortus promit candidos, foliis ipſis numeroſiores, incœpta à radice ſupputatione: radicem verò habet albam, mollem, longam, crebris nodis ceu geniculis cinctam, denſam, graueolentem, ac digitali craſſitudine, quæ vulneribus efficaciter imponitur, ac maculas etiam in facie delet.

De Clematide. CAP. VII.

CLEMATIS, quam aliqui daphnoides, alij myrſinoides, alij polygonoides vocant, gignitur in Ægypto. Sarmentoſas autem ſpargit quaſi viticulas, eáſque longas, iunci craſſitudine: folio paruo, laurini figura & colore, at multò minore. Caules foliáque in vino pota, alui profluuia & dyſenterias ſedant. Cum lacte verò & roſaceo aut cyprino ſubdita in peſſo, cruciatibus vuluæ medentur. Dolores dentium commanducata finit: impoſita quoque venenatorum morſibus, iuuamentum præſtat. Fertur & ex aceto pota, contra aſpidum morſus auxiliari. Naſcitur in incultis.

De Polemonia. CAP. VIII.

POLEMONIAM, alij philetæriam, Cappadoces chiliodynamon appellant: ramulis eſt exilibus, vtrinque pinnatis, foliis paulò quàm rutæ maioribus, at longioribus, ad polygoni aut calaminthæ ſimilitudinem: quibus in ſummis veluti corymbi dependent, nigro intus ſemine: radice cubitali, albicante, ſtruthio ſeu radiculæ ſimili. Naſcitur in montoſis & aſperis. Radix ex vino cum aqua bibitur contra venenatas beſtias, dyſenteriam, vrinæ difficultatem & iſchiadem. Datur autem ex aceto drachmæ pondere lienoſis. Eadem cõtra ſcorpionis ictum

amuleti

amuleti inſtar adalligatur. Tradunt porrò, qui radicem eam geſtauerint, à ſcorpionibus minimè feriri: aut ſi ab iis icti fuerint, nihil mali paſſuros. Dentium quoque dolores commanducata mitigat.

De Symphyto petræo. CAP. IX.

SYMPHYTVM petræum in petris naſcitur: ramulis origano ſimilibus, foliis tenuibus, & capitulis thymi. Totum verò lignoſum, odoratum & guſtu dulce eſt, ſaliuámque ciet: radice nititur longa, ſubfulua, digitali ferè craſſitudine. Decoctum in aqua mulſa & potum, quæ pulmoni hærent excrementa repurgat: ſanguinem reiicientibus ac nephriticis cum aqua exhibetur. Bibitur & ad dyſenteriam rubentémque fluorem muliebrem in vino decoctum, vti ad conuulſa ruptáque cum aceto mulſo. Quin & commanducatum, ſitim ſedat: faucibus aſperis ſubuenit: illitum, recentia vulnera glutinat, & enterocelas cohibet. Quin & carnes dum coquuntur conglutinat additum.

De Symphyto altero. CAP. X.

Symphytum alterum, quod aliqui pectora vocant, caulem emittit bicubitalem aut etiam altiorem, leuem, craſſum, anguloſum, & ceu ſonchi inanem: circa quem ex interuallis haud ita magnis folia exeunt hirſuta,

angusta, longiuscula, ad buglossi foliorum similitudinem: habet verò caulis eminentias quasdam secundùm angulos porrectas, adiacentibus ac velut annexis foliis tenuibus, quę è singulis prodeunt alarum finibus. Sunt insuper flores lutei, ac semen circa caulem ceu verbasci. Totus autem caulis ac folia quoque ipsa, subaspera lanugine horrent, attactúque pruritum excitant. Radices demittuntur foris nigræ, intus candidæ, glutinosæ: quarum etiam est vsus. Tritæ & potæ, sanguinem excreantibus ruptísque prosiciunt, & recentia vulnera impositæ glutinãt: carnium quoque frusta quibuscum coquuntur cogunt ita vt coalescant. Cæterùm inflammationibus, præsertímque sedis, cum senecionis foliis vtiliter illinuntur.

De Holostio. CAP. XI.

HOLOSTIVM herba est pusilla, tribus ferè quatuórve digitis sese supra terram attollens, foliis viticulísque coronopodi aut gramini proximis, gustu astringentibus, radice prætenui vsque in capillamenti speciem, alba, fibrosa, longitudine quatuor digitorum. Nascitur in collibus terrenis. Carnes & hæc herba cogit atque conglutinat, dum coquuntur addita: & ad rupta in vino propinatur.

De

De Stœbe. CAP. XII.

STOEBE vulgaris eſt notitiæ. Semen & folia aſtringunt: quapropter eorum decoctum, dyſentericis infunditur: auribus quoque purulentis inſtillatur. Folia verò impoſita, oculis ictu cruentatis proſunt, & erumpentis ſanguinis impetus cohibent.

De Clymeno. CAP. XIII.

CLYMENON caulem profert quadrangulum, ceu fabæ, folia plantagini ſimilia: folliculos verò habet ſupra caulem ita diſpoſitos, vt alter in alterum propendeat, velut in iride ac polyporum cirris. Probatiſſimum eſt montanum. E frutice toto cum radice ſuccus exprimitur, qui ad ſanguinis reiectionem in potu efficax eſt, itémque ad cœliacorum profluuia, rubentémque fluorem muliebrem: quippe qui aſtringat ſimul atque refrigeret. Sanguinem quoque naribus erumpentem ſupprimit. Folia trita aut folliculi ſi vulneribus recentibus imponantur, ea ita efficaciter ſanant, vt etiam ad cicatricem perducant.

De Periclymeno. CAP. XIIII.

PERICLYMENON frutex eſt exiguus ac ſimplex, habens ex interuallis foliola caulem amplectentia, ſubcandida, hederacea, ac inter ea naſcentia germina, in quibus ſemen hederæ: florem candidum ceu fabæ,

aliquantùm rotundum & quasi in folium procumbentem: semen durum & quod difficilè euellatur: radicem crassam ac rotundam. Nascitur in aruis ac sepibus: conuoluit verò se propinquis fruticibus. Semen postquam ematuruit collectum & in vmbra siccatum, si drachmæ pondere ex vino bibatur quadragenis diebus, lienem absumit, lassitudinem discutit, & orthopnœæ atque singultui prodest: sed vrinas ciet statim à sexto die cruentas. Idem partum quoque accelerat. Sed & folia iisdem sunt prædita viribus, ac tricenis septenis diebus epota, sterilitatem in viris facere produntur. Eadem si ex oleo perungantur, febrium circuitibus redeuntium horrores abigunt.

De Tribulo. CAP. XV.

TRIBVLVS terrestris foliis est portulacæ, at tenuioribus: viticulis verò longis in terra stratis, & spinis secundum ipsas acerbis ac præduris. Iuxta amnes & domorum areas nascitur. Est & alter aquaticus, in fluminibus nascens: qui quidem comam supra aquas attollit, aculeos verò condit & ipsis aquis occulit: foliis latis è pediculo longo dependentibus: caule parte summa quàm ima crassiore. Adsunt & ei adnata quædam capillamenta spicacea: fructus verò durus

est,

eſt, vti & alterius antè memorati. Ambo aſtringentis refrigerantíſque ſunt naturæ: ideò contra inflammationes omnes cataplaſmate vtiles. Oris autem vlcuſcula, tonſillas, itémque putredines in ore ac gingiuarum vitia ſanant. Ex iis etiam ſuccus ad oculorum medicinas exprimitur. Semen vtriuſque dum recens bibitur, calculoſis adiumentum affert: ſed priuatim quod è tribulo terreſtri eruitur, drachmæ pondere potum impoſitúmve, commorſos à vipera priſtinæ ſanitati reſtituit, & contra venena etiamnum vtiliter ex vino bibitur. Sed & eius decoctum ſparſum, pulices necat. Cæterùm Thraces, qui ad Strymona amnem habitant, virenti herba equos ſaginant, nucleum verò dulcem & alendo idoneum ad panificia accõmodant, eóque vice panis vtuntur.

De Limonio ſeu beta ſylueſtri.

CAP. XVI.

LIMONIVM, aliis neuroïdes dictum, folia habet betæ, verùm tenuiora & minora, decem aut plura: caulem tenuem, rectum, liliaceo æqualem, rubro ſemine refertum, quod guſtu aſtringit. Semen tritum, & ex vino acetabuli menſura potum, dyſentericis cœliacíſque prodeſt, ac rubentem fœminarum fluorem cohibet. Naſcitur in pratis & paluſtribus locis.

De Lagopede. CAP. XVII.

LAGOPVS herba sistit aluum è vino pota, aut in febri, ex aqua. Eadem ad inguinum inflammationem adalligatur. Nascitur autem in segetum areis.

De Medio. CAP. XVIII.

MEDIVM in opacis & petrosis locis nascitur: folia habet seridis, caulem tricubitalem: flores purpureos, grandes ac rotundos: semen minutum, cnico simile: radicem dodrantalem, baculi crassitudine, gustu acerbo. Hæc arida trita decoctáque, cum melle per aliquot dies in eclegmate sumpta, rubentem fluorem sistit. Semen verò in vino potum, menstrua pellit.

De Epimedio. CAP. XIX.

EPIMEDIVM caulis est non magnus, hederæ foliis denis aut duodenis, neque semen, neque flores proferens: radicibus tenuibus, nigris, graui odore, gustu fatuo seu insipido. Nascitur in aquosis. Folia ex oleo trita & mammis adhibita, eas ita cohibent vt ne augescant. Radix spem partus adimit. Folia quoque trita & post menstruam purgationem quinis drachmis in vino pota quinque diebus, præstant mulieribus ne concipiant.

De

De Xiphio. CAP. XX.

XIPHION alij phaſganon, alij machæronion à folij figura vocant. Eſt enim iridi ſimile, at minus & anguſtius, & gladioli modo mucronatum, neruoſum. Caulem verò promit cubitalem, in quo purpurei flores certis æqualibúſque ſpatiis inter ſe diſtantes: ſemen rotundum: radices geminas, quarum vna alteri inſidet, puſillorum bulborum figura. Ex his inferior gracilis eſt, ſuperna plenior & vberior. In aruis potiſſimùm naſcitur. Superior radix cum vino & thure impoſita, ſpicula & aculeos è corpore extrahit: cum farina autem loliacea & aqua mulſa, panos diſcutit: quamobrem eiuſcemodi vi præditis emplaſtris inſeri ſolet. Ciet & menſes, ſubdita in peſſo. Aiunt & ſuperiorem radicem potui datam in vino, Veneris appetentiam facere: inferiorem verò, ſterilitatem inducere: ſuperiorem itidem radicem infantibus enterocelicis vtiliter ex aqua propinari.

De Sparganio. CAP. XXI.

SPARGANIVM folia habet gladioli, ſed arctiora & inclinatiora: ac in ſummo caule veluti pilulas, in quibus ſemen. Aduerſus venenatarum beſtiarum morſus & radix & ſemen ex vino potui dantur.

De Xyride. CAP. XXII.

XYRIS folia habet iridis, at latiora, & in cacumine acuminata: quorum è medio caulis erumpit cubitalis, ſatis craſſus, in quo ſiliquæ ſunt triangulares, & ſuper ipſis flos purpureus, medio puniceo: ſemen in folliculis ſimile fabis, rotundum, rubens & acre: radix crebris cincta geniculis, longa ac rufa. Ea contra capitis vulnera fractáque efficax eſt: aculeos & teli genus omne citra moleſtiam extrahit, adiecta floris æris tertia parte, itémque radicis centaurij parte quinta, & melle ſufficienti. Impoſita quoque ex aceto, œdemata inflammationéſque ſanat. Bibitur & ex paſſo radix contuſa, ad conuulſa, rupta, iſchiadas, ſtranguriam & alui profluuia. Semen verò tribus obolis in vino potum, potentiſſimè vrinam ciet: & cum aceto, lienem abſumit.

De Anchuſa. CAP. XXIII.

ANCHVSA, quam nonnulli calycem, alij onocleam appellant, folia habet lactucæ quæ folio viſitur acuto proxima, hirſuta, aſpera, nigra, numeroſa, vndecunque ab radice terræ velut affixa, ſpinoſa. Radix illi eſt digitali craſſitudine, colore quodammodo ſanguineo: quæ æſtate vel eo agnoſcitur, quòd manus inficiat: læto ſolo prouenit.

nit. Radici vis aſtrictoria, ad ambuſta veteráque vlcera efficax, ſi in oleo addita cera decoquatur. Eryſipelatis cum polenta impoſita medetur: itémque vitiligini & lepris, ex aceto illita. Vuluæ quoque ſubdita, partus extrahit. Datur & eius decoctum bile ſuffuſis, nephriticis ac ſplenicis, ſi febris ſit, ex aqua mulſa. Folia verò, ſiſtunt aluum in vino pota. Vtuntur & vnguentarij radice ad vnguentorum ſpiſſamenta.

De Anchuſa altera.

CAP. XXIIII.

Anchuſa altera, quam aliqui Alcibiadion ſeu onochiles vocauêre, à priore diſtat, quòd minora habeat folia, quanquam ſimili modo aſpera, & ramulos tenues, in quibus flos purpureus in puniceum vergens: radices autem rubras, prælongas, quæ meſſibus ſanguineo ſucco turgent. In ſabuloſis naſcitur. Tum ipſa radix, tum & folia, contra venenatarum beſtiarum, maximéque viperarum, morſus efficaciter auxiliantur, ſiue cibo, ſiue potu, ſiue etiam amuleto. Quin & ſi quis iis commanducatis in venenatæ beſtiæ os expuerit, eam enecabit.

De Anchuſa tertia.

CAP. XXV.

Eſt & alia huic ſimilis, at minore ſemine, eóque puniceo: quo commanducato ſi in

ſerpentis os inſpuatur, ea morietur. Radix autem acetabuli menſura cum hyſſopo & naſturtio pota, latas ventris tineas pellit.

De Lycopſi. CAP. XXVI.

LYCOPSIS, quæ & anchuſa à nonnullis vocata eſt, foliis eſt lactucæ, at longioribus, craſſioribus, latioribúſque, aſperis & circa radicis caput ad terram deciduis: caule longo, recto, ſcabro, adnatis multis, cubitalibus & aſperis, in quibus flores parui, purpuraſcentes: radix rubra eſt & aſtringens. Naſcitur in campeſtribus. Radix cum oleo impoſita, vulneribus medetur: & cum polenta, eryſipelatis illinitur. Trita verò ſi ex oleo perungatur, ſudores mouet.

De Echio. CAP. XXVII.

ECHION aliqui dorida, alij Alcibiadion appellant: folia habet oblonga, aſpera, aliquantùm tenuia, anchuſæ proxima, at minora & pinguia, tenui ſpinoſa lanugine veſtita: cauliculos graciles, numeroſos: vtrinque verò minuta foliola expanſa pinnatáque, nigra, ac minora quidem proportione quò ſummo cauli propiora ſunt: flores autem ſecundùm folia purpureos, in quibus & ſemen viperæ capitulo ſimile. Radix eſt digito tenuior & ſubnigra: quæ quidem

no-

non modò demorsis à serpentibus in vino pota auxiliatur, sed & eos à quibus præbibita fuerit à serpentibus feriri minimè patitur. Folia & semen, idem ipsum præstant. Sed & radix lumborum dolorem sedat, lactísque vbertatem facit, in vino aut sorbitione sumpta.

De Ocimoide, siue Ocimastro.

CAP. XXVIII.

OCIMOIDES, seu, vt alij, philetærium, folia fert ocimi, & ramos dodrantales, hirsutos, siliquas hyoscyamo similes, semine nigro, ceu melanthij, prægnantes. Vim hanc habet semen in vino potum, vt viperarum cæterarúmque serpentium morsibus medeatur. Datur & ischiadicis cum myrrha & pipere. Cæterùm radice nititur tenui & superuacua.

De Erino. CAP. XXIX.

ERINVS apud flumina fontésque nascitur, foliis ocimi, sed minoribus & parte superna diuisis, surculis quinis senísve, dodrantalibus, floribus candidis, semine nigro, paruo & acerbo: folia & caulis liquore multo manant. Semen drachmis duabus mistum cum mellis drachmis quatuor, oculorum fluxiones illitu cohibet. At succus aurium dolorem sedat, cum sulphure ignem haud experto ac nitro instillatus.

De Gramine. CAP. XXX.

GRAMEN viticulas habet geniculatas, per terram repentes, quæ à suis articulis radices spargunt dulces, internodiis distinctas: folia acuminata, dura, lata, ceu arundinis paruæ, quibus boues & iumenta pascuntur. Huius trita radix & imposita, vulnera glutinat. Ipsius autem decoctum epotum, efficax est aduersus tormina, vrinæ difficultatem ac vesicæ vlcera, & calculos frangit.

De Gramine arundinaceo.

CAP. XXXI.

Arundinaceum Gramen, priore maius est omni ex parte. Iumenta porrò in pabulo sumptum necat, maximéque quod in Babylonis regione secus vias nascitur.

De Parnaßio Gramine.

CAP. XXXII.

Quod verò in Parnasso monte gignitur gramen, densius fruticat, foliis hederaceis, flore candido & odorato, semine paruo, non inutili: radicibus quinis senísve, digitali crassitudine, candidis, mollibus, dulcibus ac robustis. Quarum succus si in vino cum pari melle ac myrrhæ dimidio, piperísque ac thuris tertiis portionibus decoquatur, præstantissimum fiet ad oculos medicamentum. Id verò in ærea pyxide reconditur. Radicum autem decoctum, cadem quæ herba ipsa

ipſa, præſtat. At ſemen vehementiùs vrinam impellit, vomitionéſque & alui profluuia ſiſtit. Natum porrò in Cilicia gramen, quod indigenæ Cinnam appellant, boues inflammat, ſi eo virenti ſæpe paſcantur.

De Sideritide. CAP. XXXIII.

SIDERITIS, quam aliqui Heracleam vocant, herba eſt foliis marrubij, ſed oblongioribus, ad ſaluiæ aut quercus foliorum ſimilitudinem, minoribus tamen & aſperis. Caules verò edit quadrangulos, dodrantales, aut etiam maiores, non iniucundi guſtus, & quodammodo leuiter aſtringentes: in quibus ex interuallis orbiculata verticilla ſpectantur, ceu marrubij, & in iis ſemen nigrum. In locis ſub quibus petræ latent naſcitur. Vim porrò habent impoſita folia, vulnera glutinandi, & ab inflammatione vindicandi.

De Sideritide altera. CAP. XXXIIII.

Sideritis altera ramos habet binûm cubitorum, exiles: folia longis hærentia pediculis, ceu filicis, in extrema ſui parte inciſuris diuiſa, vtrinque numeroſa: è ſuperioribus autem alarum cauis nouos erumpentes ſurculos, longos, tenues, capitulis in cacumine globoſis & aſperis: in quibus ſemen continetur, ceu betæ, verùm aliquantò rotundius

atque durius. Huius etiam foliorum vis vulneribus vtilis est.

De Sideritide tertia.
Cap. XXXV.

Traditur & tertia Sideritis, quam etiam Crateuas Heracleam vocat. In maceriis vinetísque nascitur, foliis ab vna radice multis, coriandro similibus, circa cauliculos dodrantales, læues, teneros, cum rubore candicantes: floribus puniceis, paruis, gustu amaris & lentis. Huius etiam impositæ ea vis est, vt cruenta recentiáque vulnera glutinet.

De Achillea. Cap. XXXVI.

Achilleam sunt qui etiam Sideritin vocent. Gerit autem scapos dodrantales, aut etiam maiores, fusorum effigie, foliis circundatos minutulis, ex obliquo crebras habentibus incisuras, coriandro proximis, subfuluis, lentis, odore multo, non insuáui, sed medicato: vmbellam verò in cacumine rotundam, floribus candidis & aurum æmulantibus. Læto solo prouenit. Huius etiam coma trita, vulnera cruenta glutinat & ab inflammationis periculo tuetur, nec non ab iis erumpentem sanguinem inhibet: vti etiam ab vtero, subdita in pesso. Sed & ipsius decocto vtiliter insident fœminæ vteri fluore laborantes. Denique & ad dysenteriam illa bibitur.

De

De Rubo. CAP. XXXVII.

RVBVS notitiæ vulgaris, aſtringit & ſiccat, capillóſque tingit. Summorum autem ipſius ramorum decoctum, potu aluum ſiſtit, fluorémque muliebrem cohibet, necnon & contra preſteris morſum valet. Firmant & gingiuas, oríſque vlcera ſanant commanducata folia. Impoſita verò, herpetas cohibent, vlceribúſque in capite manantibus, oculis procidentibus, condylomatis item & hæmorrhoidibus remedio ſunt. Eadem cardiacis quoque & ſtomachicis trita conuenienter imponuntur. Cæterùm concuſis caulibus ac foliis expreſſus ſuccus ſole coactus, ad antedicta vitia efficacior eſt. At fructus perfectam maturitatem aſſecuti ſuccus, ſtomaticis, hoc eſt, oris medicamentis accommodatur. Siſtit & aluum præmaturus fructus in cibo ſumptus, æquè ac flos in vino potus.

De Rubo Idæo. CAP. XXXVIII.

Idæus rubus appellatus eſt, quoniam copioſus in Ida naſcatur. Eſt autem longè tenerior priore, exiguis ſpinis præditus, [quãquam & ſine ſpinis inueniatur.] Eadem verò præſtat quæ ſupradictus: at exabundanti flos ipſius ex melle ſubactus, oculorum inflammationibus commodè illinitur, &

erysipelata restinguit. Stomachicis quoque ex aqua bibendus datur.

De Helxine. Cap. XXXIX.

HELXINE [cognomento cissampelos] foliis est hederæ, at minoribus: ramulis verò longis, quibus circumplectitur quodcunque contigerit adminiculum. Nascitur in sepibus, vinetis ac segetibus. Potus foliorum succus, aluum soluendi vim habet.

De Elatine. Cap. XL.

ELATINE folia habet helxinæ, at minora rotundioráque, pilosa: ramos tenues, dodrantales, quinos senósve, à radice statim foliis refertos gustu acerbis. Nascitur in segetibus & cultis. Folia cum polenta imposita, inflammatis fluxionéque infestatis oculis auxiliantur. Cocta verò herba, sorbitionis vsu dysenteriam sistit.

De Eupatorio. Cap. XLI.

EVPATORIVM herba est è cremiorum genere, vnicum proferēs thyrsum, eúmque tenuem, lignosum, rectum, nigrum, hirsutum, cubitalem aut etiam altiorem, foliis per interualla quinquepartitò vtplurimùm aut etiam ampliùs diuisis, quinquefolij aut cannabis potiùs similibus, nigricantibus & ipsis ac per ambitum serræ modo incisis. Semen à medio statim caule adnascitur subhirsutum, ac ita deorsum inclinatum,

vt etiam ſiccatum veſtibus inhæreſcat. Trita huius folia & cum veteri ſuillo adipe impoſita, cicatricem ægrè trahentibus vlceribus medentur. Tum ſemen tum & herba potu ex vino, dyſentericis, hepaticis & à ſerpentibus demorſis auxiliantur. Cæterùm hanc nonnulli errore ducti argemonem appellarunt, cùm tamen longè alia ſit, vti demonſtrauimus.

De Quinquefolio. CAP. XLII.

QVINQVEFOLIVM ramulos fert feſtucarum ſimilitudine, tenues, dodrantales, in quibus ſemen: folia mentæ, quina ſingulis pediculis, rarò plura, in ambitu ſerrata: florem ex candido palleſcentem, auri æmulum. Naſcitur in aquoſis locis & iuxta riuos. Subrubram verò habet radicem, oblongam, veratro nigro craſſiorem, cuius eſt multiplex vſus. Ius radicis ad tertias decoctæ ſi ore detineatur, dolores dentium ſedat, putrida oris vlcera collutione ſiſtit, arteriæ ſcabritias gargarizatu emendat: contra alui profluuium & dyſenteriam auxiliatur, itémque arthriticis & iſchiadicis potum. Trita eadem in aceto cocta & impoſita, herpetas cohibet. Strumas, duritias, œdemata, aneuryſmata & abſceſſus diſcutit. Eryſipelatis, digitorum pterygiis, condylomatis pſoríſque medetur. At teneræ radicis ſuccus,

contra iecinoris pulmonísque vitia prodest, itémque aduersum venena. Folia autem cum hydromelite aut vino diluto & piperis exiguo bibuntur contra febrium circuitus: in quartana quidem, quaternûm ramulorum folia: in tertiana verò, ternûm: in quotidiana, vnius. Eadem comitialibus tricenis diebus pota succurrunt. Celeriter quoque regio morbo medetur foliorum succus, tribus cyathis aliquot diebus epotus. Illa eadem cum sale ac melle imposita, tam vulneribus quàm fistulis remedio sunt. Opitulatur & quinquefolium enterocelicis, ac erumpentem sanguinem sistit tum potu, tum etiam illitu. Inciditur & ad expiationes lustrationésque, atque hæmorrhagias.

De Phœnice. CAP. XLIII.

PHOENICEA herba, quam aliqui rhun, alij anchinopa vocant, folia quidem habet hordei, at breuiora & angustiora: spicam verò lolio similem, & ramos circa radicem senûm digitorum, ac septenas octonásve spicas. In aruis tectísque recens illitis nascitur. Vim hanc habet in austero vino pota, vt alui profluuium, erumpentem ab vtero sanguinem, vrinarúmque largiorem fluxum sistat. Tradunt & nonnulli in puniceo vellere amuleti instar adalligatam, sanguinem supprimere.

De Idaea radice. CAP. XLIIII.

IDAEAE radicis folia, oxymyrſinen referunt: iuxta ipſa verò exigui ſunt veluti pampini ſeu capreoli, ex quibus etiam flos erumpit. Radix præclarè aſtringit, iis iccirco conueniens, quibus adſtrictione opus eſt. Bibitur & aduerſus alui profluuia fluorémque muliebrem, & omnem ſanguinis eruptionem ſiſtit.

De Rhodia radice. CAP. XLV.

RHODIA radix in Macedonia gignitur, coſto ſimilis, at leuior & inæqualis: quæ dum conteritur, roſarum odorem ſpirat. Caput dolentibus vtilis eſt, ſi cum pauco roſaceo trita capiti imponatur, aut madefacta fronti ac temporibus adhibeatur.

De Equiſeto. CAP. XLVI.

EQVISETVM in riguis & ſcrobibus naſcitur. Cauliculos edit inanes, rubeſcentes, ſubaſperos, ſolidos, geniculis in ſeſe farctis interſeptos: ac circum ipſos folia iuncea, crebra tenuiáque. In ſublime autem attollitur, vicinos ſcandens arborum caudices, ex iiſque dependet circumfuſum comis multis, nigris, vt eſt equi cauda: radix lignoſa eſt ac dura. Eſt verò herbæ vis adſtrictoria: quamobrem ipſius ſuccus fluentem è naribus ſanguinem ſiſtit, prodéſtque dyſenteriis in vino potus, & vri-

nam ciet. Foliis autem tritis & insperſis vulnera cruenta glutinantur. Radix verò, itémque herba ipſa, tuſſientibus, orthopnoicis ruptíſque ſuccurrunt. Narrantur & folia in aqua bibita, diuiſum inteſtinum, diſſectámque veſicam & enterocelen cogere & agglutinare.

De Equiſeto altero. CAP. XLVII.

Equiſetum alterum caule eſt recto, æquali, cubito maiore, quodammodo inani, comis per interualla breuioribus, candidioribúſque & mollioribus. Id cum aceto ſubactum, vulneribus etiam remedio eſt, eadémque qua prius illud facultate pollet.

De Cocco tinctili. CAP. XLVIII.

COCCVM tinctile, frutex eſt paruus è cremiorum genere, cui grana ceu lentes adhærent, quæ quidem exempta decerptáve reponuntur. Optimum gignitur in Galatia & Armenia, deinde in Aſia & Cilicia: locum poſtremũ obtinet, quod in Hiſpania prouenit. Vis huic aſtringere: cuius ratione vulneribus neruíſque ſauciatis tritum ex aceto conueniẽter imponitur. Naſcitur porrò Cilicium in quercubus, exilis cochleæ ſimilitudine, quod illius regionis mulieres ore legunt & coccum vocitant.

De Tragio. CAP. XLIX.

TRAGIVM in Creta tantùm nafcltur, lentifco fimile foliis femine ac ramis, fingulis tamen minoribus. Liquorem verò profert gummi fimilem. Folia, femen & lacryma impofitione ex vino, fpicula omniáque corpori impacta euocant. Pota eadem drachmæ vnius pondere, ftranguriæ medentur, calculos veficæ comminuunt, & menfes trahunt. Aiunt & fylueftres capras fagittis ictas huius herbæ pabulo fpicula excutere.

De Tragio altero. CAP. L.

Tragium alterum folia fcolopendrij habet, & radicem tenuem, candidam, fylueftris raphani fimilem. Hæc, feu cruda feu cocta comedatur, dyfentericis eft auxilio. Cæterùm folia per autumnum hircini virus odorem emittunt: vnde & herba tragij nomen obtinuit. Prouenit in montibus & præcipitiis.

De Trago. CAP. LI.

TRAGVS, quam aliqui Scorpion, alij Tragonon vocant, frutex eft pufillus in maritimis maximè nafcens, & per terram fparfus, oblongus, at non ita magnus, palmi altitudine, aut paulò amplior: & is quidem fine foliis eft: circa ramos autem hærentes habet velut acinos pufillos, rufos, triticei grani magnitudine, fumma parte acumina-

tos, numerosos, gustúque admodum astringentes. Racemorum acini decem ex vino poti, cœliacis, fœminísque fluore laborantibus auxiliantur. Sunt & qui tusos digerunt in pastillos, quò fœliciùs asseruentur, iisque ita vtuntur.

De Iunco. Cap. LII.

IVNCI duo sunt genera: vnum læuis nominati, alterum oxyschœni dicti, qui quidem in mucronem fastigiatur. Huius rursum duo assignantur genera: vnum quidem sterile: alterum semen profert nigrum, rotundum, culmis crassioribus carnosioribúsque. Est & tertius iuncus, qui vocatur Holoschœnos, prioribus illis multò carnosior atque crassior: is & semen in cacumine gerit, antedicto simile. Porrò semen vtriusque tostum & ex vino diluto potum, sistit aluum rubentémque fluorem muliebrem: vrinas quoque cit: at capitis dolores facit. Folia autem tenera quæ radici proxima sunt, phalangiorum morsibus conuenienter imponuntur. Cæterùm Æthiopicus iuncus semen habet alliciendi somni vi præditum: at vitanda in potionibus maior ipsius copia, quoniam altum grauémque nimiùm soporem inuehit.

De Lichene. Cap. LIII.

LICHEN qui petris innascitur, & aliquibus bryon appellatur, ceu muscus est ro-

ſcidis petris inhærens. Is impoſitus, ſanguinis eruptiones ſiſtit, inflammationes lenit, ac impetigini medetur. Iuuat & arquatos, cum melle illitus: cæterùm defluxionibus oris ac linguæ ſuccurrit.

De Paronychia. CAP. LIIII.

PARONYCHIA, frutex eſt puſillus in ſaxoſis naſcens, peplo ſimilis, at breuior: foliis tamen maioribus. Ea tota contrita, paronychiis atque fauis remedio eſt.

De Chryſocome. CAP. LV.

CHRYSOCOME, frutex eſt exiguus, palmi altitudine, coma ſpecie corymborum, hyſſopo ſimili, radice denſa & ceu veratri nigri tenui, cyperum æquante, guſtu minimè aſpero, ſed ex dulci ſubauſtero. In opacis petroſíſque naſcitur. Radix calfactoriam adſtrictoriámque vim habet, hepaticis & peripneumonicis accommodatam. Sed & eadem decocta in aqua mulſa, ad purgandam vuluam aſſumitur.

De Chryſogono. CAP. LVI.

CHRYSOGONON denſè fruticat, foliis quernis, flore verbaſci coronarij, radice rapi, intus quidem ruberrima, foris verò nigra. Hæc cum aceto ſubacta & impoſita, contra muris aranei morſus auxiliatur.

De Helichryso. CAP. LVII.

HELICHRYSVM quidam chryſanthemon, alij etiam amarantum vocant, quo Deorum ſimulachra coronant: ramulum habet ex candido virentem, rectum, ſolidum: folia ex interuallis anguſta, abrotono ſimilia: comam in orbem circumactam, aureæ lucis fulgore: vmbellam rotundam, velvti corymbis aridis dependentibus: radicem gracilem. Naſcitur in aſperis & ſalebroſis. Coma ex vino pota, contra vrinæ difficultatem, ſerpentium morſus, iſchiada ruptáque opitulatur, menſéſque ciet. Sanguinem concretum ventris aut veſicæ abſumit, cum mulſo pota. Siſtit & deſtillationes, trium obolorum pondere ieiunis potui data in vino albo diluto. Veſtibus quoque interponitur, vt eas à teredinum iniuriis tueatur.

De Chryſanthemo. CAP. LVIII.

CHRYSANTHEMON ſeu chalcas, aliis buphthalmum, herba quidem eſt tenera, at fruticoſa, læues proferens caules, foliáque multifida: flores autem luteos eximio ſplendore micantes, & oculi orbem imitantes, vnde & buphthalmi nomen obtinuit: propter oppida naſcitur: ipſius verò caules, olerum inſtar eſitantur. At flores cum cerato triti, ſteatomata diſcutere produntur: regio

gio

gio autem morbo correptis breui colorem reddunt meliorem, si è balneo post longiorem in eo moram egressis propinentur.

De Agerato. CAP. LIX.

AGERATVM, frutex est è cremiorum genere, duorum palmorum altitudine, humilis, simplex, origano maximè similis, vmbellam gerens, in qua flos aureis quasi bullis emicat, helichryso minor. Agerati nomen illi inditum est, quoniam flos diutissimè in sua coloris specie conseruatur. Vis decocti fotibus apta. Herbæ quoque ipsius vstæ nidor, vrinas ciet, vuluæque duritias emollit.

De Peristereone, seu Verbenaca recta. CAP. LX.

VERBENACA in aquosis nascitur: nomen autem Græcum ex eo duxisse videtur, quòd libenter circa eam columbæ commorentur. Herba est palmi altitudine, aut etiam maior, foliis incisis, subalbidis, è caule prodeuntibus: singulari plerunque ramo & radice vnica reperitur. Folia cum rosaceo aut adipe suillo recenti subdita, vuluæ dolorem adimere creduntur. Ipsa quoque herba imposita cum aceto, erysipelata reprimit, putridáque vlcera cohibet: vulnera etiamnum glutinat, veteráque cum melle ad cicatricem perducit.

De Hierabotane, seu Verbenaca supin.

CAP. LXI.

Herba ſacra, quam etiam nonnulli periſtereona vocarunt, ramulos emittit cubitales, aut etiam maiores & anguloſos: circa quos folia ſunt ex interuallis, quernis ſimilia, ſed anguſtiora minoráque, diuiſuris inciſa per ambitum, & colore aliquatenus glauco: radicem longiuſculam & gracilem, flores purpureos ac tenues. Huius folia cum radice ex vino pota illitáve, aduerſus ſerpentes pollent: eadem illa contra morbum regium drachmæ vnius pondere cum thuris obolis tribus ex vini veteris & calidi hemina vna quaternis diebus ieiuno ventriculo bibuntur. Sed & œdemata diuturna inflammationéſque impoſita mitigant, ſordidáque vlcera purgant. Tota verò herba in vino decocta, tonſillarum cruſtas abrumpit, & oris nomas gargarizatu cohibet. Aiunt, ſi aqua ſpargatur triclinium quâ maduerit, lætiores hilarioréſve conuiuas fieri. Datur & potandum tertianâ laborantibus tertium à terra geniculum vnà cum foliis circundantibus, vti & quartanâ, quartum. Cæterùm ſacram herbam ideò vocant, quòd in expiationibus ſit ad amuleta pervtilis.

De

De Aſtragalo. CAP. LXII.

ASTRAGALVS, paruus eſt à terra frutex, foliis & ramulis ciceri ſimilis: floribus purpureis, paruis: radice rotunda, raphani modo prægrandi: quæ adnatas habet appendices, eáſque ſolidas, nigras, præduras, ceu cornua inter ſe implicatas, guſtúque aſtringentes. Naſcitur in ventoſis, opacis atque niualibus: magna verò copia in Pheneo Arcadiæ. Radix fluentem aluum in vino pota ſiſtit, vrináſque mouet: veteribus quoque vlceribus ſicca efficaciter inſpergitur, ſanguinémque ſupprimit: verùm difficilè ſoliditatis ſuæ ratione tunditur.

De Hyacintho. CAP. LXIII.

HYACINTHVS folia habet bulbi, caulem dodrantalem, læuem, minimo digito graciliorem, & herbacei coloris, cui coma incumbit incurua, florum purpuraſcentium plena: radicem quoque bulbaceam. Hæc, vt creditur, pueris è vino albo illita, pubertatem coërcet, & non patitur erumpere. Siſtit & aluum, vrinámque impellit pota, phalangiorúmque morſibus reſiſtit. At ſemen aſtringentius eſt, atque adeò cœliacis auxiliatur, theriacíſque ipſum expetitur: ac regium quoque morbum emendat, cum vino potum.

De Papauere erratico.

CAP. LXIIII.

PAPAVER erraticum, quod à flore protinùs deciduo rhœadis nomen à Græcis accepit, in aruis vere naſcitur: quo quidem tempore etiam colligitur. Folia origano aut crucæ aut cichorio aut thymo ſimilia ſpectantur, eáque diuiſa, ſed longiora & ſcabra. Caulis ei lanuginoſus, rectus, aſper, & ferè cubitali altitudine. Flos puniceus, interdum & candidus, ſylueſtris anemones ſimilitudine: caput oblongum, ſed quàm anemones minus: ſemen rufum: radix oblonga, ſubalbida, parui digiti craſſitudine & amara. Huius capitula quinque aut ſex, in vini cyathis tribus decocta dum ad duos redeant, iis potui dabis, quibus ſomnum inducere volueris. At ſemen acetabuli menſura ex aqua mulſa potum, aluum leniter emollit: ad idem præſtandum mellitis placentulis & dulciariis libis admiſcetur. Cæterùm folia cum calycibus impoſita, inflammationibus medentur: ac eorundem quoque decoctum fotu ſeu perfuſione ſomniferum eſt.

De Papauere ſatiuo & ſylueſtri.

CAP. LXV.

Papaueris genus quoddam eſt ſatiuum & hortenſe, cuius ſemen in ſanorum vſum ad

panes

panes adhibetur: eo etiam ex melle pro ſeſama vtuntur: thylacitin, quaſi folliculoſum, vocant. Capitulum id habet oblongum, & ſemen candidum. Alterum eſt ſylueſtre papaueris genus, ſeſſili calyculo & ſemine nigro: quod pithitis, quaſi doliare, nominatur. Nonnullis & ipſum rhœas ex eo dicitur, quòd ab eo liquor emanet. Eſt & tertium agreſtius, ac medicatius, híſque longius, oblongo capitulo. Omnibus in commune vis eſt refrigerandi: proinde ſi folia cum capitibus ipſis in aqua decocta fuerint, ſomnum fotu conciliant: bibitur & decoctum contra vigilias. Calyces verò triti & cum polenta cataplaſmatis admiſti, inflammationibus ac eryſipelatis proſunt. Verùm ex ipſis dum adhuc virent tuſis fingi trochiſcos oportet, iíque ſiccati ad vſum recondendi. Ex iiſdem quoque calycibus per ſe in aqua decoctis ad dimidias, iterúmque deinde cum melle ad iuſtam ſpiſſitudinem percoctis, eclegma conficitur, quod in tuſſi, arteriæ fluxionibus, cœliacíſque affectibus doloris leuamentum præſtat. Efficacius tamen redditur, additis hypociſthidis ſucco & acacia. Papaueris autem nigri ſemen tritum cum vino, potui datur contra fluxionem alui, fluorémque muliebrem. At in pervigiliis, fronti temporibúſque ex aqua imponitur. Ipſe

verò liquor refrigerat magis, incrassat, exiccátque. Sumptus erui magnitudine, dolores sedat, somnum conciliat, & concoctionem adiuuat: tussi, cœliacorúmque affectibus auxiliatur. Verùm si copiosior hauriatur, accersito lethargo etiam mortifer est. Est & ad capitis dolores efficax, si cum rosaceo irrigetur: vti & ad aurium dolores, si cum amygdalino, myrrha & croco instilletur. Oculorum inflammationibus cum oui luteo tosto & croco proficit: erysipelatis ac vulneribus, cum aceto: podagris, cum lacte muliebri & croco: denique sedi pro balano subditus, somnum facit. In eo liquoris genere præstantissimus censetur qui densus & grauis est, odoratu soporifer, gustu amarus, quíque facilè aqua diluitur, læuis, candidus, neque asper neque grumosus, quíque inter colandum non vti cera coit densatúrve, sed Soli expositus diffunditur, & ad lucernam accensus, minimè atra obscuráve lucet flamma: qui denique postquàm extinctus fuerit, suam odoris vim etiamnum conseruat. Ipsum porrò admixto glaucio, aut gummi, aut syluestris lactucæ succo adulterant. Veruntamen qui glaucio fucatus est, dum diluitur, colorem croci reddit: qui verò agrestis lactucæ succo, exili & euanido est odore, asperiórque spectatur: qui denique gummi vitiatus est,

est, inualidus est, inodorus atque pellucidus. Nec desunt qui eò dementiæ deuenerint, vt & adipem illi admiscerent. Porrò ad oculorum medicamenta fictili nouo torretur, dum mollior fuluiórque appareat. At Erasistratus Diagoram testatur illius vsum damnasse in aurium doloribus & oculorum lippitudinibus, quoniam & visus aciem hebetaret & soporifer esset. Addidit Andreas, protinùs excæcatum iri qui eo illinerentur, nisi adulteraretur. Mnesidemus prætereà vsum duntaxat olfactandi probauit ad conciliandum somnum: alioqui ceu noxium damnat. Quæ quidem omnia commentitia esse experimento deprehenditur: siquidem effectus virium huiusce medicamenti fidem facit. Quare non abs re fuerit, liquoris illius excipiendi rationem subtexere. Nonnulli capita foliáque ipsa tundunt & prælo exprimunt, mox terentes in mortario, pastillos effingunt: id meconium vocatur, opio ignauius. At opij faciendi ratio hæc est: Cum ros exaruerit, stellulam (quæ in summo papaueris capite visitur) cultello ita scarificare oportet, vt ne penitus intrò adigatur, & à capitis lateribus per directum summam cutem incidere, & erumpentem lacrymam digito in conchulam abstergere, ac non ita multò pòst eò redire:

tum enim rursum & alia densata reperitur, atque etiam postero die. Tandem in pila teri, & in pastillos coacta reponi debet. Veruntamen intereà dum inciditur, retrocedendum est, vt ne liquor vestium affrictu deradatur.

De Cornuto papauere.

Cap. LXVI.

Corniculatum papauer alij paralium, seu thalassion, quasi in maritimis nascens, alij agreste vocant: folia habet candida, hirta, verbasco similia, serrata in ambitu syluestris papaueris modo, & caule non dissimili, flore ex luteo pallescente, siliqua longa, in corniculi modum inflexa ceu fœnigræci, vnde & nomen accepit: semine exili nigróque, ceu papaueris: radice per summa cespitum nascente, nigra, crassa. Gignitur in maritimis & asperis. Radici ea vis inest, vt decocta in aqua ad dimidias coxendicum & iecinoris vitia potu sanet, iisque prosit qui crassa & araneosa quædam cum lotio reddunt. Semen acetabuli mensura ex aqua mulsa potum, leniter aluum purgat. Illita ex oleo folia floresque, crustas emarginant: argemas & nubeculas iumentorum inunctione depurgant. Cæterùm non desunt qui ex hoc papaueris genere factitari glaucium falsò existimarint, decepti quadam foliorum similitudine.

Dié

De Papauere ſpumeo.
CAP. LXVII.

Papauer Spumeum, ab aliquibus Heraclium vocatum, caule eſt dodrantali, foliis admodum paruis, radiculæ ſimilibus, ſemine inter ea candido. Sed & herbula tota candida eſt atque ſpumea, radice alba, in ſumma terra naſcente. Legitur æſtate ſemen, cùm integrè adoleuerit, aridúmque deciderit. Acetabuli autem menſura ſumptum in aqua mulſa, vomitione purgat, priuatímque huiuſmodi purgatio comitialibus prodeſt.

De Hypecoo. CAP. LXVIII.

HYPECOON aliqui hypopheon vocant. Naſcitur in triticeis ſegetibus aruíſque, folio ceu rutæ, ramulis exilibus. Natura ei eadem, quæ papaueris ſucco.

De Hyoſcyamo, ſiue Apollinari herba.
CAP. LXIX.

HYOSCYAMVS, frutex eſt caules emittens craſſos, folia lata, oblonga, diuiſa, nigra, hirſuta: ſecundùm verò caulem continua quaſi ſerie flores prodeunt, tanquam Punicorum cytini, ſcutulis ſepti ſeminum plenis, ceu papaueris. Tria porrò ſunt eius genera. Vnũ ſiquidẽ flores profert penè purpureos, folia ſmilaci proxima, ſemẽ nigrum, ac cytinos præduros & ſpinoſos: alterum flores habet luteos, folia & ſiliquas molliores

teneriorésve, & semen subflauum, irionis semini simile. Ambo insaniam gignunt & soporem, ideóque vix in communem vsum recipiuntur. Tertium genus quod mitissimum est, adeóque ad medicinam vtile, pingue est, molle, lanuginosum, candidis floribus ac semine. In maritimis ruderibúsque nascitur. Albo itaque vtendum est: ídque si desit, flauum vsurpari oportet. Nigrum enim ceu deterrimum improbatur. Recenti semine, foliis caulibúsque tusis succus exprimitur, qui ad solem exiccatur. Vsus autem eius ad annum duntaxat prorogatur, quia facilè corruptionem sentit. Elicitur & separatim succus ex semine, cùm inaruit, affusa aqua calida tuso & expresso. Est autem expressus eiusmodi succus liquore seu lacteo eiusdem succo præstantior, leniendísque doloribus accommodatior. Ipsa verò herba virens contusa, farina è tritico trimestri addita, in pastillos redigitur atque reconditur. Porrò prius succi genus, & quod è sicco semine exprimitur, collyriis sensum doloris auferentibus vtiliter inseruntur: prosunt & contra acres calidásque fluxiones, aurium dolores ac vuluæ mala. Cum farina autem polentáve, contra oculorum, pedum cæterarúmque partium inflammationes. Semen eadem præstat, prætereáque ad tussim, de-

stilla-

ſtillationem, oculorum fluxiones doloréſque efficax, itémque contra fluorem muliebrem, aliáſque ſanguinis eruptiones, ſi oboli pondere cum papaueris ſemine ex aqua mulſa bibatur. Subuenit & podagris, teſtibus inflatis, mammíſque à partu tumentibus, ſi tritum ex vino imponatur. Denique & aliis cataplaſmatis quæ doloris leuamentum præſtant vtiliter admiſcetur. Quin & in paſtillos digeſta folia, medicamentis omnibus dolores ſedantibus, tum per ſe, tum etiam ex polenta, vtiliter imponuntur. At recentia folia illita, ad mitigandos omne genus dolores apprime ſunt idonea. Eadem terna quaternáve cum vino pota, febres epialas depellunt. Cocta verò olerum inſtar, & tryblij menſura eſitata, mediocrem mentis alienationem faciunt. Aiunt & idem efficere, ſi cui in colo vlcus ſentienti infundantur. Cæterùm radice in aceto decocta dentes vtiliter in dolore colluuntur.

De Pſyllio. Cap. LXX.

PSYLLIVM folio eſt coronopodis, hirſuto, at longiore, ramulis dodrantalibus, totáque herbula fœni modo tenuis ac minutula. Coma verò ipſius à medio caule ducit initium, capitulis duobus tribúſve cõglobatis: in quibus ſemen pulicibus ſimile,

nigrum atque durum. Naſcitur in aruis & incultis. Vis ei refrigerans: articulorum morbis, parotidibus, tuberculis, œdematis luxatiſque & capitis dolori cum roſaceo aut aceto aquáve impoſitum auxiliatur. Infantium quoque enterocelis ac eminenti vmbilico illitum ex aceto medetur. Acetabuli verò menſuram tritam in duabus aquæ heminis macerari oportet, ac vbi ſeſe aqua denſauerit, lentorémve contraxerit, illini. Siquidem vehementer refrigerat: ſed & in feruentem aquam immiſſa, calorem reprimit: denique & contra eryſipelata eſt efficax. Fama eſt, ſi virens herba domum importetur, pulices arceri. Tuſa porrò cum adipe, ſordida malignáque vlcera repurgat. Succus fluxione infeſtatis ac vermiculoſis auribus ex melle prodeſt.

De Solano hortenſi. CAP. LXXI.

SOLANVM hortenſe, frutex eſt eſculentus, haud ita magnus, alarum cauis multis, foliis nigris & quàm ocymi maioribus ac latioribus, fructu rotundo, ac primùm quidem viridi, mox, vbi maturitatem aſſecutus eſt, nigro aut fuluo: eſt verò herba innocentis guſtus. Vis ei refrigerandi: quare folia eryſipelatis & herpetibus cum polline polentæ conuenienter imponuntur. Trita autem & per ſe impoſita, ægilopa capitiſque

dolorem ſanant, & ſtomacho æſtuanti auxiliantur: parotidas cum ſale detrita illitu diſcutiunt. Sed & ipſius ſuccus valet aduerſus eryſipelata & herpetas cum ceruſſa, roſaceo & argenti ſpuma: ægilopas verò, cum pane. Infantibus quoque inflammatione laborantibus, quam Siriaſin vocant, cum roſaceo infuſus proficit. Inſeritur & aquæ vel oui vice collyriis, quæ contra fluxiones acres illinuntur: quin & dolori aurium inſtillatus prodeſt: fluorem etiamnum muliebrem ſiſtit, in vellere ſubditus. Denique ſuccus fuluo gallinarum cohortalium fimo ſubactus & linteo appoſitus, ægilopiis præſentaneo eſt remedio.

De Solano Halicacabo.

Cap. LXXII.

Eſt & alterum Solanum, quod peculiari nomine halicacabum vocant, alij phyſalida, id eſt, veſicariam, foliis antedicto ſimilibus, verùm latioribus. Huius caules poſteaquam adoleuerunt, proni terram ſpectant: eſt autem fructus intra folliculos orbiculatos veſicis ſimiles fuluus, rotundus ac læuis ceu vuæ acinus: quo etiam coronarij vtuntur, corollis intorquentes. Vim vſúmque obtinet hortenſis ſolani, niſi quòd in cibos minimè recipitur. Valet autem fructus epotus ad expurgandum morbum regium, qua

præditus est vrinæ ciendæ facultate. Cæterùm ex vtriusque solani herba succus elicitur, qui siccatus in vmbra reconditur, & ad eadem illa pollet.

De Solano somnifico. CAP. LXXIII.

Solanum somnificum aliqui etiam halicacabum vocant: frutex est numerosis præditus ramis, densis, caudicosis, fractu contumacibus, pinguium foliorum cotoneæque mali similium plenis: flore rubro, prægrandi: fructu in folliculis croci colorem æmulante: radice denique grandi, cortice subrubro vestita. Nascitur in petrosis locis, non procul à mari. Radicis cortex drachmæ pondere in vino potus, somniferam vim habet quàm opium mitiorem: fructus autem potenter vrinam cit: atque adeò corymbi duodecim hydropicis exhibentur: quòd si plures numero propinentur, mentem è sua sede & statu dimouent. Sed remedio est aqua mulsa copiosa potui data. Pastillis etiam ac doloris leuamentum præbentibus medicamentis succus eius admiscetur. Idem decoctus in vino si ore contineatur, doloribus dentiũ succurrit. Cæterùm radicis succus cũ melle inunctus, oculorũ hebetudines tollit.

De Solano manico seu furiali.

CAP. LXXIIII.

Solanum manicum seu furiale nonnulli peris-

perisson, alij thryon appellauêre. Huic folium erucæ proximum, at maius, ad acanthi, quem pæderotá vocant, folium accedens. Caules verò à radice proceros emittit decem aut duodecim, vlnæ altitudine adolescentes: caput in cacumine oliuæ figura, at platani pilularum instar hirsutius, maius tamen illa atque crassius: florem nigrum, cui succedit fructus racemosus, rotundus, niger, denis aut duodenis constans acinis, corymbis hederæ similibus & ceu vuæ mollibus. Radix subiacet candida, crassa, concaua & ferè cubitalis. Nascitur in montosis locis vento perflatis, atque littoralibus petris. Vis ea radici, vt drachmæ vnius pondere pota ex vino, vanas species & imagines haud iniucundas menti repræsentet: duplicatus autem hic modus ad triduum vsque insaniam, seu mentis alienationem faciat: & quadruplicatus, mortem etiam repræsentet. Remedio est, aqua mulsa largiùs epota, móxque identidem vomitione reddita.

De Dorycnio. CAP. LXXV.

DORYCNION (Crateuas halicacabum aut caleam vocat) frutex oleæ nuper prodeunti similis: nascitur in petris non procul à mari, ramis cubito breuioribus, foliis oleæ similibus colore, at minoribus firmioribúsque ac vehementer asperis, flore

candido, folliculis in cacumine densis, ceu ciceris: in quibus quina senáve minuta semina, rotunda, exigui erui magnitudine, læuia, firma & versicolora: radix ad digiti crassitudinem & cubiti longitudinem adolescit. Et hoc quoque somniferum esse creditur: copiosius verò haustum, enecare. Nec desunt qui dicant, eius semen in amatoria expeti.

De Mandragora. CAP. LXXVI.

MANDRAGORAM nonnulli antimalum, aliqui dircæam, alij etiam circæam iccircò vocant, quòd credatur radix in amatoriis efficax esse. Duo eius genera: niger, qui fœmina existimatur, thridacias appellatus, foliis est quàm lactucæ angustioribus & longioribus, virosis ac graueolentibus, in terra sparsis: atque inter ipsa, mala gerit sorbis similia, ex luteo pallida, odorata, & in his semen ceu pyrorum. Radicibus autem inhæret bene magnis, binis ternísve inuicem implicitis, nigris foris, intus albis, crasso cortice vestitis: caule verò viduus est. Alterius candidi, qui & mas dicitur, & nonnullis morion vocatus est, folia sunt magna, alba, lata, læuia ceu betæ: poma quàm prioris duplo maiora, colore in crocum inclinante, iucundè cum grauitate quadam olentia: quæque, si mandantur à pastoribus, ij quodam-

quodammodo ſoporantur: radix antedictæ ſimilis, at maior atque candidior: orbata & hæc caule. E radicis recenti cortice tuſo ac prælis ſubiecto ſuccus exprimitur, quem in ſole verſatum, vbi denſatus fuerit, fictili vaſe recondi oportet. Succus fit & è malis ſimili planè modo, ſed aliquantò ignauior. Quin & detractus radici cortex filóque traiectus, ad vſum ſuſpenditur. Aliqui radices in vino ad tertias decoquunt, excolatúmque ius aſſeruant, eiúſque cyathum vnum propinant in peruigiliis grauioribúſque partium quarumuis doloribus: itémque ante ſectiones vſtionéſve, vt ne ſentiantur. Ipſe verò liquor binis obolis ex aqua mulſa potus, vèrarri inſtar supernè pituitam bílémque atram extrahit: at potu largiore, vitam adimit. Miſcetur & oculorum medicamentis, iíſque quibus dolores leniuntur, ac peſſis quoque mollientibus. Per ſe autem ſemioboli pondere appoſitus, menſes ciet atque partus: ſedi quoque pro balano inditus, ſomnum conciliat. Porrò & radix ebur emollire fertur, quæ ſenis horis cum eo decocta fuerit: prætereáque ita tractabile ipſum efficere, vt quam quiſque voluerit formam facilè ſuſcipiat. Folia verò recentia, oculorum inflammationibus, iíſque quę vlceribus ſuperueniunt, cum polenta conuenienter imponuntur.

Sed & duritias omnes, apostemata, strumas & tubercula discutiunt. Eadem si quinis senísve diebus leniter affricentur, stigmata citra exulcerationem delent. Illa quoque ad eosdem vsus in muria seruantur. Radix autem ex aceto trita, erysipelatis medetur: serpentium autem ictibus, cum melle aut oleo. At ex aqua, strumas atque tubercula dissipat, & articulorum cruciatus cum polenta sedat. Paratur & citra cocturam vinum è cortice radicis, dum ternæ minæ in vini dulcis cadum coniiciuntur: atque dantur ex eo terni cyathi iis qui secari vríve debent, vti antè dictum est: neq; enim somno sopiti altiore dolorẽ percipiũt. Poma verò & olfactu & cibo sunt soporifera, itémque expressus ex iis succus. At illa seu nimio odore, seu etiam largiore cibo, vocis vsum præcludunt. Semen autem ipsorum epotum, vuluam purgat, subditúmque cum sulphure ignem minimè experto, rubrum sistit fluorem muliebrem. Cæterùm circunscarificata punctísque multifariam aperta radice liquor seu lacryma erumpit, quæ quidem in cauitatem recepta colligitur. At succus hac lacryma efficacior est. Neque verò, quod experientia testatur, vbique lacrymam radices fundunt. Porrò & alium tradunt esse mandragoram, qui morion etiam nominetur. Nascitur is in

opacis & iuxta ſpecus, foliis albi mandragoræ, at minoribus, penè dodrantalibus, candidis, radicem ambientibus: quæ quidem tenera eſt candidáque, paulò maior palmo, pollicémque craſſitudine æquat. Hanc narrant epotam drachmæ pondere, aut cum polenta in placenta obſonióve deuoratam, infatuare, vſúmque rationis intercipere. Obdormiſcit enim homo eadem quà illam comederit figura, ſenſus impos ternis quaterníſve ex quo data eſt horis. Sed & illa Medici vtuntur, cùm ſecandi vrendíve neceſſitas adeſt. Aiunt inſuper pro antidoto eſſe radicem, ſi cum ſolano manico bibatur.

De Aconito. CAP. LXXVII.

ACONITVM aliqui pardalianches, alij cammarum, alij thelyphonõ, alij myoctonon, alij denique theriophonon appellauêre. Folia habet terna quaternáve, ceu cyclamini aut cucumeris, minora tamen ac leniter aſpera, caulem dodrantalem: radix ſcorpij caudam æmulatur, & alabaſtri modo ſplendet. Huius, vt aiunt, radice admota ſcorpius quaſi reſolutus torpeſcit, rurſúmque appoſito elleboro excitatur. Miſcetur & oculorum medicamentis doloris leuandi vi præditis. Enecat verò pantheras, ſues, lupos ac ferarum genus omne, carnium fruſtulis inditum & appoſitum.

De Aconito altero. CAP. LXXVIII.

Aconitum alterum, quod nonnulli cynoctonon, alij lycoctonon vocant, plurimum in Italia nascitur Vestinis montibus, à priore distans. Siquidem folia gerit similia platani, sed altioribus diuisa incisuris, minoráque multò & nigriora, caulem pediculi filicis instar nudum, cubitali altitudine aut etiam maiore, & semen in siliquis aliquatenus oblongis: radices verò in modum squillæ marinæ cirrorum nigras, quibus ad venationem luporum vtuntur. Insertæ siquidem crudis carnibus & à lupis deuoratæ, eos enecant.

De Cicuta. CAP. LXXIX.

CICVTA caulem edit geniculatum, vti & fœniculum, grandem: folia ferulæ, sed angustiora & graui odoratu: in cacuminibus autem ramorum propagines & vmbellas, florem quoque albicantem & semen ceu anisi, at candidius: radicem denique concauam miniméque profundam. Est & cicuta in lethalium venenorum genere, quippe quæ vi sua refrigeratoria enecet: merum verò remedio est. Porrò contusis cacuminibus seu coma ipsa, priùs quàm semina siccescăt, succus exprimitur, qui deinde Sole densatur atque cogitur. Huius autem arefacti multiplex est in medicina vsus. Siquidem collyriis

doloris

doloris sedandi vi preditis commodè miscetur, & herpetas ac erysipelata illitu restinguit. Herba verò cum coma trita testibúsque circumlita, libidinis in somno imaginationi simul & seminis profusioni obnoxiis opitulatur. Sed & genitalia illitu effœta languidioráque reddit. Lac itidem extinguit, & virginum mammas crescere non patitur: ac puerorum quoque testes nutrimentô defectos ita reddit, vt intabescant. Maxima efficacissimáque vis Creticæ, Megaricæ, Atticæ, & in Chio ac Cilicia nascenti.

De Taxo. CAP. LXXX.

SMILAX à quibusdam thymalus, à Latinis Taxus appellatur, arbor abietis magnitudine & foliorum eiusdem figura, in Italia & Narbonensi Gallia Hispaniæ contermina nascens. Sed nigrescunt pulli gallinacei, qui Italicæ taxi fructu vescuntur: & qui eundem ederint homines, alui profluuiis corripiuntur. Narbonensis verò tam præsentis est veneni, vt qui sub eius vmbra sederint obdormieríntve, lædantur, & sæpenumerò etiam moriantur. Cæterùm hæc de taxo traduntur eo consilio, vt ab ea quisque caueat.

De Apocyno. CAP. LXXXI.

APOCYNON aliqui cynanchon, nonnulli pardalianches, alij cynomoron,

alij denique cynocramben, hoc eſt, braſſicam caninam, appellant. Eſt verò frutex longis conſtans virgultis, vitilium modo obſequioſis, fractúque ferè inuictis: foliis hederæ, attamen mollioribus & per extremum acutioribus, grauíque odore, quadantenus viſcoſis, & luteo ſucco turgentibus. Fructus ceu fabarum ſiliqua digiti longitudine protenditur, folliculari ſpecie, minutis intus ſeminibus duris, paruis atque nigris. Huius folia cum ſubacta farina in panes coacta & in cibo data, canes, lupos, vulpes & pantheras necant, ac protinus earum quadrupedum coxendices reſoluunt.

De Nerio. CAP. LXXXII.

NERION quibuſdam rhododaphne, aliis rhododendron vocatum, frutex eſt vulgaris notitiæ, longioribus craſſioribúſque foliis quàm ſint amygdalina: flore ad roſæ ſimilitudinem conformato, & ſiliqua fructui amygdalino proxima: quæ quidem dehiſcens, lanoſa quadam natura acanthij pappos repræſentante plena reperitur: radice acuminata & longa, lignoſa atque guſtanti ſalſa. Naſcitur in viridariis, maritimíſque locis, & ſecus amnes. Flores ac folia canibus, aſinis, mulis & pleriſque quadrupedibus venena ſunt: hominibus verò, contra venenatarum beſtiarum morſus præſidia, ſi è vino

biban-

bibantur, eóque magis ruta addita. Imbecilliores autem animantes, vti capræ ac pecudes, ſi aquam biberint in qua illa maduerint, moriuntur.

De Fungis. CAP. LXXXIII.

FVNGORVM differentia duplex. Aut enim edules ſunt, aut exitioſi & perniciales. Ac tales quidem multis de cauſis euadunt: nempe quia iuxta clauos rubiginoſos, aut putridos pannos, aut ſerpentium latibula gignantur: aut etiam arboribus, quæ priuatim noxios pariunt fructus, adnaſcantur. Habent porrò & qui tales ſunt concretum quendam ſtrigmentíque modo viſcoſum intra ſe lentorem, ac etiamnum poſteaquàm terra ſunt eruti ſi reponantur, celeriter corrumpuntur & computreſcunt. At innocentiores, quíque veneno imbuti non ſunt, gratiam iuribus conciliant, iucundíque ſunt ſaporis. Veruntamen & hi ipſi largiùs ſumpti, nocent: quippe qui ægrè concocti ſtrangulant, aut choleram morbum accerſunt. Remedio eſt nitri & olei, aut lixiuij cum acida muria potus, hauſtúmve thymbræ decoctæ origaníve iuſculum. Eſt & remedio fimum gallinaceum ex aceto potum, aut ex copioſo melle delinctum. Cæterùm alibiles illi ſunt, ægréque diſſoluuntur: quin & integri vtplurimùm vnà cũ recrementis alui reiiciuntur.

De Colchico. CAP. LXXXIIII.

COLCHICVM, quod aliqui ephemerum, alij agrestem bulbum vocant, sub finem autumni florem edit croci candicantem: deinceps verò folia bulbi, sed pinguiora: caulem dodrantalem cum rufo semine: radicem cortice præditam è nigro fuluescente: quæ quidem delibrata candida, tenera, succi plena atque etiam gustanti dulcis reperitur. Habet verò bulbus eius mediam rimam fissurámve, è qua flos erumpit. Plurimum in Messenia & apud Colchos enascitur. Comesa radix, fungorum more strangulando enecat. Hanc autem ideò studiosiùs descripsimus, vt ne fortè per imprudentiam pro esculento bulbo in cibos recipiatur: mirum enim quantum saporis iucunditate imperitos alliciat. Opem ferunt eadem quæ fungis deuoratis, insupérque lac bubulum epotum ita auxiliatur, vt si affuerit, aliud nullum desideretur auxilium.

De Ephemero. CAP. LXXXV.

EPHEMERVM, quod alij agrestem irin appellant, caulem foliáque habet lilij, sed hæc tenuiora: flores candidos, amaros: semen molle: radicem vnam digitali crassitudine, longam, astringentem, odoratam. Nascitur in syluis & opacis. Huius radix dentium doloribus præcipua, si decocto ij colluan-

colluantur. Folia verò in vino cocta illitáque, œdemata tuberculáque discutiunt, quæ quidem humidi nihil dum contraxêre.

De Helxine. CAP. LXXXVI.

HELXINE, quam nonnulli parthenium, alij perdicium, alij sideritin seu Heracleam, alij vitrariam seu vrceolariam, alij ixinen syluestrem, alij clibadium, alij deniq; polyonymon appellant, nascitur in maceriis & parietinis. Cauliculos profert tenues ac leuiter rubentes, folia mercurialis, hirsuta: & circa caules velut exigua semina, aspera, vestibus adhærescentia. Vim habent folia refrigeratoriam & astringentem: qua ex causa sanant illitu erysipelata, condylomata, adusta, incipientes panos, omnéque inflammationis genus & œdemata. Succus eius cum cerussa, erysipelatis & herpetibus vtiliter illinitur: vti & podagris, si cerato cyprino aut hircino seuo exceptus fuerit. Veterem quoque tussim emendat succus, instar cyathi haustus. Quin & tonsillis inflammationem sentientibus vtiliter & gargarizatur & oblinitur, necnon & aurium dolorem cum rosaceo instillatus leuat.

De Alsine. CAP. LXXXVII.

ALSINEN alij myosota vocant, quoniam foliis musculorum auriculas imitetur. Alsine verò dicta est, quòd opacis

nemorosisque locis gaudeat. Herba est helxinæ similis, at humilior, longioribúsque foliis ac minimè hirsuta: & cùm teritur, odorem cucumeris reddit. Vim porrò refrigerandi astringendíque obtinet: quamobrem oculorum inflammationibus commodè cum polenta illinitur, auriúmque dolori succus infunditur: denique ad eadem omnia quæ helxine valet.

De Lenticula palustri.
CAP. LXXXVIII.

LENS palustris in aquis pigris stagnantibúsque reperitur, muscus scilicet lenticulæ similis, refrigeratoriæ naturæ: propter quod omnibus inflammationibus, erysipelatis, podagrísq; & per se & cum polēta conuenienter imponitur: insupérque puerorum enterocelas agglutinat.

De Semperuiuo magno.
CAP. LXXXIX.

SEDVM magnum Semperuiui nomen sibi vendicat, quoniam folia semper vireant. Caules edit cubitales, aut etiam altitudinem eam excedentes, crassitudine pollicari, pingues, egregiè virentes, characiæ tithymali modo incisuris distinctos: folia pinguia, pollicari magnitudine, & extremo cacumine linguæ similia: & infima quidem in terram conuexa: quæ verò sunt in capite, ita

conferta

conferta adductáque inuicem, vt orbiculato ambitu effigiem imitentur oculi. Naſcitur in locis montoſis & argilloſis. Sunt & qui ipſum ſupra domicilia ſerant. Vis ei perfrigerare & aſtringere. Quamobrem folia tum per ſe, tum etiam cum polenta impoſita, valent ad eryſipelata, herpetas, nomas, oculorum inflammationes, ambuſta & podagras. Succus autem ad capitis dolores cum polenta & roſaceo inſtillatur: morſis à phalangio potui datur, itémque profluuio alui laborantibus atque dyſentericis. Sed & teretes lumbricos pellit ex vino potus, & fluorem muliebrem ſiſtit, in vellere ſubditus: denique oculorum lippitudinibus à ſanguine oborris vtiliter inungitur.

De Semperuiuo paruo. CAP. XC.

Semperuiuum minuſculum in parietinis, petris & maceriis, nec non & ſcrobibus opacis naſcitur: cauliculis ab vna radice multis, tenuibus: qui quidem crebris cincti ſunt puſillis foliis, iíſque rotundis, pinguibus, exilibus, mucronatis. Promit & à medio caulem palmum ferè altum, vmbella floribúſque tenuibus & ex luteo pallidis præditum. Folia eiſdem cum priore viribus pollent.

De Semperuiuo tertio. CAP. XCI.

Videtur & tertium eſſe ſemperuiui genus, quod aliqui portulacam agreſtem aut

telephium vocauerunt, Romani Illecebram, pusillis foliis crassiusculis ad portulacæ similitudinem ac densis. Nascitur in petris. Vis ei excalfactoria, acris & exulcerans: impositúmque cum axungia strumas discutit.

De Vmbilico Veneris. CAP. XCII.

COTYLEDON aliis scytalium, seu cymbalium, folio est acetabuli instar orbiculato atque concauo, ita tamen vt cauum id aciem propè fugiat: breui in medio cauliculo, in quo semen inest: radice oliuæ modo rotunda. Radicis foliorúmque succus cum vino circumlitus aut infusus, astricta pudenda laxat: herba verò inflammationibus, erysipelatis, perniunculis ac strumis, itémque stomacho æstuanti vtiliter imponitur. At folia cum radice comesa, calculos comminuunt, vrináſque cient, & hydropicis ex mulso dantur. Est & ipsius herbæ vsus ad amatoria.

De Vmbilico Veneris altero.

CAP. XCIII.

EST porrò & alterum Cotyledonis genus, latioribus foliis, iisque pinguibus, ac ceu lingulas referentibus, densis consertísque circa radicem, & velut oculum in medio constituentibus, (quemadmodum de maiore semperuiuo dictum est) astringentis gustus, cauliculo tenui, in cuius summo flores

sunt

funt & femina hyperici: radice maiufcula. Vfus eius ad eadem quæ femperuiui.

De Vrtica. CAP. XCIIII.

VRTICAE, quæ Græcorum plerífque acalyphe, aliis cnide dicitur, duo genera: vna fiquidem agreftior eft, afperioribus, latioribus nigrioribúfque foliis, femine lini, at minore: altera non æquè afpera, minuto femine. Vtriufque folia illita fale addito, canis morfibus medentur: itémque in gangrænam vergentia, maligna, carcinode fordidáque vlcera, necnon & luxata, tubercula, parotidas, panos & abfceffus fanant. Lienofis eadem cum cerato imponũtur. Faciunt & ad fanguinis è naribus profluuia folia ipfa cum fucco trita & naribus indita: menfes quoque ciunt eadem detrita cum myrrha & appofita: fed & procidentes vuluas admota recentia folia reftituunt. Semen autem ex paffo potum, Venerem ftimulat, vuluámque aperit. Idem cum melle delinctum, orthopnœæ, lateris & pulmonum inflammationibus prodeft: thoracem purgat, ac fepticis etiamnum medicamentis admifcetur. Porrò cum conchyliis cocta folia, difficilem ventrem emolliunt, inflationes difcutiunt, vrináfque cient. At cum ptiffana decocta, vitia pectoris excreabilia faciunt. Mulierum denique mẽfes euocat foliorum decoctum,

cum myrrhæ modico potum. Inflammatam verò vuam gargarizatus ſuccus reprimit.

De Galiopſi. CAP. XCV.

GALIOPSIS, quam alij Galeobdolon vocant, toto frutice cum caule & foliis vrticam refert. At læuiora ſunt folia, & valdè grauem odorem trita reddunt: flores verò tenuęs ſunt ac purpuraſcentes. Naſcitur circa ſepes, ſemitas ædificiorúmque areas vbique. Folia, ſuccus, caulis ac ſemen, duritias, carcinomata, ſtrumas, parotidas & panos diſcutiendi vim habent. Sed eiuſmodi cataplaſma addito aceto tepidum bis die imponi oportet. Ex vſu eſt & herbæ decocto fouere. Cæterùm & ad nomas, gangrænas & putreſcentia vlcera, cum ſale folia efficaciter imponuntur.

De Gallio. CAP. XCVI.

GALLIVM, aliis galerium ſiue galatium, nomen ex eo traxit, quòd coaguli vice lac cogat & coagulet. Ramulum foliúmque habet aparinę ſimillimum, rectum: florem in cacumine luteum, tenuem, denſum, copioſum, odoratum. Flos igni ambuſtis illinitur, ſanguiníſque profluuia ſiſtit. Admixtus & oleo roſaceo, inſolatúſque vſquedũ albeſcat, medicamẽtũ fit acopon, ſeu leuãdis laſſitudinibus aptũ. Radix Venerem concitat. Cæterùm naſcitur in paluſtribus.

De

De Senecione. CAP. XCVII.

SENECIO, cauliculo est cubitali, subrubicundo, foliolis crebris & erucæ modo per extremitates diuisis, sed minoribus multò: floribus in luteum vergentibus, qui quidem citò dehiscunt ac deflorescentes in pappos abeunt. Atque inde etiam Erigerontis nomen Senecio apud Græcos inuenit, quod vere flores capillorum ritu canescant. Radix est superuacua. Nascitur porrò maximè in maceriis & circum oppida. Folia cum floribus refrigerandi vim habent, proindéque illita cum vini modico aut etiam per sese folia, testium & sedis inflammationes sanant: quin & ex manna thuris cùm reliquis medentur vulneribus, tum iis quæ neruis inflicta sunt. Illiti quoque pappi per se cum aceto, idem præstant: verùm recentes epoti, strangulant. Totus autem caulis si ex aqua coctus cum musto potui detur, stomachi dolores à bile contractos persanat.

De Thalictro. CAP. XCVIII.

THALICTRVM folia coriandri habet, at pinguiora: cauliculum rutæ crassitudine, in quo folia: quæ quidem trita, illitu diuturna vlcera ad cicatricem perducunt. Nascitur præcipuè in campestribus.

De marino Musco. CAP. XCIX.

MVSCVS marinus in ſaxis teſtíſque piſcium ad mare naſcitur, capillaceus, gracilís, ſine caule, valdè aſtringentis guſtus: ad inflammationes & podagras, quas refrigerare opus eſt, efficax.

De marino Fuco, ſeu alga. CAP. C.

E Fuci marini generibus quoddam latum, alterum oblongum & quadantenus puniceum, tertium candidum, quod in Creta naſcitur iuxta terram, pulchrè floridum, neque corruptioni obnoxium. Omnia genera vim habent refrigeratoriam, in cataplaſmatis, ad podagras & inflammationes efficaciter vtilem: verùm iis adhuc humentibus vti conuenit, priuſquam exareſiant. Nicander puniceum aſſerit aduerſus ſerpentes valere: idipſúmque eſt quo exiſtimauêre nonnulli colorem ſuum mentiri mulieres: cùm tamen radicula ſit eiuſdem nominis, qua ſeſe fucant.

De Potamogetone. CAP. CI.

POTAMOGETON, folio eſt betæ ſimili, denſo & paululum ſupereminente extra aquam. Porrò refrigerat & aſtringit, proindéque conuenit prurigimibus, ac depaſcentibus vetuſtíſque vlceribus. Nomen autem ex eo inditum eſt, quòd in paludibus & aquoſis locis naſcatur.

De

De Sratiote. CAP. CII.

STRATIOTES in aquis nascens, quem alij stratioten fluuiatilem appellant, ex eo cognomentum traxit, quòd aquis supernatat, & sine radice viuit. Folium habet aizoo simile, at maius, idémque refrigerandi vi præditum. Sanguinem qui defluit à renibus potum sistit. Ex aceto autem illitum, vulnera & erysipelata, necnon & œdemata ab inflammatione vindicat.

De Stratiote millefolio. CAP. CIII.

STRATIOTES millefolius, pusillus est frutex, palmi altitudine aut etiam ampliùs assurgens, foliis pulli pennas imitantibus: sunt autem foliorum exortus breues admodum & incisuris diuisi. Folia maximè cuminum agreste, tum breuitate tum etiam scabritia, simulant: sed sunt etiamnum breuiora paulò, densiore plenioréque vmbella. Surculos in cacumine gerit exiguos, in quibus vmbellæ in modum anethi, flores parui candidíque. Nascitur in agris subasperis, præcipuéque secus vias. Herba eximij vsus ad profluentem sanguinem, vlceráque tum vetera, tum recentia, atque etiam fistulas.

De Verbasco. CAP. CIIII.

VERBASCVM genera habet summa duo: siquidem hoc album est, illud nigrum; rursúmque in albi genere, alterum

mas eſt, alterum fœmina. Ac fœminæ quidem folia ſunt braſſicæ, at piloſiora multò latioráque, & candida: caulis cubitalis aut amplior, albus, ſubhirſutus: flores candidi aut quadantenus ex luteo palleſcentes: ſemen nigrum: radix longa, guſtu acerba, craſſitudine digiti. Naſcitur in campeſtribus. Qui verò mas appellatur, albis eſt, oblongis, anguſtioribúſque foliis, ac tenuiori quoque caule. Nigrum autem albo prorſus eſſet ſimile, niſi latioribus nigrioribúſque foliis conſtaret. Eſt & Verbaſcum ſylueſtre, virgas gerens altas & arboris ſpecie lignoſas, folia ſaluiæ: habet autem vti marrubium verticillato circa virgas ambitu florem luteum, auro ſimilem. Sunt porrò & Phlomides duæ, hirſutæ, humiles, rotundíſque præditæ foliis. Tertia præter has eſt quæ lychnitis vocatur, ab aliis thryallis, foliis ternis quaterníſve aut etiam pluribus, craſſis, pinguibus & hirſutis: ea ad lucernarum ellychnia apta eſt. Porrò duûm generum primo loco recenſitorum radix aſtringit: proindéque alui profluuia laborantibus ludicri tali magnitudine vtiliter ex vino propinatur. Eius decoctum, ruptis, conuulſis, contuſis & antiquæ tuſſi auxiliatur: ac dentium quoque dolores collutione mitigat. Verbaſcum autem cui flos aureus, capillos tingit, & quocunque

loco reponatur, blattas in ſe contrahit. Co-ĉta in aqua folia, œdematis & oculorum inflammationibus imponuntur: itémque ſyderatis vlceribus, ex melle aut vino. Cum aceto quoque vulneribus medentur, & à ſcorpione ictis opitulantur. At verò ſylueſtris folia, igni ambuſtis illinuntur. Fœminæ verò folia ferunt caricis interpoſita, eas incorruptas & à putredine immunes tueri.

De AEthiopide. CAP. CV.

AETHIOPIS folia etiam habet verbaſco ſimilia, perquàm hirſuta denſaque, & circa imam radicem orbem conficientia: caulem quadrangulum, craſſum & ſcabrum, ſimilem apiaſtro aut arctio, multis concauum alis: ſemina erui magnitudine, bina in ſingulis conceptaculis: radices ab eodem ceſpite numeroſas, longas, craſſas & guſtu glutinoſas: quæ ſiccæ nigreſcunt, durantúrque vt cornua videri poſſint. Plurima in Meſſenia & Ida naſcitur. Huius radix decocta potáque, iſchiadi, pleuritidi, ſanguinis expuitioni & arteriæ ſcabritiis auxiliatur: cum melle autem eclegmatis vice aſſumitur.

De Arctio. CAP. CVI.

ARCTION aliqui arcturum vocant, folia itidem habet verbaſco ſimilia, niſi quòd hirſutiora rotundioráque ſunt: radicem teneram, dulcem & albam: caulem

mollem, longum: semen cumino paruo simile. Radix cum semine in vino decocta, dentium dolores mulcet, siquidem ore decoctum contineatur. Ambusta pernionésque eodem fouentur. Bibitur & propter ischiada vrinæque difficultatem è vino.

De Arcio, siue Personata. CAP. CVII.

ARCION, quod alij prosopida aut prosopion, quasi personatam, vocant, folia habet cucurbitæ, maiora tamen, duriora nigrioráque & hirsuta: caulem albicantem, quanquam & interdum herba hæc vidua caule reperiatur: radix grandis est, & intus quidem alba, foris verò nigra. Hæc drachmę vnius pondere pota cum pineis nucleis, cruenta expuentibus purulentáque excreantibus auxiliatur. Trita quoque, articulorum dolores ex contorsionibus contractos illitu sedat. Folia denique antiquis vlceribus vtiliter imponuntur.

De Petasite. CAP. CVIII.

PETASITES pediculo est cubitali maiore, & crassitudine pollicis, cui folium prægrande petasi modo amplum ceu fungus incumbit. Tritum id, contra maligna & phagedænica vlcera efficaciter illinitur.

De Epipactide. CAP. CIX.

EPIPACTIS, ab aliis Elleborine vocata, frutex est pusillus, perquàm exiguis constans

constans foliolis. Contra venena & iocineris vitia pota prodest.

De Capno seu fumaria. CAP. CX.

FVMARIA fruticosa est herbula, coriandri similitudine, prætenera, foliis candidioribus & cineracei coloris, vndique numerosis: flore purpureo. Huius succus acris est, claritatémque facit oculis & delacrymationem, ceu fumus: vnde & herba nomen traxit. Illitus cum gummi, duplicatos palpebrarum pilos euulsos renasci prohibet. Cæterùm herba in cibo sumpta, copiosam bilem per vrinas trahit.

De Loto satiua. CAP. CXI.

LOTVS satiua, quam aliqui Trifolium vocant, nascitur in hortis. Expressus ea succus addito melle, argema, nubeculas, albugines cæteráque vitia caliginem oculis offundentia discutit.

De Loto syluestri. CAP. CXII.

Syluestris lotus, quam alij Libyon appellant, plurima in Libya gignitur, caule bicubitali aut etiam maiore, alis multis: foliis loti trifoliæ pratensis: semine fœnigræci, at minore multò, gustu medicato. Vim calfaciendi & leniter astringendi obtinet. Tollit è facie næuos, itémque maculas à Solis ardore contractas, si cum melle perungatur. At trita per sese aut cum maluæ semine, &

ex vino aut passo bibita, doloribus vesicæ succurrit.

De Cytiso. CAP. CXIII.

CYTISVS, frutex est albus in totum, vti rhamnus, ramos spargens cubitales ac etiamnum maiores, in quibus folia fœnigræci, aut loti trifoliæ, nisi quòd minora sunt, dorsóque medio prominentiore. Ea digitis trita erucam olent, gustatáque cicer viride sapiunt. Folia vim habent refrigeratoriam: œdemata inter initia discutiunt, si cum pane trita illinantur. Eorum quoque decoctum vrinam potu ciet. Cæterùm nonnulli, quòd apes alliciat, eã propter aluearia serũt.

De Loto Ægyptia. CAP. CXIIII.

LOTVS quæ in Ægypti campis flumine inundatis prouenit, caule est [Ægyptiæ] fabæ simili: flore paruo, candido, liliaceo simili, quem tradunt ad ortum Solis aperiri & expandi, eodem occidente comprimi occludíque: hócque ampliùs, caput ipsum vespera mergi aquísque condi, rursúmque ad exortum Solis emergere extra aquam. Refert verò caput calycem papaueris maximum. In eo grana sunt ceu milij, quæ Ægyptij siccant & in panes cogunt. Radicem Lotus hæc habet mali cotonei similitudine, quæ & ipsa cruda coctáque manditur: cocta sanè, qualitate vitello oui respondet.

De Myriophyllo, seu millefolio.
CAP. CXV.

MYRIOPHYLLON, cauliculo est singulari, tenero, vnicáque nixo radice: foliis circa caulem læuibus, fœniculi similibus, iisque plurimis, vnde & nomen accepit. Est verò caulis quadantenus cauus, coloribus variis distinctus, & quasi studio atque artificio limatus & expolitus. Nascitur in palustribus. Vulnera recentia ab inflammatione vindicat, seu viride seu etiam siccum ex aceto oblinatur: præcipitatis quoque ex alto cum aqua & sale potui datur.

De Myrrhide. CAP. CXVI.

MYRRHIS, quam alij myrrham nominant, similis est cicutę caule foliísque. radicem verò habet oblongam, teneram, rotundam, odoratam, cibo non insuauem. Hæc pota in vino, phalangiorum morsibus auxiliatur. Ciet verò menstrua, & fœminarum purgationes à puerperio trahit. Eadem decocta & in sorbitione data, phthisicis subuenit. Tradunt & nonnulli, eandem bis die térve potam ex vino in pestilenti constitutione ita salutarem esse, vt arceat morbi contagia.

De Myagro. CAP. CXVII.

MYAGROS, quam aliqui melampyron vocant, herba est è cremiorum genere, bicubi-

bicubitalis, foliis rubiæ ſimilibus, pallidis: ſemen verò gerit fœnogræco ſimile, pingue: quo quidem torrefacto & tuſo virgas oblinunt, iiſque lucernarum vice vtuntur. Cæterùm hoc pingui corporis ſcabritias expoliri læuigaríque conſtat.

De OEnagra. Cap. CXVIII.

OENAGRA ſiue œnothera aut œnuris, frutex eſt arboris ſpecie, prægrandis, folio amygdalaceo, ſed latiore, liliaceo non diſſimili: floribus roſeis, magnis: radice candida, longa: cùm ſiccata eſt, vinum olente. Naſcitur in montanis. Radicis dilutum feris animantibus in potu datum, vim hanc habet, vt eas ex feritate ad manſuetudinem traducat. Quin & illitu eadem radix efferantia ſeſe vlcera mitigat.

De Cirſio. Cap. CXIX.

CIRSIVM caule eſt tenero, duûm fermè cubitorum, triangulari, ab imo foliis roſæ puſillis circundato, quæ quidem angulos habent ex interuallis ſpinoſos, ſed molles: foliis bugloſſo ſimilibus, modicè hirſutis, longioribus, ſubcandidis & per extremitates aculeatis. Eſt autem pars ſumma caulis rotunda & hirſuta, illíque inſident capitula in ſummo purpurea, quæ in pappos ſeu lanugines ſoluuntur. Huius radicem memoriæ prodidit Andreas laboranti loco adalligatam, dolores varicum ſedare.

De Astere Attico. CAP. CXX.

ASTER Atticus, [qui ab aliquibus Bubonium appellatur] virgultum eſt lignoſum, florem habens in cacumine purpureum aut luteum, per ambitum anthemidis capituli modo diuiſum, foliolis ſtellæ modo radiatis. Quæ verò caulem circundant folia, oblonga ſunt ac hirſuta. Exæſtuanti ſtomacho, oculorum & inguinum inflammationibus, ſedíque prociduæ illitu auxiliatur. Aiunt & id quod in flore purpuraſcit ex aqua potum, angina laborantibus pueríſque comitialibus opitulari. Prodeſt verò flos recens ac etiamdum humidus, inguinum inflammationi adhibitus. Si verò aridus ſiniſtra laborantis manu decerpatur, & inguini adalligetur, dolore liberat.

De Iſopyro. CAP. CXXI.

ISOPYRON vocant aliqui Phaſiolum, quoniam ad phaſioli ſimilitudinem in ſummo folio pampinum ſeu clauiculam gerat. Capitula ſunt in ſummo caule tenuia, minutorum ſeminum plena, melanthij ſaporem imitantium. At folium eſt aniſo ſimile. Semen contra tuſſim cæteráque pectoris vitia cum aqua mulſa bibitur. Sanguinem quoque excreantibus & hepaticis vtile.

De Viola nigra, seu purpurea.

CAP. CXXII.

VIOLA folium habet hederaceo minus, tenuius atque nigrius: alioqui haud ita dissimile. Cauliculus à radice medius prodit, in quo flosculus per quàm suauiter olens, purpureus. Locis nascitur opacis & asperis. Refrigerandi naturam habet: proindéque folia per se & cum polenta imposita, stomacho ardenti, oculorum inflammationibus procidentíque sedi auxiliantur. Aiunt & id quod in flore purpureum est in aqua potum, angina laborantibus puerísque comitialibus opitulari.

De Cacalia. CAP. CXXIII.

CACALIA siue Leontice, folia profert candida, prægrandiáque: è quorum medio caulis emicat rectus, albus, florem ferens bryoniæ similem. Nascitur in montibus. Huius radix in vino macerata ceu tragacantha, & delincta commanducátave per se, tussi & arteriæ scabritiei medetur. Grana verò quæ post excussum florem subnascuntur trita & cerato excepta illitáque, extendunt cutem in facie, eámque à rugis vindicant.

De Bunio. CAP. CXXIIII.

BVNIVM caulem edit quadrangulum, procerum, digiti crassitudine: folia verò

apio

apio ſimilia, verùm tenuiora multò, & coriandrinis proxima: florem anethi: ſemen odoratum, hyoſcyami ſemine minus. Ciet id vrinas, excalfacit & ſecundas euocat: lieni, renibus ac veſicæ vtile. Cæterùm ſeminis tam humidi quàm ſicci, itémque ſucci ab eo vnà cum radicibus caulibus ac foliis expreſſi vſus eſt ex aqua mulſa.

De Pſeudobunio. CAP. CXXV.

Pſeudobunium palmi altitudine fruticat in Creta, folia ramulóſque bunij ferens, acri guſtu. Quaterni eius ramuli ex aqua bibiti, tormina, ſtranguriam lateríſque dolores ſanant: diſcutiunt & ſtrumas, ſi cum ſale & vino tepentes imponantur.

De Chamæciſſo, ſeu hedera humi repente. CAP. CXXVI.

CAMAECISSOS foliis eſt hederæ, at longioribus tenuioribúſque, numeroſis: ramulis ab radice quinis ſeníſve, dodrantalibus, folioſis: floribus leucoij ſeu violæ albæ, minoribus tamen & guſtu admodum amaris: radice tenui, candida, inutili: naſcitur in cultis. Folia vtiliter bibunt iſchiadici tribus obolis in aquæ cyathis tribus, quadragenis quinquageníſve diebus. Eodem pota modo ſenis aut ſeptenis diebus, regium morbum emendant & expurgant.

De Chamæpeuce. CAP. CXXVII.

CHAMAEPEVCE lumborum doloribus propitia eſt, ſi trita ex aqua bibatur. Eſt autem herba tota viridis herbaceíve coloris, foliolis ramulíſque incuruis, floribus roſaceis.

De Buglosſo. CAP. CXXVIII.

BVGLOSSVM verbaſco ſimile eſt, folio in terra ſparſo, verùm aſpero, nigriore minoréque, bubulæ linguæ ſimili: quod vino inditum, animi voluptates augere hilaritatémque afferre creditur.

De Cynogloſſo. CAP. CXXIX.

CYNOGLOSSON folia latifoliæ plantaginis habet, at anguſtiora & minora, lanuginoſa. Caule vacat, humíque ſternitur. Prouenit in ſabuletis. Folia cum ſuillo adipe veteri trita, canum morſibus, alopeciis ambuſtíſque medentur. Ipſius verò herbæ decoctum ex vino potum, aluum emollit.

De Phyteumate. CAP. CXXX.

PHYTEVMA folia habet radiculæ, ſed minora: ſemen copioſum, perforatum: radicem paruam, tenuem, per ſumma terræ nitentem: quam ad amatoria conuenire nonnulli prodiderunt.

De

De Leontopodio. CAP. CXXXI.

LEONTOPODION duorum digitorum herbula est, foliola habens arcta, robusta, quaternûm ferè aut etiam ternûm digitorum longitudine, hirsuta; quæque radici proxima sunt lanatiora & subalbida: capitula in summis caulibus quasi perforata, in quibus flores nigri. Semen verò vsqueadeò spissa lanugine obuolutum est, vt ægrè deprehendi possit. Radix subiacet parua: quam etiam tradunt amuleti ratione alligatam ad amatoria prodesse, tuberculáque discutere.

De Hippoglosso. CAP. CXXXII.

HIPPOGLOSSON pusillus est frutex, folia habens tenuis syluestris myrti figura, comámque spinosam, & in summo ceu ligulas secundum folia exeuntes. Coma caput dolentibus amuletum vtile creditur. Malagmatis radix expressúsque succus admiscetur.

De Antirrhino. CAP. CXXXIII.

ANTIRRHINON siue anarrhinon, aliqui etiam lychnida syluestrem vocauerunt. Herba est caule foliísque anagallidi similis: floribus leucoij, minoribus tamen, purpureis: ideò etiam syluestris lychnis nominata est. Fructum verò gerit vituli narium similem, aspectu russeum. Traditur hæc amuleti instar adalligata, malis medicamētis

veneficiíſque aduerſari, iíſque gratiam conciliare, qui ea cum oleo liliaceo cyprinóve peruncti fuerint.

De Catanance. CAP. CXXXIIII.

EX Catanances generibus vna folia habet longa ceu coronopi, radicem iunci modo prætenuem: capitula ſena ſeptenáve, in quibus ſemen eruo ſimile. Areſcens in terram curuatur, & ſe contrahit ad ſpeciem vnguium milui exanimati. Altera mali paruæ magnitudinem explet, radice interim exiguæ oliuæ magnitudine, foliis quoque oleæ figura & colore, mollibus, diuiſis ac per terram ſtratis: ſemine in virgulis minuto, multis foraminibus pertuſo, ciceris figura, puniceo. Vtranque narrant nonnulli in amatoria expeti, Theſſalíſque mulieribus eſſe in vſu.

De Tripolio. CAP. CXXXV.

TRIPOLIVM in maritimis naſcitur, vbi allidit vnda, viciſsímque retrò commeat: ſed neque in mari, neque in ſicco. Folia habet iſatis, attamen craſsiora: caulem palmarem & ſuperna parte diuiſum. Eius flos ter die colorem mutare perhibetur: ita vt manè candidus, meridie purpureus, veſperi puniceus aſpiciatur. Radix eſt alba, odorata, calidi guſtus: quæ drachmis duabus in vino pota, aquas vrinámque per aluum extrahit.

hit. Conciditur & in medicamenta quæ Alexipharmaca vocant.

De Adianto. CAP. CXXXVI.

ADIANTVM, aliis polytrichon, pusilla gerit folia, coriandri similia, in extremo incisuris diuisa: virgulas verò è quibus ea prodeunt nigro colore nitentes, prætenues & palmum altas: at neque thyrsum, neque florem, neque semen profert: radix est superuacua. Herbæ decoctum epotum, suspiriosis & alioqui ægrè spiritum ducentibus, felle suffusis, spleneticis & vrinæ difficultate laborantibus auxiliatur. Calculos quoque frangit, aluum sistit, & venenatorum morsibus resistit: contra stomachi fluxiones in vino bibitur: menstrua ciet, & quę à puerperio purgamenta relinquuntur: sed & sanguinis reiectionem inhibet. Contra venenatorum morsus herba cruda illinitur: alopecias eadem densat, strumásque dissipat. Ex lixiuio, surfures & manantia capitis vlcera detergendo exterit. Cum ladano autem ac myrtino & susino, aut etiam œsypo ac vino, defluentes capillos cohibet atque confirmat: sed & affrictum eius decoctum cum lixiuio & vino, idem præstat. Facit & gallinaceos & coturnices pugnaciores, in cibum eorum additum:

circa ouilia quoque, pecorum vtilitatis gratia, plantatur. Cæterùm vmbrosis & palustribus locis & in parietibus aspergine humentibus, circáque fontes prouenit.

De Trichomane. CAP. CXXXVII.

TRICHOMANES, quod & nonnulli adiantum appellant, locis iisdem nascitur, filici simile, at longè exilius: foliis tenuibus, ordine vtrinque dispositis, lenticulæ similibus, aduersis inter se, in virgulis itidem tenuibus, splendentibus, nigricantibus, iisque acerbis. Eadem quæ & modò dictum adiantum præstare posse creditur.

De Xanthio. CAP. CXXXVIII.

XANTHIVM, alij phasganon, alij antithesion, alij chascanon, alij chœradolethron, [quasi strumarum perniciem] aliqui & aparinen vocant. Nascitur læto & pingui solo, itémque in paludibus exiccatis, caule cubitali, pingui, anguloso, & prodeuntibus ex eo alis compluribus: folia verò habet atriplicis, incisuras habentia, nasturtium odore imitantia: fructum teretem, grandis oliuæ instar, & platani pilularum modo spinosum, qui quidem contactu vestibus adhærescit. Is antè collectus quàm perfectè siccescat, deinde tusus & fictili vase reconditus, flauos facit capillos: siquidem, cùm vsus exigit, eius sextarij semissem aqua tepida

tepida diluas, móxque eo caput nitro antè perfrictum illinas. Sunt & qui in vino tundant, itáque asseruent. Cæterùm fructus commodè quoque œdematis imponitur.

De Ægilope, siue festuca.
Cap. cxxxix.

AEgilops, herbula est folia tritici habens, sed molliora, & in summo capite semina suis inclusa folliculis bina ternáve rubra, è quibus aristæ veluti capillaceæ exeunt. Herba cum farina imposita, sanat ægilopas, duritiásque discutit. Ad eadem succus cum farina permixtus siccatúsq; reconditur.

De Bromo. Cap. cxl.

BRomus, herba est Ægilopi similis, exiccatoriam vim habens. Quamobrem si cum radicibus in aqua decoquatur ad tertias, iuríque colato par modus mellis admisceatur, rursúmque discoquatur dum mellis crassitudo fiat, medicamentum parabitur: quo quidem imbutum linteum & naribus etiam per se inditum, ad graueolentia narium vlcera erit efficax. Sunt qui tritam aloën addant, eodémque modo vtantur. Cæterùm cum rosis siccis in vino decocta, grauem oris halitum emendat.

De Glauce. Cap. cxli.

GLaux foliis cytiso aut lenticulæ similis est, quæ quidem supernè virent,

auersáque candidiora spectantur: ramulos verò spargit à terra quinos senósve, tenues, à radice dodrantales: flores autem violæ albæ, purpurei exeunt, attamen minores. Nascitur iuxta mare. Ipsa decocta cum hordeacea farina, sale & oleo, in sorbitione lactis vbertatem intermissam restituit.

De Polygala. Cap. CXLII.

POLYGALA, frutex breuis est, palmi altitudinem petens, foliis lenticulæ, gustu subacerbo. Potus is, lactis itidem abundantiam facere creditur.

De Osyride. Cap. CXLIII.

OSYRIS, herba est surculacea, colore nigro, tenuibus virgis, fractúque contumacibus: in quibus foliola terna, interdum & quaterna, quina, senáve, ceu lini, nigra initio, deinde colore mutato rubescentia. Decoctum eius potum iuuat arquatos.

De Smilace aspera. Cap. CXLIIII.

SMILAX aspera folia habet periclymeni, sarmenta multa, tenuia, paliuri aut rubi modo spinosa: & sese arboribus circumuoluit, per eas sursum deorsúmque repens. Fructum verò profert racematum, ceu exilem labruscæ racemulum, qui quidem vbi maturuit, colore est rubro, gustúmque leniter quodammodo mordet: radice denique est dura crassáque. Nascitur locis palustribus & asperis.

aſperis. Folia fructúſque contra venena efficacis antidoti vim habent, ſiue antè, ſiue poſteà bibantur. Quin & memoriæ proditum eſt, ſiquid ex his infanti recens nato tritum propinetur, nulla ei poſteà venena nocitura. Inciditur & ad alexipharmaca, id eſt, ad ea medicamenta quibus venena arcentur.

De Smilace laui. CAP. CXLV.

Smilax læuis folia habet hederacea, ſed molliora, læuiora tenuioráque, itémque flagella æquè ac prior, ac nullis ſpinis horrida: quibus tamen haud ſecus ac illa arbores ſcandit, iis ſeſe circumuoluens: ſemen verò gerit ceu lupini, nigrum, exiguum, ſupra quod flores perpetuò viſuntur candidi, vndique numeroſi & orbiculati. Ex hac porrò ſmilace per æſtatem topiarij operis vmbracula factitantur: at folia per autumnum amittit. Cæterùm ſemen cum dorycnio potum ternis ſingulorum obolis, vt ſomnia tum varia, tum etiam tumultuoſa videantur, efficere perhibetur.

De Ruſco, ſeu Myrto ſylueſtri.

CAP. CXLVI.

MYRTVS ſylueſtris ſeu oxymyrſine, folium fert myrti, ſed latius, ad formam lanceæ mucronatum: fructum rotundum, medio folio inhærentem, qui per maturitatem rubet, nucleúmque oſſis inſtar durum

complectitur. Ramuli ab vna eadémque radice numerosi exeunt, vitilium modo lenti, fractu contumaces, cubitales, foliosi: radix graminis similis, gustanti acerba & subamara. In asperis & præruptis locis enascitur. Folia & baccæ in vino potæ, vrinas cient, menses pellunt, & calculos vesicæ frangunt. Morbo quoque regio, vrinę stillicidio & capitis dolori medentur. Sed & radicis decoctum in vino potum, eosdem illos præbet effectus. Porrò & cauliculi pullulare incipientes, asparagorum vice ac olerum modo in cibo sumuntur: sunt autem amari, vrináſque cient.

De Lauro Alexandrina.

Cap. CXLVII.

LAVRVS Alexandrina, quam aliqui Idæam, aliqui danaën, alij hypoglottion, alij zalæam, alij denique stephanen vocant, foliis est myrti syluestris, maioribus tamen, mollioribus & candidioribus: fructu in mediis foliis rubro, ciceris magnitudine. Ramos verò per terram spargit dodrantales, interdum etiam maiores: radice myrti syluestris simili, at maiore, odorata, mollioréque. Nascitur in montosis. Radix drachmarum sex pondere in vino dulci pota, difficulter parientibus vrinæq; stillicidio laborantibus auxiliatur. Sed & sanguinem etiam extrahit.

De

De Daphnoide. CAP. CXLVIII.

DAPHNOIDES aliqui eupetalon, alij chamædaphnen, alij peplion vocant: exiguus frutex eſt, cubitalis, ramis multis à medio ſurſum verſus lori modo flexilibus & obſequioſis, iíſque folioſis. Ramulos veſtiens cortex ſupramodùm viſcoſus eſt: at folia ſunt lauri, verùm molliora, validiora, fractúque contumacia, quorum guſtatu os faucéſque mordentur & accenduntur: flores candidi: fructus, cùm ematuruit, niger: radix ſuperuacua. Naſcitur in montoſis. Folium ſeu aridum, ſeu etiam recens, potu pituitoſa per aluum deiicit: vomitus quoque ac menſes ciet: quin & commanducatum, pituitam à capite extrahit: ſternutamenta etiamnum mouet. Cæterùm & quindenæ ipſius baccæ potæ, purgant.

De Chamædaphne. CAP. CXLIX.

CHAMAEDAPHNE, quam & Alexandrinam aliqui vocauerunt, virgas promit ſingulari ramulo conſtantes, cubitales, rectas, tenues ac læues. Sed & huic folia ſunt lauri ſimilitudine, at læuiora multò tenuioráque ac viridiora: fructus rotundus, rubens, foliis annexus. Huius folia trita illitáque, capitis doloribus inflationibúſque ſtomachi ſuccurrunt: eadem bibita cum vino, tor-

mina ſedant. At ſuccus cum vino propinatus, menſes vrináſque ciet: idem quoque ſubditus in peſſo præſtat.

De Helleboro ſeu Veratro albo.

Cap. CL.

VERATRVM album folia fert plantaginis aut betæ ſylueſtris ſimilia, ſed breuiora, nigriora & dorſo rubeſcentia: caulem palmi altitudine, concauum: qui quidem tunicas quibus conuoluitur abdicat, cùm areſcere incipit. Radices ſubiacent numeroſæ, tenues ac fibratæ, ab exiguo & oblongo capitulo ceu cepa exeuntes, eidémque annexæ. Naſcitur in montoſis & aſperis. Radices meſſibus colligendæ. Optimum autem habetur veratrum, quod modicè extentum eſt, candidum, fragile, carnoſum, minimè exacutum aut iuncum referens, aut dum frangitur, puluerem emittens: ſed tenuem habens medullam, guſtúque non admodùm feruens, neque ſaliuam ſubinde ciens: huiuſcemodi ſiquidem ſtrangulat. Primatum tenet Anticyrenum. At Galaticum æquè atq; Cappadocicum, candidius eſt, iunco ſimile, maioremq; ſtrangulandi vim habet. Porrò vomitionib⁹ varij coloris humores extrahit: collyriis admiſcetur, quę caliginem oculorũ diſcutiẽdi vim habent: mẽſes pellit, partúſq; necat,

necat, appositum: sternutamenta mouet, ac mures interficit, cum melle & polenta subactum: quin & carnes colliquat & absumit, si coquatur vnà. Datur & ieiunis per se, itémque cum sesamo & prissanæ aut alicæ cremore, aut cum aqua mulsa, aut pulte, aut lente aliáve sorbitione. Sed & cogitur cum pane, atque ita inassatur. Apparatus verò insupérque victus ratio vtentibus accommodata diligenter ab iis tradita est, qui ex professo de ipsius dosi scriptitarunt. Sed maximè Philonidæ Siculo Ennæo assentimur. Longum enim foret, in hac quam præcipuè instituimus materiæ Medicæ tractatione, victus rationem ad medendum necessariam simul & semel exponere. Sunt tamen nonnulli qui dent ipsum cum larga sorbitione, aut copioso cremore: vel etiam exhibito parciore cibo pôst illicò veratrum offerant: ac iis præsertim quibus strangulationis suspicio imminet, aut corporis imbecillitas adest. Illo enim modo sumentibus purgatio periculo vacat, quòd non intempestiuè iustóve citius medicamentum corporibus accedat. Cæterùm & sedi subditæ ex eo balani, cum aceto vomitiones concitant.

De Helleboro seu Veratro nigro.

CAP. CLI.

Helleborum seu veratrum nigrum aliqui

Melampodium, alij ectomon, alij polyrrhizon vocant. Melampodion verò appellatur, quoniam caprarũ pastor nomine Melampus furẽtes Prœti filias eo primus purgasse & sanasse creditur. Folia ei viridia, platani similia, sed minora, foliis spõdylij proxima, pluribus diuisuris scissa, nigriora & subaspera: caulis breuis: flores candidi, purpurascentes, figura racemosi: semen intus cnici, quod & Anticyræi sesamoides vocant, & in purgationes adhibent. Radices subsunt tenues, nigræ, velut è capitulo quodam cepæ simili dependentes, quarum etiam vsus est. In asperis, editioribus sitientibúsque locis enascitur. Optimum quod ex locis eiusmodi petitur, quale quod ex Anticyra: nigrum enim inibi probatissimum gignitur. Eligi debet carnosum, plenum, cui tenuis medulla sit, acre denique gustu feruénsque. Huiusmodi est quod in Helicone, Parnasso & Ætolia nascitur: attamen Heliconium præcellit. Veratrum nigrum purgat per inferna, trahítque pituitam & bilem, datum per se, aut cum scammonia & sale, drachma vna seu obolis tribus. Decoquitur & cum lente, ac iusculis quæ purgationis causa sumptitantur. Prodest verò in comitialibus articulariísque morbis, itémque melancholicis, insanientibus & paralyticis. Subditum, menses trahit

&

& partus necat: fiſtulas inditum ac tertia die exemptum purgat. Similiter in auditu difficili immittitur in aurem, ibíque ad biduum triduúmve ſinitur. Scabiem quoque ſanat, cum thure aut cera & pice ac cedrino oleo perunctum. Vitiligini verò, impetigini ac lepris ex aceto impoſitum per ſe medetur. Dentium dolorem coctum cum aceto collutione mitigat. Septicis etiamnum medicamentis admiſcetur. Quin & hydropicorum ventri cum farina hordeacea & vino vtiliter imponitur. Porrò autem conſitum proximè vitium radices, vino inde expreſſo vim purgandi conciliat. Sed & eo domos aſpergunt, purgandi expiandíque vim illi tribuentes. Quamobrem & qui ipſum effodiunt, ſtantes Apollinem & Æſculapium precantur, obſeruántque aquilæ volatus: eam enim alitem tradunt non citra periculum aduolare, atque etiam ei mortem inferre, quem veratrum effodientem conſpexerit. Celeriter quoque effodiatur oportet, quoniam halitu auráve ſua caput aggrauat: quapropter ad id præcauendum, effoſſuri allia præſumunt, vinúmque ſubinde ſorbent: ita ſiquidem ab afflatu ſecuriores noxæque minùs opportuni redduntur. Cæterùm veratrum hoc, candidi modo, etiam emedullatur.

De Sesamoide magno. CAP. CLII.

SESAMOIDES magnum in Anticyra elleborum vocant, quoniam in purgationibus candido veratro miſceatur. Similis eſt herba ſenecioni aut rutæ: foliis longis, flore candido, radice gracili, inefficaci: ſemine ſeſamæ, guſtu amaro. Granum id per ſuperna pituitam ac bilem purgat, ſi tritum quantum tribus digitis capitur cum albi veratri ſeſquiobolo ex aqũa mulſa detur.

De Sesamoide paruo. CAP. CLIII.

Seſamoidi paruo cauliculi ſunt dodrantales: folia coronopi, at hirſutiora minoráque: in ſummis cauliculis capitula floſculorum penè purpureorum, quorum medium albicat: ſemen in illis ſeſamæ, amarum, fuluum: radix tènuis. Semen potum dimidio acetabulo in aqua mulſa, bilem ac pituitam per inferna purgat. Ex aqua verò impoſitum, tubercula & œdemata diſcutit. Naſcitur in aſperis.

De Cucumere ſylueſtri. CAP. CLIIII.

CVCVMIS agreſtis à ſatiuo fructu ſolo diſtat, quem longè minorem parit, oblongis glandibus ſimilem: folia ſarmentáque ſatiui refert: radix eſt candida, magna. Naſcitur in ruderibus & ſabuletis, frutice in totum amaro. Inſtillatus foliorum ſuccus, aurium doloribus confert. Radix autem illita

illita cum polenta, vetus quoduis œdema discutit: imposita cum resina terebinthina, tubercula rumpit: cocta ex aceto illitáque, podagras discutit: sed & eius decoctum ischiadicis infunditur, & in dentium dolore colluitur. Eadem arida tritáque, vitiligines, lepras & impetigines absterget: cicatrices nigras emendat, & maculas faciei repurgat. Quin & radicis succus sesquioboli pondere cùm minimùm, itémque cortex acetabuli quarta parte, bilem ac pituitam purgant, maximéque in hydropicis, ídque citra vllam stomachi iniuriam. Radicis selibra in vini præsertim Libyci sextariis duobus conteritur: dantúrque ex eo ieiunis terni cyathi tertio quoque die, dum tumor plurimùm subsederit.

De Elaterio. CAP. CLV.

E fructu cucumerum [agrestium] medicamentum fit, quod Elaterium vocatur, ad hũc modum. Cucumeres eligito, qui simulatque tanguntur quasi resiliendo succum intra se contentum eiaculentur: eósque decerptos nocte vna seruato. Postero die imposito supra craterem rariore cribro, insupérque resupinato ita cultello vt aciem sursum versus habeat, prehensós vtraque manu cucumeres singulatim diuidito, humorémque in vas subiectũ per cribrum exprimito:

ſimúlq; carnoſam cucumerum partem quæ cribro hæſit, quò & ipſa tranſmittatur, eliſdito. Expreſſum ſuccum in vicinam peluim transfundito. Aceruata autem ſuper cribro ſegminum fruſtula vbi aqua dulci perfuderis, itidémque expreſſeris, tandem abiicito. Exceptum verò pelui ſuccum agitato ac permiſceto: móxque opertum linteo Soli exponito. Ac vbi coierit, ſupernatantem aquam omnem, cum eo quod in ſummo ceu ſpuma concretum eſt, effundito: illúdque identidem facito, dum aqua ſuperſtabit. Hanc [ſi qua reliqua fuerit] poſteaquàm guttatim diligentérque excluſeris, ſedimentum ipſum mortario inditum conterito, & in paſtillos cogito. Sunt qui ad coërcendam hauriendámque protinùs humoris abundantiam cribratos cineres humi ſternunt, ac in eorum medio excauata foueola tripliſcatum linteolum obtendunt, cui elaterium cum humiditate ſua infundunt, illáque [hoc artificio] exhauſta, tandem reſiccatum ipſum in pila, vti dictum eſt, conterunt. Alij pro dulci aqua marinam affundentes, ita eluunt. Alij in poſtrema lotura mulſam affundunt. Elaterium porrò optimum creditur, quod cum candore modicè humectum eſt, minimè ponderoſum, læue, guſtu amariſſimum, quódque lucernæ admotum, facilè

accen-

accenditur. At quod porraceum est, scabrum & ad aspectum turbidum ac erui cinerisque plenum, graue & vitiosum est. Nec desunt qui cucumeris succo amylum immisceant, vt candorem & leuitatem ementiantur. A bimatu ad decennium purgationibus accommodatum est. Integra dosis eius est, obolus: minima, semiobolus: pueris, æreola duo: nam copiosiùs haustum, periculum adfert. Bilem ac pituitam per inferna pariter & superna trahit. Atque qui ægrè spirant, eo medicamenti genere fœliciter vtilitérque purgantur. Quod si in animo est per aluum purgare, adiecto salis duplo & sinapis tantillo, quantum scilicet ad colorandum satis sit, ex aqua catapotia erui magnitudine formato: quæ posteaquàm exhibueris, aquæ tepidæ cyathum vnum exorbendum dato. Sin vomitum concitare volueris, elaterium aqua diluito, intinctáque penna subiectas linguæ partes quàm penitissimè oblinito. At si æger ad vomitum difficilis fuerit, vel oleo, vel irino vnguento diluito: somnum interim inhibeto. Porrò his qui effusè ac præter modum purgantur, vinum oleo mistum frequenter propinari oportet. Etenim superuenientibus vomitionibus restituuntur. Quibus verò crebriores vomitus sisti par est, aqua frigida, polenta, posca, poma &

quæcunque ſtomachũ denſando roborant offerenda ſunt. Menſes quoque ciet, partúſque necat elaterium in peſſo ſubditum. Cum lacte verò naribus infuſum, & regium morbum depellit, & diuturnos capitis dolores ſummouet. In anginis autem efficaciter illinitur ex oleo vetere, melle, aut felle taurino. [Satiui cucumeris radix contrita & drachmæ pondere in hydromelite pota, vomitus mouet. Quòd ſi cui à cœna placidè ac citra moleſtiam vomere libuerit, oboli duo ſatis fuerint.]

De Staphide agria, ſiue herba pediculari.

CAP. CLVI.

STAPHIS agria folia quidem habet labruſcæ modo diuiſa, & cauliculos rectos, molles, nigróſque: florem verò fert glaſti, ſemen in folliculis viridibus ceu ciceris, triangulum, ſcabrum, ex nigro ſubfuleſcens, intus album, guſtu acre. Huius grana decem aut quindecim ſi trita in aqua mulſa dentur, craſſos humores vomitu purgabunt: ſed qui hauſerint, deambulare debent. Videndum nihilominùs vt iis frequenter aqua mulſa potui detur: alioqui in ſtrangulationis periculum deducuntur, faucéſque aduruntur. Herba autem ipſa trita per ſe, vel admiſta ſandaracha ex oleo illita, phthiriaſi prodeſt: itémq; pruritui & pſoris: plurimam

pituitam

pituitam commanducata trahit: & in aceto decocta, dentium doloribus ore colluto ſubuenit, gingiuarúmque fluxiones, quas Græci rheumatiſmos vocant, reprimit, & feruida oris vlcuſcula cum melle ſanat. Denique malagmatis etiam vrendi vi præditis immiſcetur.

De Thapſia. CAP. CLVII.

THAPSIA ex eo nomen accepit, quòd in Thapſo eiuſdem nominis inſula primùm inuenta fuerit. Tota verò natura ferulæ ſimilis eſt, attamen graciliore caule, & foliis fœniculo proximis, vmbellis in ſingulorum ſurculorum cacumine anethi ſimilibus: flore in iis luteo: ſemine quadantenus lato, quale ferulæ, ſed aliquantò minore: radice intus candida, foris nigra, magna, craſſo veſtita cortice, eadémque acri, cuius liquor excipitur in hunc modum: Effoſſa in ambitu ſcrobe inciditur radicis cortex: aut incauatur ipſa radix, ita tamen vt excauatio ſenſim à latiore orbe in acutum deſinat: mox cooperitur, quò purior liquor confluat: poſtero autem die congeſtum eum tolli par eſt. Eliciendi quoque ſucci ratio hæc eſt: Radix contunditur, ac ſuccus per quallum inſtrumento ad id comparato exprimitur, qui quidem fictili craſſo inditus, in ſole cogitur ſiccatúrque. Sũt & qui foliis

ſimul cum radice tuſis ſuccum exprimant, ſed inualidior is eſt. Hoc verò indicio diſcernitur qui è ſola radice manauit, quòd viroſo magis eſt odore, humidúſque permanet: at è foliis extractus, exiccatur ac teredinum iniuriam ſentit. Porrò qui liquorem colligit, minimè obuerſum vento ſtare oportet: ac potiùs tempeſtatem deligere à ventis ſilentem, quáve nulla aſpiret aura. Alioqui propter halitus acrimoniam vehementer intumeſcit facies, nudáſque corporis partes puſtulæ inuadunt. Iccircò etiam non niſi cerato quopiam aſtringente liquido priùs inunctis nudis partibus, eò accedendum. Purgandi vim habent cortex radicis & ſuccus, itémque liquor, ſi in aqua mulſa bibantur: supernè enim æquè ac infernè bilem extrahunt. Radicis modus, quaterni oboli cum ternis ſeminis anethi drachmis: expreſſi verò ſucci, terni oboli: at liquoris, obolus vnus: copioſior doſis ſalutem in diſcrimen adducit. Conuenit autem huiuſcemodi purgatio ſuſpirioſis, & in diuturnis laterum doloribus, atque difficilibus excreationibus: iis verò qui ægrè vomunt in cibariis opſoniiſve datur. Tam radix quàm liquor omnium maximè quæ pares cum eis vires ſortita ſunt, metaſyncritica vi pollent, ſiue quid ex alto euocare, ſiue ſummæ cutis

meatus relaxando corporis habitum mutari expedit. Quamobrem succus perunctione, aut radix recens affrictu, alopecias explet. Radix succúsve cum æquis thuris ac ceræ portionibus, sugillat aliuentiáque emendat: sed non plus binis horis dimittatur, ac locus deinde aqua maris calida foueatur. Tollit & maculas à Solis ardore contractas illitus ex melle succus, ac lepras remouet: sed & tubercula rumpit, cum sulphure perunctus. In diuturnis quoque lateris, pulmonis, pedum, articulorúmque vitiis vtiliter illinitur. Cæterùm valet & ad integendam colis glandem, si modò alia ex causa quàm circuncisione nudata fuerit. Tumorem enim excitat, qui & fotibus & pinguibus adhibitis emollitus, præputij iacturam resarcit.

De Spartio. CAP. CLVIII.

SPARTIVM frutex est longas proferens virgas, sine foliis, firmas, fractu contumaces, quæ in alligandis vitibus vinculi vsum præstant: siliquas ceu phaseli, in quibus exilia semina, lenticulæ similia, florem leucoij, luteum. Huius semina & flores, purgant per superna vehementer hellebori modo & citra periculum, si quinis obolis ex aqua mulsa bibantur. Semen verò deiectionem quoque mouet. Quin & ramuli in aqua macerati, mox tusi, succum dant ischiadicis &

angina laborantibus vtilem, si cyathi vnius modum ieiuni biberint. Quidam eosdem illos ramulos muria aut aqua marina macerare malunt, extractúmque succum clystere infundunt ischiadicis. Extrahit verò cruenta, quæque ramenta strigmentáve repræsentant.

De Silybo. CAP. CLIX.

SILYBVM spina est lata, foliis chamæleoni albo similis: quæ adhuc nouella, cum oleo & sale cocta, estur. Stillans è radice liquor drachmæ pondere potus ex aqua mulsa, vomitiones ciet.

De Glande Vnguentaria. CAP. CLX.

GLANS vnguentaria fructus est arboris myricæ similis, magnitudine auellanæ nucis: cuius nucleus amygdalarum amararum more tusus pressúsque liquorem reddit, quo in pretiosa vnguenta pro oleo vtuntur. Nascitur in Æthiopia, Ægypto, Arabia & Petra oppido secus Iudæam. Præfertur recens, plena, candida, quæque facilè cortice spoliatur. Ea trita & ex posca drachmæ pondere pota, lienem absumit. Quin & eidem visceri cum lolij farina, itémque podagricis cum aqua mulsa imponitur. Cum aceto cocta, psoram & lepram exterit: cum nitro, vitiligines & cicatrices nigras emendat: & cum lotio, lentigines & varos, maculas à

Solis

Solis ardore contractas & papulas in facie tollit. Vomitiones autem mouet aluúmque soluit, cum hydromelite: sed valdè stomacho aduersatur. Oleum quod ea exprimitur, aluum potu subducit: at cortex eius, magis astringit. Cæterùm quod ex ea tusa expressáque reliquum est quasi retrimentum seu magma, smegmatis immiscetur, quæ ad scabritias & prurigines accommodantur.

De Narcisso. CAP. CLXI.

NARCISSVM sunt qui, haud secus ac lilium, lirium appellarint. Foliis quidem porrum refert, at tenuia ea sunt, minoráque multò & angustiora: caulis inanis ac sine foliis supra dodrantem attollitur: flos in ipsius cacumine albus, intus croceus, & in quibusdam purpureus: radix intus candida, rotunda, bulbosa: semen velut in membrana seu pellicula, nigrum & oblongum. Probatissimus nascitur in montosis, odore suaui: reliqui porrum imitantur, & herbaceum quendam odorem resipiunt. Radix cocta seu edatur, seu etiam bibatur, vomitoria est: ambustis igni prodest, cum melle trita: præcisos neruos imposita glutinat: luxatis malleolis diuturnísque articulorum doloribus trita ex melle illitáque subuenit. Vitia cutis à sole contracta, itémque vitiliginem cum vrticæ semine & aceto emaculat: cum eruo

autem ac melle, vlcerum ſordes expurgat, & abſceſſus rumpit ægrè matureſcentes: denique infixa corpori extrahit, impoſita cum lolij farina & melle.

De Hippophaë. CAP. CLXII.

HIPPOPHAES, quo veſtes à fullonibus interpolantur, in maritimis ſabuloſiſque naſcitur. Eſt autem frutex è cremiorum genere, denſus & ſurculos ſuos quoquouerſus expandens, foliáque habens longa, oleaginis proxima: ſed anguſtiora molliorá que, inter quæ candicantes ſpinæ emicant, ſiccæ, anguloſæ, diſtantes inter ſe: flores hederæ corymbis ſimiles, ac veluti racematim ſibi inuicem cohærentes, minores tamen ac molles, candidos ſimul & ex parte puniceo colore rubentes: radicem craſſam, mollem, lactei ſucci plenam, guſtu amaram. Ex hac perinde ac è thapſia liquor excipitur, qui & per ſe & cum erui farina ſubactus ſiccatur, & ad vſum reconditur. Sincerus is, bilioſa, aquoſa pituitoſaque detrahit, oboli pondere: at erui farina exceptus, quaternis obolis ex aqua mulſa. Sed & frutex cum radicibus ſiccatus tunditur, & cum aquæ mulſæ dimidia hemina tritus exhibetur. Cæterùm è radicibus ac ſimul etiam herba ipſa ſuccus itidem haud ſecus ac è thapſia exprimitur, cuius in purgationibus modus eſt, drachma vna.

De Hippophæsto. CAP. CLXIII.

HIPPOPHAESTON, quod aliqui etiam hippophaës appellant, naſcitur iiſdem locis, quibus & hippophaës: éſtque ſpinæ fulloniæ genus. Humi verò ſternitur, ſine caule ac flore: minutis tantum foliolis, iíſque ſpinoſis, & capitulis inanibus: radice craſſa & molli. Succus foliis, radice & capitulo exprimitur: qui quidem exiccatur, atque datus cui volueris obolis tribus in aqua mulſa, aquam pituitámque detrahit: priuatim verò orthopnœæ, comitialibus, neruorúmque vitiis conuenit huiſcemodi purgatio.

De Ricino. CAP. CLXIIII.

CROTONA, hoc eſt, ricinum ſeu cici, aliqui ſeſamum ſylueſtre, alij ſeſeli Cyprium appellant. Ricini verò nomen accepit à ſimilitudine, quæ eſt illius ſemini cum ricino animali. Arbuſcula eſt paruæ ficus altitudine, foliis platani, at maioribus, læuioribus ac nigrioribus: ramis caudicibúſque cauis in harundinis modum, ſemine in vuis aſperis, quod decorticatum ricinum animal repræſentat. Ex eo oleum nomine cicinum exprimitur, cibis quidem ineptum ac fœdum: ſed aliâs lucernis & emplaſtris vtile. Grana numero triginta purgata tritáque, potu pituitam bilem aquáſque per aluum

extrahunt, ac vomitiones etiam cient. Veruntamen admodum ingrata laborioſaque eſt eiuſmodi purgatio; ſiquidem valenter ſtomachum ſubuertit. Tuſa verò & impoſita eadem, varos & vitia cutis à ſole contracta depurgant. At folia cum polentæ polline trita, oculorum œdemata inflammationéſque leniunt. Eadem ſeu per ſe, ſeu etiam ex aceto illita, lactis vbertate turgentes mammas cohibent, & eryſipelata reſtinguunt.

De Tithymalis, ſeu lactariis herbis.

CAP. CLXV.

TITHYMALORVM genera ſeptē: quorum maſculus characias, quaſi vallaris, ab aliquibus comatus, amygdaloides aut gobius appellatur: alter, qui fœmina exiſtimatur, myrtites, quem & caryitem aut myrſinitem vocant: tertius paralius, quem nonnulli tithymalidem appellarunt: quartus helioſcopius: quintus cypariſſias: ſextus dendroides, [quaſi arboreſcens]: ſeptimus denique platyphyllos, [quaſi latifolius] dicitur. Porrò Characiæ caules ſupra cubiti altitudinem attolluntur, rubri, acri lacteóque ſucco referti: folia ſunt circa ramulos oleaginis ſimilia, ſed longiora & anguſtiora: radix craſſa lignoſaque: in caulium cacuminibus coma iunci ſimilium virgultorum, ſub quibus caua quædam peluibus aut alueolis ſimilia,

ac

ac in iis ſemen. Naſcitur in aſperis & montoſis. Succus lacteus per aluum pituitam bilémque trahit, obolis binis in poſca ſumptis: at cum aqua mulſa, vomitiones etiam mouet. Circa vindemiam ſuccus is congeſtis ramulis, mox diſſectis & in vas inclinatis, excipitur. Aliqui adiecta erui farina paſtillos ex eo fingunt, qui erui magnitudinem impleant. Alij in ficos quæ exiccantur ternas quaternáſve guttas inſtillant, vt cum iis inareſcant, eiuſmodíque ficos ad vſum recondunt. Sed & per ſe tritus in pila, cogitur in paſtillos atque reponitur. Porrò qui ſuccum colligit, minimè obuerſum vento ſtare, aut oculis manus admouere oportet: quinimò antequàm operi ſeſe accingat, corpus, præſertímque faciem, collum ſcrotúmque adipe aut oleo cum vino perungere. Quoniam verò fauces idem exaſperat, catapotia quæ ex eo concinnantur, cera aut decocto melle oblini, atque ita dari par eſt. Caricas verò binas ternáſve ſoluendæ alui gratia ſumpſiſſe ſatis eſt. Recens idem ſuccus ex oleo illitos in ſole capillos detrahit, renaſcentéſque flauos & exiles efficit, tandémque omnes abolet. Dentium cauis inditus, eorum dolores leuat: ſed cera dentes oblinendi, ne fortè præterlapſus is fauces linguámve malè afficiat. Tollit & illitu

myrmecias, pensiles verrucas & quæ thymi florem repræsentant, itémque lichenas. Valet idem aduersus pterygia, carbunculos, phagedænas, gangrænas atque fistulas. Legitur semen autumno, & siccatum sole leuiter tunditur, tandémque ab aceribus repurgatum loco mundo reponitur. Similiter & folia siccata reponuntur: quæ haud secus ac semen lactei succi effectum præbent, dimidio acetabulo pota. Sunt qui ipsa inueterant, admisto etiam cum lacte, lepidio caseóque contuso. Sed & radix drachmæ pondere hydromeliti inspersa potáque, per aluum purgat. Decocta eadem cum aceto, dentium doloribus auxiliatur, siquidem ea colluantur.

De Tithymalo fœmina.

Fœmina, quam myrsiniten aut caryiten vocarunt, similis suapte natura daphnoidi: foliis myrti, sed maioribus ac firmis, in summitate acutis, atque etiam aculeatis. Sarmenta mittit ab radice dodrantalia, fructúmque profert alternis annis nuci similem, qui quidem leniter linguam mordet. Nascitur & hic in asperis. Succus lacteus, radix, semen & folia, consimilem antedicto sortiuntur facultatem. Sed ille, ad citandas vomitiones hoc ipso efficacior.

De Paralio.

Tertij generis tithymalus Paralios vocatur,

tur, quem aliqui tithymalida aut mecona appellauêre. Naſcitur in maritimis, ramis palmum altis, erectis, ſubrubentibus, quinis ſeníſve à radice exeuntibus: circa quos folia, ſerie quadam digeſta, eáque parua, quadantenus anguſta, oblonga, & lini foliis ſimilia: capite in cacumine orbiculato, in quo ſemen erui ſimile, varium, flores albi. Frutex totus cum radice lacteo ſucco turget. Idem huius qui antedictorum vſus, ſimilitérque reponitur.

De Helioſcopio.

Qui Helioſcopius dicitur, foliis eſt portulacæ, attamen tenuioribus rotundioribúſque, ramulis ab radice quaternis aut quinis, dodrantali altitudine, tenuibus ac rubentibus, lactei ſucci copioſi plenis, capite anethi: ſemine velut inter folia locato. Comam cum ſole circumagit, ideóque Helioſcopij nomen accepit. Cæterùm in ruderibus potiſſimùm & circa oppida naſcitur. Colligiter ſemen ſuccúſque, vt & aliorum: nam & eædem quæ ſuperioribus vires, non tamen vſqueadeò validæ.

De Cypariſſia.

Cypariſſias caulem profert dodrantalem, aut etiam altiorem, ſubrubrum: ex quo folia pini ſimilitudine pullulant, molliora tamen tenuioráque: atq; in totũ nuper naſcentem

pinum æmulatur, vnde & cognomen traxit. Candido & hic ſucco refertus eſt, eíque vis eadem, quæ ſuperioribus.

De naſcente in petris tithymalo. Dendroide nominato.

Qui verò in petris naſcitur, Dendroides, quaſi arboreſcens, cognominatus, folioſus eſt in cacumine, denſamque ſpargit comam, ſucco lacteo prægnans, ſubrubentibus ramis, foliis circum ipſa myrti tenuioris, ſemine characiæ. Eiuſdem eſt effectus, cuius & antedicti, ſimilíque modo reconditur.

De Platyphyllo, ſeu latifolio.

Platyphyllos verbaſco ſimilis eſt. Radix, ſuccus & folia, aquas per inferna trahunt. Piſces necat, tuſus aquáque dilutus: id quod & antè memorata tithymalorum genera præſtant.

De Pityuſa. CAP. CLXVI.

PITYVSA, quam alij clema, alij crambion, alij paralion, alij denique canopicon vocant, à cypariſſia tithymalo ſpecie differre exiſtimatur, ideóque etiam in tithymali genere connumeratur. Caulem profert cubito altiorem, crebris geniculis interſeptum, foliolis acutis ac tenuibus circundatum, pini folia imitantibus: flores exiguos, penè purpureos: ſemen latum inſtar lenticulæ: radicem candidam, craſſam, lacteo ſucco refertam.

refertam. Quibuſdam in locis frutex hic prægrandis inuenitur. Purgat per inferna radix, drachmis duabus data in aqua mulſa: ſemen verò, drachma vna. At ſucci farina excepti cochlearium in catapotio datur: foliorum denique modus, drachmæ tres.

De Lathyride. CAPI. CLXVII.

LATHYRIS, quam & aliqui tithymalon appellant, cámque tithymalorum numero aſcribunt, caulem emittit cubiti altitudine & digiti craſſitudine, inanem. Sunt porrò in ipſius cacumine alæ, & folia quidem in caule oblonga, amygdalinis proxima, ſed latiora & læuiora: quæ verò in ſummis exeunt ramulis, minora conſpiciuntur, ariſtolochiæ aut hederæ oblongæ figura. In ſummis autem ſurculis fructum gerit triplici loculamento diſtinctum, rotundum ceu capparim: in quo tria ſunt minuta ſemina incurſantibus tuniculis inter ſe diſcreta, eruis maiora, quæq́ue decorticata candida ſunt, & guſtu dulcia. Radix tenuis & candida, nullius vſus: totus verò frutex lacteo ſucco turget, vti tithymalus. Aluum purgant grana ſeptem octóve in catapotio ſumpta, vel eſitata, & cum caricis palmulíſve deuorata: ſed aqua frigida poſteà ſorbeatur. Trahunt autem pituitam, bilem & aquas. Succus tithymalini modo exceptus, eundem

repu-

effectum præbet. Cum gallinaceo etiam aut oleribus folia decoquuntur in eosdem vsus.

De Peplo. CAP. CLXVIII.

PEPLON, alij sycen, alij papauer spumeum appellant: exiguus frutex est, lactei succi plenus, folio paruo ceu rutæ, at latiore: vniuersa coma ferè dodrantali, rotunda, humi sparsa: semine sub foliis paruo, rotundo, minore quàm candidi papaueris. Herba multiplicis est vsus, at radicem habet vnicam, eámque superuacuam, è qua totus frutex erumpit. Nascitur in hortis ac inter vites. Colligitur messibus, ac siccatur in vmbra, crebróque versatur. Semen verò tusum repurgatúmque reconditur. Bilis ac pituita detrahitur, acetabulo eius in hydromelitis hemina poto: opsoniis admistum, conturbat aluum. Muria quoque conditur, itáque asseruatur.

De Peplide. CAP. CLXIX.

PEPLIS, quam vocant aliqui syluestrem portulacam, Hippocrates peplion, in maritimis maximè nascitur. Frutex verò est ramulos quoquouersum expandens, & candidi succi plenus, foliis hortensis portulacæ, rotundis & infernè rubentibus: semine sub foliis rotundo, ceu pepli, feruente gustu: radice tenui, singulari ac superuacua. Colligi,

reponi,

reponi, daríque vti peplus, itidémque condiri solet: ac easdem quoque vires habet.

De Chamæsyce. CAP. CLXX.

CHAMAESYCE, quam aliqui Sycen nominant, ramos emittit quaternûm digitorum, per terram stratos, teretes, lactei succi plenos: folia lentis figura, peplo similia, parua, tenuia ac terræ inhærentia: semen sub foliis rotundum, ceu pepli: radicem tenuem ac superuacuam: sed neque florem, neque caulem promit. Rami ex vino triti & in pesso appositi, vuluæ dolores sedant: œdemata verò, pensiles verrucas & myrmecias illiti tollunt. Elixi autem si comedantur, aluum soluunt. Sed & eorundem succus, simili effectu prodest: prætereáque illitus, aduersus scorpionis ictum auxiliatur. Valet & contra oculorum hebetem aciem, itémque caliginem, incipientes suffusiones, cicatrices ac nubeculas, cum melle inunctus. Cæterùm in petrosis aridísque nascitur.

De Scammonia. CAP. CLXXI.

SCAMMONIA ramos ab vna radice multos profert, ternûm cubitorum, pingues & quadantenus hirsutos: foliis itidem hirsutis, helxinæ [cissampeli] aut hederæ similibus, sed mollioribus ac triangulis: floribus albis, rotundis, in modum calathorum con-

cauis & graueolentibus: radice prælonga, craſſitudine brachiali, candida & grauis odoris, lacteíque ſucci plena, qui quidem legitur hunc in modum: Capite exempto radix ita cultro incauatur, vt excauatio ſenſim à latiore orbe in acutum deſinat, proindéque in id cauum confluit ſuccus, qui conchis demùm excipitur. Alij poſtquàm ſcrobes in terra concamerato ſinu effoderunt, iuglandium folia inſternunt, in quæ radicis inciſæ ſuccus diffundatur, eúmque inibi ſiccatum tandem auferunt. Bonitate præſtat qui pellucidus eſt ac leuis, rarus & colore glutini taurino ſimilis, rimulis fiſtulíſve tenuibus atque fungoſus, qualis ſcilicet ex Myſia regione Aſiæ deportatur. Neque verò in probatione animaduertere ſolùm par eſt, vtrum linguæ tactu albeſcat: (hoc enim euenit etiam admiſto tithymali ſucco) ſed longè magis anteà commemoratis attendendum eſt: itémque ſi non vehementer linguam excalfaciat exurátve: id quod & miſti tithymali argumentum eſt. Natione autem Syriacus & Iudaicus deterrimi habentur, graues, denſi, erui farina & tithymalo adulterati. Succus drachmæ vnius aut quaternûm obolorum pondere hauſtus ex aqua pura aut mulſa, per inferna bilem pituitámque extrahit. Soluendæ alui gratiâ, binos obolos

cum

cum sesama alióve semine sumpsisse sat est. Efficacioris etiam purgationis causa dantur succi tres oboli, cum veratri nigri duobus & aloës drachma vna. Fiunt & purgatorij sales, drachmis viginti succi scammoniæ in senos salis cyathos adiectis. Horum modus, proportione virium: integer quidem, cochlearia tria: medius, duo: minimus, vnum. Purgat & radicis drachma vna aut altera cum iis quæ retulimus. Ipsius quoque decoctum nonnulli ebibunt. Ex eadem decocta in aceto contritáque cum hordeacea farina cataplasma fit ischiadicis vtile. Succus autem vuluæ appositus in lana, partus enecat: tubercula quoque discutit, cum melle oleóve perunctus. Eodem decocto in aceto illitæ lepræ auferuntur. Sed & eodem caput contra diuturnum dolorem ex aceto & rosaceo irrigatur.

De Chamelæa. CAP. CLXXII.

CHAMELAEA, quam alij pyros achnen seu acneston, alij coccon Cnidion appellant, frutex est è cremiorum genere, ramis dodrantalibus, foliis oleæ similitudinem habentibus, at tenuioribus, densis & amaris: quæ gustata linguam mordent & arteriam abradunt. Huius folia, per inferna pituitam bilémque detrahunt, maximéque si in catapotio assumantur. Vni siquidem

chamelææ parti duplum abſinthij adiicitur: ex híſque aqua aut melle exceptis catapotia finguntur: & ea quidem in ventre non liqueſcunt conficiuntúrve: ſed prout deuorata fuerint, ita per aluum egeruntur. Cæterùm foliis tritis melléque exceptis vlcera ſordida cruſtoſáque purgantur.

De Thymelæa. CAP. CLXXIII.

E THYMELAEA, quam aliqui chamelæam, alij pyroſáchnen ſeu cneſtron aut cneoron vocant, granum Gnidium, quod ipſius ſemen eſt, colligitur. Hoc EVboenſes Ætolium, Syri apolinum, alij linum vocant, quoniam frutex ſuapte natura ſatiui lini ſimilitudinem referat. Virgas edit ſpecioſas, numeroſas, tenues, ac fermè binûm cubitorum altitudine: foliis chamelææ, ſed anguſtioribus & pinguioribus, quæ inter mandendum quadantenus viſcoſa & glutinoſa percipiuntur: floribus candidis, ac inter ipſós fructu ceu myrti paruo, rotundo, inter initia quidem viridi, tandem verò rubente: cuius inuolucrum durum ac nigrum eſt, medulla autem alba. Per inferna bilem, pituitam aquáſque detrahit, viginti granorum pars hæc interna bibita, verùm fauces adurit: atque ideò cum farina polentáve, aut in vuæ acino dari debet, aut cocto melle obducta deuorari. Quibus autem ægrè ſudores

eliciuntur,

eliciuntur, eadem trita cum nitro & aceto inungitur. At folia, quæ peculiariter Cneoron appellantur, per messes colligi debent, & siccata in vmbra recondi. Sed si cui exhibere placet, priùs ea tundere, ac ipsorum quoque fibras eximere conuenit. Vino diluto inspersa, acetabuli modo aquosa detrahunt: sed moderatiùs purgant, admista lenti coctæ & contritis oleribus. Eadem trita vuæ acerbæ succo excipiuntur, & in pastillos coacta reponuntur. Herba stomacho infesta: partus subdita necat. Nascitur in montosis & asperis. Hallucinantur porrò qui granum Gnidium Chamelææ fructum esse existimant, decepti quadam foliorum similitudine.

De Sambuco. CAP. CLXXIIII.

SAMBVCI duo genera: ac vnum quidem in arborem assurgit, surculos spargens arundinaceos, teretes, quadantenus cauos, candicantes, prælongos: folia terna quaternáve ex interuallis circa virgas singulas exeunt, nucis iuglandis foliorum similitudine, graueolentia, magísque incisa: in summis autem surculis cauliculísve vmbellæ sunt circinatæ rotunditatis, in quibus flores candidi, tandémque fructus terebinthino similis, ex nigro purpurascens, racemosus, succosus vinosúsque.

De Chamæacte, seu humili Sambuco.

CAP. CLXXV.

Alterum genus Ebulus, Græcis chamæacte, vocatur, ídque humile ac longè breuius, & ad genus herbaceum própius accedens, caule quadrangulo, crebris distincto geniculis: foliis per interualla circa singula genicula vtrinque expansis, iísque amygdalinis, at in ambitu serratis, longioribúsque & graui odore: in cacumine verò vmbella, flore ac fructu sambuci: radice nititur longa, crassitudine digitali. Eadem vtrique vis & vsus, exiccans nimirum & aquas aluo detrahens: at stomachum offendunt. Folia olerum more cocta, pituitam bilémque purgant. Sed & caules teneri in patinis cocti, eadem præstant. Radix in vino decocta & in cibis data, hydropicos adiuuat. Prodest & contra viperarum morsus, eodem pota modo. Decocta verò ex aqua ad insessum, vuluam emollit, eiúsque spiracula patefacit, ac ipsius denique vitia emendat. Acini in vino poti, eundem præbent effectum: denigrant & capillos inuncti. At folia recentia molliáque illita ex polenta, inflammationes mitigant: ambustis & canum morsibus illitu prosunt. Vlcera verò sinuosa glutinant, & iis qui podagra tentantur cum seuo taurino aut hircino illita prosunt.

De Pycnocomo. CAP. CLXXVI.

PYCNOCOMON folia habet erucæ, ſed aſpera, craſſa, acrioráque: caulem quadrangulum, florem ocimi: ſemen marrubij: radicem nigram, rotundam, [intus] pallidam, exigui mali figura, terram olentem. Naſcitur in ſaxoſis locis. Semen tumultuoſa grauiáque ſomnia facit, vna drachma potum. Diſcutit & œdemata, impoſitum cum polenta: necnon & ſpicula & adactos corpori aculeos extrahit. Impoſita quoque folia, tubercula furunculóſque diſcutiunt. Cæterùm radix eius in aqua mulſa drachmarum duarum pondere, aluum ſoluit & bilem exinanit.

De Apio. CAP. CLXXVII.

APIOS, aliis iſchas, aliis chamæbalanos, aliis montanus aut ſylueſtris raphanus, aliis denique linozoſtis, ramulos duos ſiue tres in terra ſpargit, iunceos, tenues, rubentes & paululùm à terra ſeſe attollentes, foliis rutæ, oblongioribus tamen & anguſtioribus, herbaceis: ſemine paruo: radice haſtulæ regiæ & ad pyri formam accedente, rotundiore tamen, lacteíque ſucci plena, cortice extrà quidem nigro, intus verò candido. Superior pars eius aſſumpta, vomitione bilem pituitámq; extrahit: inferior, per aluũ. Tota verò ſumpta, vtraq; parte purgat.

Liquorem si libet excipere, radices tundito, & crateri aquæ inditas agitato, ac liquorem qui supernatat, penna collectum exiccato. Huius sesquiobolus potus, per superna infernáque purgat.

De Colocynthide. CAP. CLXXVIII.

COLOCYNTHIS, aliis cucurbita syluestris, aliis amara cucurbitula, aliis cucurbita Alexandrina, sarmenta foliáque emittit per terram strata, satiui cucumeris similia, incisuris diuisa: fructum verò rotundum, mediocris pilæ similitudine, vehementer amarum: quem legere oportet, cùm cœperit ad pallidiorem colorem vergere. Fructus medulla purgandi vim habet, si eius quatuor oboli ex aqua mulsa sumantur, vel additis nitro & myrrha melle decocto excipiantur & in pilulas cogantur. Ipsæ verò pilæ arefactæ teruntur, & vtiliter infunduntur clysteribus ad coxendicum dolorem, paralysin & coli vitia: vt quæ pituitam, bilem, strigmentáque, interdum etiam cruenta, eliciant. Subditæ eædem, fœtus enecant. Quòd si quis vnam exempta medulla obducat luto, in eáque acetum ac nitrum feruefaciat, decocti ius illud dentium doloribus collutione proderit. Sin mulsa aut passum in eadem decoquatur & sub diuo refrigescat, po-

tu crassum humorem strigmentáque alui detrahet: stomacho tamen suprà modum aduersatur. Sed & subdita ex ea balano alui excrementa euocantur. Virentis denique succus prodest coxendicum dolori, si infricetur.

De Epithymo. CAP. CLXXIX.

EPITHYMVM, flos est thymi durioris & satureiæ similis: capitula autem habet tenuia ac leuia, caudas spargentia quasi capillaceas. Potum id cum melle, detrahit pituitam bilémque atram per inferna, priuatim vtile melancholicis & inflatis acetabuli mensura ad quatuor drachmas, cum melle, sale & aceti exiguo. Plurimum in Cappadocia & Pamphylia gignitur.

De Alypo. CAP. CLXXX.

ALYPVM, herba est è cremiorum genere, subrubra, gracilibus surculis, ac tenuibus foliis, flore molli ac leui plena: radice ceu betæ, tenui, acri, lacteo succo referta: semine ceu epithymi. Gignitur in maritimis, maximéque Libyæ, vberrima: quanquam & aliis quoque locis plurimis prouenit. Semen atram bilem per inferna purgat, si pondere epithymo pari, additis aceto & sale, sumatur: verùm interanea leuiter exulcerat.

De Empetro. CAP. CLXXXI.

EMPETRON aliqui phacoides vocant. Nascitur in maritimis & montanis, salso gustu: quod verò propius terræ fuerit, amarius sentitur. Trahit pituitam, bilem & aquam, datum in iure aliquo, aut in hydromelite.

De Clematitide. CAP. CLXXXII.

CLEMATITIS sarmentum emittit subrubrum, & vitilium modo lentum: folium gustatu admodum acre & exulcerans. Arboribus autem smilacis in modum sese circumuoluit. Semen tritum, pituitam bilémque detrahit, in aqua aut hydromelite potum. At imposita folia, lepras remouent. Cæterùm cum lepidio conditur ad cibos.

De Vite syluestri. CAP. CLXXXIII.

VITIS syluestris sarmenta vitis modo longa emittit, eáque lignosa, aspera & rimoso cortice: folia verò solani hortensis similia, at latiora longioráque: florem capillaceum, muscosum: fructum exiguis vuis similem, ac vbi maturitatem assecutus est, rubentem: rotunda autem est acinorum figura. Radix decocta in aqua, potáque in vini aqua marina diluti cyathis duobus, aquosa ciet: atque ideò hydropicis datur. Vuæ eius tum maculas à sole contractas, tum & alias

omnes

omnes expurgant. Cibi verò gratia nouelli ſurculi condiuntur.

De Vite alba. CAP. CLXXXIIII.

VITEM albam aliqui bryoniam, alij ophioſtaphylon, alij chelidonion, alij melothron, ſeu pſilothron, alij archezoſtin, agroſtin aut cedroſtin vocant. Sarmentis, foliis & tortilibus pampinis ſatiuam vitem imitatur: ſed hirſutiora ſunt omnia. Vicinis verò fruticibus implicat ſeſe, illos ſuis clauiculis amplectens: fructum autem gerit racemoſum, fuluum, quo quidem coria depilantur. Ex ea aſparagi qui prima germinatione exeunt decocti in cibo, aluum & vrinam cient. Folia, fructus & radix, vim acrem ſortiuntur: proindéque Chironiis, gangræna comitatis, phagedænicis, ac denique tibiarum putridis vlceribus efficaciter cum ſale illinuntur. Radix corporis cutem abſtergit & erugat: maculas itidem à ſole contractas, varos, lentigines ac cicatrices nigras emendat cum eruo, terra Chia & fœnogræco. Eodem effectu prodeſt decocta in oleo, dum liqueſcat atque diſſoluatur. Tollit & ſugillata, & digitorum pterygia coërcet: illita ex vino, inflammationes diſcutit, & abſceſſus rumpit: trita quoq; & impoſita, infracta oſſa extrahit: ſepticis denique medicamentis aptè immiſcetur. Bibitur eadem ad morbum

comitialem drachmæ pondere quotidie, anno toto. Prodest etiamnum attonitis & vertiginosis, similiter assumpta. Drachmis verò duabus pota, contra viperarum morsus auxiliatur & partus enecat: mentem verò interdum turbat aliquantulùm. Cit & vrinam epota. Subdita autem vuluæ, partus secundásque morantes trahit. Sed & eclegma ex ea fit cum melle strangulatu oppressis, ægrè spirantibus atque tussientibus, laterum doloribus, ruptis atque vulsis. Quinetiam splenem ternis obolis pota ex aceto tricenis diebus consumit: necnon & ad eadem cum fico vtiliter illinitur. Ad muliebres insessus decoquitur, qui quidem vuluam purgandi & fœtus enectos eiiciendi vim habent. Succus è radice vere exprimitur, qui ex aqua mulsa potus tum cætera antedicta præstat, tum & pituitam trahit. Ad psoras & lepras fructus efficaciter inungitur atque imponitur. Sed & eius succus lactis abundantiam facit, si cũ tritico cocto sorbeatur.

De Vite nigra. CAP. CLXXXV.

Nigra vitis, quam aliqui bryoniam nigram, alij Chironiam vitem nominant, folia fert hederæ, ad smilacis folia propiùs accedentia, sed maiora, caules etiam huic similes: ac ipsa quoque vicinas arbores capreolis suis amplectitur: fructus racematim

cohæret,

cohæret, qui inter principia viret, ac post maturitatem nigricat: radix foris nigra, intus buxeo colore. Huius etiam cauliculi qui primo germinum partu erumpunt, olerum modo in cibos recipiuntur. Vrinas porrò cient, menses pellunt, ac lienem minuunt, nec non & comitialibus, vertiginosis ac neruorum resolutione tentatis prosunt. Radix iisdem quibus albæ viribus pollet, eadémque præstat, sed inefficaciùs. Folia verò cum vino, exulceratis iumentorum ceruicibus efficaciter illinuntur: ac luxatis etiam similiter imponuntur.

De Filice. CAP. CLXXXVI.

FILICI, quam aliqui blechnon, alij polyrrhizon vocant, folia sine caule, sine flore, sine semine, eáque ex vno pediculo cubitali fermè longitudine exeunt, incisa & pinnarum modo vtrinque expassa, subgraui odore: radicem verò habet per summa cespitum nigram, quadantenus longam, multas fundentem propagines, quæ sunt subadstringente gustu. Nascitur in montanis saxosisque locis. Huius radix, latum lumbricum, quam tæniam vocant, excutit, sumpta drachmis quatuor ex aqua mulsa: meliùs, si cum scammonij aut ellebori nigri totidem obolis detur: verùm eos qui sumunt, allia priùs edisse oportet. Eadem la-

borantes ex liene efficaciter restituit. Quin-etiam cum axungia contrita & imposita, ictis ab arundine efficaciter auxiliatur: cuius rei probatio talis fertur. Perimetur filix, quam per ambitum sata copiosior arundo cinxerit: & contrà extinguetur & euanescet arundo, quam multa filix circundederit.

De Thelypteri, seu filice fœmina.

CAP. CLXXXVII.

Thelypteris seu filix fœmina, quam aliqui nymphæam pterin nominant, foliis est filicis: quæ tamen non singulari, vt illa, pediculo hærent, sed è numerosis altioribúsque propaginibus exeunt. Radices subiacent longæ in obliquum, numerosæ, ex nigro flauescentes: aliquæ etiamnum rubræ inueniuntur. Et hæ quoque radices cum melle in eclegmate sumptæ, lata interaneorum animalia pellunt: potæ verò ex vino drachmis tribus, teretes lumbricos eiiciunt. Datæ fœminis, conceptum impediunt: quòd si à grauida sumantur, abortum illa faciet. Earundem farina præhumidis & ægrè sanescentibus vlceribus inspergitur, ac iumentorum quoque ceruicibus medetur. Cæterùm elixa folia, quæ recèns eruperint, olerum vice manduntur, vt aluum emolliant.

De Po-

De Polypodio, seu filicula.

CAP. CLXXXVIII.

POLYPODION nascitur in muscosis petris & vetustis quercuum caudicibus, palmi altitudine, filici simile, subhirsutum & incisum, at non perinde tenui diuisura. Radix subiacet pilosa, cirros habens ceu polyporum, crassitudine minimi digiti. Hæc si derasa fuerit, coloris intus herbacei comperietur: acerba verò est atque gustu subdulcis, purgandi vi prædita. Datur porrò ad aluum soluendam cocta cum gallina, aut pisc bus, aut beta, aut malua. Aridæ farina aquæ mulsæ inspersa, detrahit pituitam ac bilem. Trita eadem, luxatis efficaciter imponitur, & aduersus rimas quæ inter digitos fiunt.

De Dryopteri. CAP. CLXXXIX.

DRYOPTERIS in veterum roborum muscosis partibus enascitur, filici similis, at multò tenuiore foliorum incisura: radicibus inter se implicitis, hirsutis, gustu astringentibus & ad dulcedinem vergentibus. Ea si trita cum radicibus illinatur, pilos abolet. Primùm autem cutem posteaquàm exudauerit abstergere oportet, ac deinde recentem ipsam imponere.

De Cnico. CAP. CXC.

CNICVS foliis constat oblongis, per ambitum diuisis, asperis, aculeatis: cau-

bus cubitalibus, & in eorum cacumine capitulis oliuæ magnitudine: flore croci: semine candido aut fuluo, oblongo, anguloso: illo flore in obsoniis vtuntur. Seminis verò contusi & expressi succus ex aqua mulsa aut gallinacei iusculo aluum purgat, sed stomacho aduersatur. Fiunt & ex eo placentulæ aluum emollientes, adiectis succo amygdalis, nitro, aniso & melle cocto. Hæ in frusta quatuor diuiduntur, quæ nucis iuglandis magnitudinem impleant: è quibus ante cœnam duo triáve sumi oportet. Ratio temperandi ea est, vt accipiantur, cnici candidi sextarius vnus, nucum Thasiarum seu amygdalarum tostarum & decorticatarum cyathi tres, anisi sextarius vnus, aphronitri drachma vna, cum carne caricarum numero triginta. Cæterùm seminis succus lac etiam coagulat, ipsúmque ad soluendam aluum efficacius reddit

De LinoZoſtide, seu Mercuriali.

CAP. CXCI.

LINOZOSTIN aliqui parthenium, alij Mercurij herbulam appellant. Folia habet ocimi, helxinæ cognata, sed minora: ramulos duplici geniculorum nodo cinctos, & alarum cauis multis iísque densis præditos: semẽ, fœminæ quidẽ, racemosum atque copiosum: mari verò, iuxta folia paruum

ac

ac rotundum, ceu binos testiculos vnà cohærentes. Totus autem frutex dodrantalis est, aut etiam maior. Vtraque aluum ciet, si olerum vice mandatur. Cocta verò in aqua, epoto iure, bilem aquosáque detrahit. Creduntur autem folia trita si bibantur, atque etiam à purgatione menstrua verendis admoueantur, vt fœminæ concipiantur facere: maris verò folia similiter vsurpata, vt masculi gignantur efficere.

De Cynocrambe. CAP. CXCII.

CYNIA seu cynocrãbe, aliis mercurialis syluestris mas, cauliculum emittit binûm palmorum altitudine, mollem ac subalbidum: folia mercuriali aut hederæ similia, certis interstitiis candicantia: semen foliis adiacet paruum ac rotundum. Folia cum caulibus olerum instar pota, vim alui ciende habent. Ius verò decocti, bilem aquosáque detrahit.

De Heliotropio magno, seu Solari herba maiore.
CAP. CXCIII.

HELIOTROPIVM magnum aliqui à floris figura Scorpiuron appellauêre: cæteri heliotropium; quoniam folia sua cum inclinante sole circumagat. Folia ocimi habet, hirsutiora tamen, nigriora maioráque: ramulos ab ima radice ternos, quaternos, quinósve, compluribus alis concauos: flo-

rem in ipſorum cacuminibus candidum, purpuraſcentem, qui ad ſimilitudinem caudæ ſcorpionis incuruatur. Radix gracilis eſt atque ſuperuacua. Naſcitur in aſperis. Huius manualis faſciculus ex aqua decoctus & potus, pituitam bilémque per aluum extrahit. Prodeſt & contra ſcorpionum ictus ex vino bibitum, atque etiam illitum: ad arcendos verò conceptus, amuleti inſtar adalligatur. Aiunt porrò ſeminis grana quatuor hora vna ante acceſſionem cũ vino pota, quartanas finire: tria verò, tertianas. Illitum autem ſemen, myrmecias, penſiles verrucas, thymos & epinyctidas exiccat. At folia podagris luxatíſque, & infantium aduſtioni, quam ſiriaſin vocant, vtiliter illinuntur. Mẽſes eadem cient: atque etiam partus trita & impoſita pellunt.

De Heliotropio paruo.

Cap. cxciiii.

HELIOTROPION paruum, (quod & alio nomine Scorpiuros vocatur,) naſcitur in paluſtribus, & iuxta lacus, foliis antedicto proximis, ac rotundioribus: ſemine rotundo, penſilium verrucarum modo dependente. Herba cũ ſemine pota, additis nitro, hyſſopo, cardamomo & aqua, valet ad latos tereteſque lumbricos excutiẽdos: quin & penſiles verrucas cum ſale illita tollit.

De

De Scorpioide. CAP. CXCV.

SCORPIOIDES herbula est, foliis paucis, & semine caudæ scorpionis effigie. Hæc illita, contra scorpionum ictus præsentaneo sunt auxilio.

Quarti libri finis.



PEDACII DIOSCORIDIS ANAzarbæi, De medica materia Liber quintus.

IANO ANTONIO SARACENO LVGDVNAEO, INTERPRETE.



QVONIAM superioribus quatuor libris, amicissime Aree, de aromatibus, oleis, vnguentis, arboribus & earundem fructibus atque lacrymis: itémque de animalibus, melle, lacte, adipe, cerealibus & oleribus egimus:

necnon & vniuersam de radicibus, herbis, succis, seminibúsq; tractationẽ absoluimus: in hoc totius operis vltimo, de vinis & iis quæ metallica dicuntur differemus, à vitis tractatione ducto exordio.

De Vite vinifera.

CAP. I.

VITIS viniferæ folia cum clauiculis trita & imposita, capitis dolores mitigant, itémque stomachi inflammationem & ardorem cum polenta. Idipsum etiam folia per se imposita præstant: quippe quæ refrigerandi astringendíque vim habeant. Potus eorundem succus, iuuat dysentericos, sanguinem excreantes, stomachicos, ac mulieres malacia laborantes. Eadem efficiunt macerati in aqua capreoli & poti. Lacryma vitium, quæ veluti gummi est, quæque circa illarum caudices concrescit, ex vino pota, calculos pellit: inuncta, lichenas, psoras leprásque nitro afflicto præparatas sanat. Eadem cum oleo sæpius pilis illitis psilothri effectum habet, maximéque liquor quem accensa sarmenta vitium viridia exudarunt, quo & perunctæ myrmeciæ tolluntur. Cinis autem sarmentorum & vinaceorum; detractis circa sedem condylomatis & thymiis illitus ex aceto medetur. Prodest & luxatis ac viperarum morsibus: quin & contra lienis inflam-

mationes proficit, cum rosaceo, ruta & aceto impositus.

De Labrusca seu vite syluestri.

CAP. II.

LABRVSCA duûm est generum. Altera enim vuam ad incipientem maturitatem minimè perducit, sed flore tenus œnanthen nominatam profert. Altera ad frugem peruenit, paruis, acinis, nigris & adstringentibus. Folia, caules & clauiculæ quibus repũt, vim habent satiuæ viti similem.

De Vua.

CAP. III.

QVAELIBET vua recens aluum turbat, & stomachum inflat: quæ verò decerpta aliquandiu pependit, propterea quòd ea ventilatione magna humiditatis portio decessit, innocentior est, ac tum stomacho vtilis est, tum & appetentiam ciborum restituit, atque adeò ægris languentibúsve idonea est. In vinaceis & ollis seruatæ, ori stomachóque gratæ sunt, aluum sistunt, (sed vesicam & caput tentant) & sanguinem excreantibus conueniunt. Similes porrò sunt & quæ in mustum coniectæ fuêre. At quæ in sapa aut passo conditæ sunt, stomachum magis infestant. Seruantur & in aqua cœlesti quæ priùs solem passæ fuerint: sed eæ parum vinosæ sunt, siticulosis tamen, ardentibus ac

diuturnis febribus vtiles. Reconditi vinacei, inflammatis, præduris lactéque turgentibus mammis cum sale imponuntur. Eorundem decoctum infusum, dysentericos iuuat & cœliacos, itémque fœminas fluxione vuluæ laborantes: sed & ad desessiones ac fotus vsurpatur. Cæterùm acinorum nuclei astringendi vim obtinent, stomachóque sunt vtiles: iidem tosti tritíque ac polentæ vice inspersi, dysentericis prosunt, itémque cœliacis ac stomachi dissolutione vexatis.

De Vua passa

CAP. IIII.

VVA passa alba adstringentior est. Prodest esitata earum caro arteriæ, tussi, renibus ac vesicæ. Estur & cum nucleis per se contra dysenteriam: itémque, admistis milij ac hordei farina & ouo, in sartagine cum melle fricta sumitur. Sed & eadem ad eliciendam è capite pituitam tum per se, tum etiam cum pipere commanducata proficit. Testium quoque inflammationes sedat imposita cum lomento fabarum & cumini farina. Epinyctidas verò, carbunculos, fauos, putrescentiáque articulorum vlcera, atque gangrænas sine nucleis trita & cum ruta illita sanat. Conuenit & podagræ cum panacis succo adhibita: denique & mobiles vngues illita celeriùs extrahit.

De

De OEnanthe.

CAP. V.

OENANTHE vocatur, vitis syluestris fructus cùm floret. Condi verò debet in vas fictile non picatum, lecta priùs, & substrato linteo in vmbra siccata. Laudatissima in Syria, Cilicia & Phœnice. Vis ei astrictoria: quare pota, stomacho ac ciendæ vrinæ vtilis, aluum sistit ac sanguinis excreationes. Contra fastidia & acorem stomachi sicca & illita etiam efficax est. At in capitis doloribus tam viridis quàm sicca cum aceto & rosaceo perfunditur. Cruenta vulnera & incipientes ægilopas, oris vlcera & verendorum nomas trita & additis melle, croco, myrrha & rosaceo adhibita pro cataplasmate, ab inflammatione vindicat. Pessis quoque ammiscetur, ad cohibendum sanguinem: & contra oculorum fluxiones stomachíque ardores cum polline polentæ ac vino illinitur. Cinis verò crematę in testa candentibus prunis, facit ad oculorum medicamenta: quin & paronychias, pterygia, abscedentes cruoréque manantes gingiuas cum melle sanat.

De Omphacio.

CAP. VI.

OMPHACIVM, succus est acerbæ vuæ seu Thasiæ seu Aminææ nondum variantis. Oportet autem ante Canis ortum

expreſſum ſuccum in aheno ex ære rubro, quod linteo ſit coopertum, inſolare, vſquedum in denſitatem coëat, intereáque ſemper totum id quod ipſi vaſi concretum adhæſerit liquido reliquo permiſcere, atque noctu ipſum à locis ſubdialibus ſub tectum referre: quandoquidem obſtant nocturni rores, quominùs ſpiſſeſcat cogatúrve. Eligendum eſt flauum, friabile, perquàm aſtringens & linguam mordens. Sunt qui coctione ſuccum condenſent. Prodeſt contra tonſillas, vuam, oris vlcera, gingiuas humore flaccidas, purulentáſque aures, cum melle aut paſſo: item ad fiſtulas, vetera vlcera nomáſque, ex aceto. Dyſentericis & mulieribus fluxione vuluæ laborantibus clyſtere infunditur. Oculorum quoque claritati confert, eorundémque ſcabritiæ anguliſque arroſis conuenit. Bibitur & ad recentem ſanguinis excreationem, etiam ex ruptis vaſis obortam. Sed eo admodum diluto & pauco vtendum: ſiquidem potenter exurit.

De Vini natura pro ætatis ratione.

CAP. VII.

VINA vetuſta, neruos reliquáque ſenſuum inſtrumenta lædunt, attamen guſtu ſuauiora iucundioráque ſunt: quare vitanda iis qui internæ alicuius partis imbecillita-

cillitatem ſentiunt. Nihilominus in ſecunda valetudine vinum eiuſmodi paucum & aqua dilutum innoxiè ſumitur. At nouum, inflationes parit, ægrè coquitur, grauia facit inſomnia, vrináſque ciet. Quod verò ætate medium eſt, vtroque illo vitio caret, proindéque ad vſum ſanorum ægrorúmque deligendum.

Pro ratione coloris. CAP. VIII.

Inſuper album, eſt tenue ac ſtomacho vtile, faciléque in membra diuiditur. Nigrum verò, craſſum eſt & ad concoquendum difficile, temulentiam facit, & corpus auget. Fuluum, vtpote quod medium eſt, medias etiam inter vtrunque vires obtinet. Album tamen tum in ſecunda, tum & in aduerſa valetudine laudabilius.

Pro ſaporum eorúmque quæ illi miſcentur differentia. CAP. IX.

Sed & vina ſapore diſtant. Siquidem dulce craſſis partibus conſtat & ægrè de corpore expirat, ſtomachum inflat, aluum & inteſtina, vti & muſtum, turbat: ſed minùs inebriat, veſicæ ac renibus aptum. Auſterum, vrinas magis expellit: ſed capitis dolorem facit, ac temulentiam gignit. Acerbum, ad ciborum per membra digeſtionem accommodatiſſimum: aluum cæteráſque fluxiones cohibet. At vinum molle &

ſapore languidum, neruos minùs tentat, minúſque vrinas pellit. Vinum porrò aqua marina factum, ſtomacho aduerſatur, ſitim facit, neruos infeſtat, bonam facit aluum & à valetudine ſeſe recolligentibus haudquaquam idoneum eſt. Paſſum autem quod vuis in cratibus ſole ſiccatis aut in ipſo ſarmento torrefactis exprimitur, Creticum cognomine, aut protropum aut pramnium, itémque ſapa quæ fit muſto igni decocto, Græci Siræon ſeu hepſema appellant: nigra quidem ſi fuerint, qualia melampſithia dicuntur, craſſa ſunt & corpora multùm alunt: at candida, tenuiora: quæ verò medio inter hæc colore ſunt, medias quoque vires fortiuntur. Omnia tamen aſtringunt, languidos pulſus excitant, & faciunt aduerſus venena quæcunque exulcerando necant, ex oleo pota & vomitionibus reddita: itémque contra meconium, pharicum, toxicum, cicutam & lactis in ventriculo coagulationem: necnon & contra renum ac veſicæ roſiones & exulcerationes: nihilominùs inflationes pariunt, & ſtomacho aduerſantur. Priuatim confert Melampſithium iis qui alui fluxione laborant. Album, magis cæteris emollit aluum. Gypſo conditum, neruos offendit, capitis grauitatem infert, viſcera calore accendit, & veſicæ aduerſatur: ſed contra ve-

tra venena cæteris aptius. Picata aut resinata, excalfaciunt & concoctionem adiuuant, sanguinem excreantibus inimica. Quæ verò aparachyta, hoc est, maris expertia dicuntur, & sapam tamen admistam recipiunt, caput implent, temulentiam gignunt, de corpore difficulter expirant, & stomachum malè habent.

Pro locorum differentia. CAP. X.

Inter Italica vina Falernum principem locum obtinet: quod inueteratum, per quàm facilè concoquitur, pulsus recreat & exuscitat, aluum astringit, stomacho vtile: sed vesicæ nocet, atq; iis qui visus hebetudinem sentiũt, liberaliori potationi minimè idoneum. Albanũ, crassioribus quàm Falernum constat partibus, subdulcéq; est, stomachũ inflat & aluũ emollit: sed concoctionẽ non æquè adiuuat, neruosum verò genus minùs infestat. Sed & hoc ipsum vetustate austerũ saporẽ concipit. Cæcubũ cùm sit dulce, est & Albano crassius, corpus auget, & colorẽ cutis meliorẽ lętiorémq; facit: at iuuandę concoctioni minimè idoneũ est. Surrentinum, valde austerum est: quare intestinorum & stomachi fluxiones cohibet, & cùm tenuibus cõstet partibus, caput minùs tentat: vetustate autẽ & stomacho vtile, & iucũdioris euadit saporis. Adrianum & Mamertinum, quæ quidem in Sici-

lia gignuntur, ex æquo craſſarum ſunt partium, modicè aſtringunt & celeriùs inueterantur, minúſque ob ſuam lenitatem neruos tentant. Prætutianum, quod & ipſum è locis circum Adriam deuehitur, eſt odoratum ac minùs aſperum: hauſtum copioſiùs eo ſeſe prodit indicio, quòd & ebrietatem diu ſeruat, & ſoporem conciliat. Iſtricum Prætutiano ſimile eſt, ſed vrinam vehemētiùs pellit. Chium, antedictis mollius eſt, probè nutrit, potui aptum eſt, ac minùs inebriat: fluxiones cohibet, oculorum medicamentis vtile. Leſbium, facilè membra ſubit, Chio leuius, & aluo idoneum. Epheſium, eandē vim habet, quod Phygelites nominatur. Verùm Aſianum è Tmolo monte, Meſſogites appellatum, capitis dolorem affert ac neruos lędit. Coum verò & Clazomenium, quoniam copioſam maris aquam admixtam habent, facilè corrumpuntur, inflationes excitant, aluum turbant, ac neruis officiunt.

De Vini generum facultate.
Cap. XI.

In vniuerſum vinum omne meracum & ſincerum ac ſua natura auſterum, excalfacit, facilè in membra diſtribuitur, ſtomacho cōuenit, appetentiam ciborum inuitat, corpus alit, ſomnum conciliat, robur auget & colo-

colorem commendat. Potum liberaliùs, auxilio est contra assumptam cicutam, coriandrum, pharicum, ixiam, meconium, argenti spumam, taxum, aconita, fungósve: nec minùs contra serpentium morsus & omnium ictus morsúsve, quæ refrigerando necant aut stomachũ in vomitiones effundunt. Facit & ad diuturnam hypochondrij inflationem, rosionem atque distentionem: itémque singultum, ac stomachi, intestinorum & ventris rheumatismos. Vina conueniunt sudatoribus & quibus corpus immodico sudore digeritur, maximè quæ sunt alba, vetera & odorata. At quæ sunt vetusta simul & dulcia, renum ac vesicæ vitiis sunt accommodatiora: necnon vulneribus inflammationibúsque in succida lana commodè imponuntur. Quin & iisdem fera, phagedænica & affluentibus humoribus irrigua vlcera vtiliter fouentur. Porrò vina quibus aquæ marinæ nihil additum est, austera & alba, ad sanorum victus commodè vsurpantur. In his præstant Italica: vti Falernum, Surrentinum, Cæcubum, & permulta alia è Campano agro, itémque Prætutianum, Adrianum & Siculum, quod Mamertinum appellatur. Ex Græcis, Chium, Lesbium & Phygelites, quod in Epheso gignitur. Crassa verò & nigra, stomacho aliena sunt, flatúsque pa-

riunt: attamen corpus augent. Tenuia autem & auſtera, ſtomacho quidem proſunt, ſed carnes minùs alunt. At quæ ſunt valdè vetera, tenuia & candida, vehementiùs vrinas ciunt, & dolores capitis inferunt, neruoſúmque genus largiùs pota tentant. In media ætate, vt à ſeptimo anno, potui ſaluberrima ſunt. Modus autem pro ætate, anni tempeſtate, conſuetudine & qualitate vini decernatur. Optimè verò præcipitur, vt ne ſitis immodica toleretur, & tantum potionis adhibeatur, quantum proluendis cibis ſat ſit. Siquidem ebrietas omnis, maximéque iugis frequentiórve, pernicioſa. Enimuerò largior perpotatio neruos obſeſſos in dies remittere, morborúmque acutorum initia quotidie introducere conſueuit. Attamen moderatè aliquot diebus vino indulgere, maximéque poſt aquæ potum, vtile. Ita nanque modo quodã quæ ſub ſenſum deinde cadunt recrementa ex alto euocantur, & per cæca corporis ſpiracula repurgantur. Sed illi perpotationi aquam ſuperbibere par eſt: ſiquidem medicationis alicuius gratia factæ ex compoſito temulentiæ remedium affert.

De vino Omphacite. CAP. XII.

VINVM quod Omphacites appellatur, peculiariter fit in Leſbo, vua nondum planè

planè matura,ſed adhuc acerba, ad tres quatuór ve dies in cra.ibus ſiccata ſole, donec racemi in rug s contrahantur. Ex iis postquàm expreſſum eſt vinum, cadis inſolatur. Vim habet aſtringendi, ſtomacho amicam, & malacia laborantibus, ileoſis, ægrè concoquentibus & ſtomachi diſſolutione vexatis vtilem. Creditur & abſorptum peſtilentibus affectibus auxiliari. Cæterùm huiuſmodi vina non niſi poſt annos complures potui apta ſunt.

De vino Secundario & adynamo.

CAP. XIII.

LORA, quam Græci deuterian, alij potimon appellant, paratur hunc in modum: In vinacea è quibus vini triginta metretæ expreſſæ fuerint, tres aquæ metretas adiicito: ac vbi vinacea ipſa verſaueris calcaueríſque, exprimito: expreſſum decoque ad tertias partes, & in ſingulos reſidui congios ſalis binos ſextarios addito, ac poſt hyemem in cados defundito. Eo poſt annum vtitor: celeriter enim exoleſcit. Conuenit porrò ægris quibus vinum propinare dubitamus, & cogimur tamen ipſorum deſideriis obtemperare: itémque à longa valetudine ſeſe recolligentibus. Fit & vinum quod vocant adynamon, viribus iiſdem quibus lora præditum. Pares aquæ & muſti menſuræ leniter ac lento igne

feruefiunt, dum excoquatur aqua: reliquum vbi refrixerit, in vas picatum transfunditur. Alij aquæ marinæ & pluuiæ, mellis atque musti pares miscent portiones, elutriant, & in sole quadraginta diebus torrent. Huiusmodi potu ad eadem illa omnia post annum vtuntur.

De Vino è labrusca expresso.

CAP. XIIII.

VINVM è Labrusca nigrum, astringit: proindéque prodest alui stomachique fluxionibus, & ad cætera valet quæ astrictionem contractionémque desiderant.

De Vino Melitite. CAP. XV.

VINVM Melitites datur in longis febribus, iis qui stomacho sunt imbecilli: leuiter enim aluum emollit, vrinas ciet ac stomachum expurgat. Prodest & articulario morbo obnoxiis, nephriticis & capitis infirmitate laborantibus: vtile quoque mulieribus aquam potantibus: siquidem odoratum est, corporáque alit. Distat à mulso, quoniam fit illud è vino austero ac vetere & melle exiguo: melitites autem, adiecto ad quinque congios austeri musti mellis congio, & salis cyatho. Porrò in magno vase fieri ipsum oportet, quò locus amplior ad vehementer efferuescendum pateat, antedicto sale sensim asperso, quandiu efferbuerit:

ac v-

ac vbi feruere desierit, in cados alios transfunditur.

De Mulso. CAP. XVI.

MVLSVM præfertur, quod ex vetere vino austéróque & bono melle factum est. Tale siquidem minùs inflat, & celeriter in vsum venit. Ac vetus quidem, corpus alit: quod mediæ est ætatis, aluo vtile est, vrinámque pellit. Sed à summo cibo sumptum, nocet: inter initia verò potum, stomachum implet, deindéque tamen appetendi auiditatem reuocat. Fit mulsum vt plurimùm, duabus vini metretis admixta vna mellis. Aliqui quò promptiùs perfici exhiberíque possit, mel cum vino coquunt, atque ita trãsfundunt. Alij impensæ parcentes ad musti feruentis sextarios sex vnum mellis adiiciunt, ac vbi ferbuerit, elutriant: dulce autem permanet.

De Aqua mulsa. CAP. XVII.

AQVA mulsa easdem quas mulsum vires obtinet. Cruda vtimur, cùm ventrem mollire volumus, aut etiam vomitiones inuitare: quemadmodum facimus ijs qui venena hauserunt, ipsum addito oleo propinãtes. Decoctam verò exhibemus exilis languidíque pulsus hominibus ac infirmis, tussientibus, peripneumonicis & iis qui immodico sudore digeruntur. Inueterata condi-

titiáque, quam aliqui Hydromel propriè vocant, dum mediæ est ætatis, loræ & adynamo vino in recreandis viribus respondet, similémq; vim adipiscitur: quare iis qui mēbri alicuius inflammatione laborant magis quàm lora ipsa accommodata est. Quæ verò vetustior est, in partium inflammationibus aluóque astricta damnatur: at laborantibus ex stomacho, aut cibum fastidientibus, sudatoribúsve conuenit. Conficitur porrò, duabus aquæ cœlestis veteris partibus ad vnam mellis adiectis & insolatis: alij fontanam aquam miscent, & ad tertias partes decoquunt, atque ita recondunt. Nec desunt qui Hydromelitis appellationem tribuant Apomeliti, quod elotis aqua fauis confici seruaríque solet. Id verò etiam meracius confici oportet: aliqui & ipsum coquunt. Ægrotantium potui minimè aptum est, quoniam ceraginis plurimum sibi vendicat.

De Aqua. CAP. XVIII.

DE aquis in vniuersum decernere, propter locorum proprietates ac peculiares naturas, itémque cœlū aliáque non pauca, difficile est. Magna tamen ex parte optima est, pura, dulcis & cuiuscunque tandem qualitatis expers, quæque ne minimo quidem tempore hypochondrijs immoratur, insuperque quæ citra moléstiam & expeditè permeat:

permeat, nec inflationes parit, ac denique minimè corrumpitur.

De aqua Marina. CAP. XIX.

Aqua maris calida eſt & acris, ſtomacho aduerſatur, aluum conturbat, & pituitam expellit. Si verò calida ad fotus adhibeatur, attrahit ſimul atque diſcutit: proindéque neruorum vitiis, & pernionibus ante vlcera prodeſt. Commodè miſcetur cataplaſmatis ex hordeacea farina: itémq; emplaſtris & malagmatis diſcutientibus idonea eſt. Ad mouendas deiectiones tepefacta clyſteribus infunditur: ad tormina verò, calens. Eadem pſoræ, pruritus, lichenes, lendes, nimióque lacte turgentes mammæ fouentur. Sed & liuentia fotu diſcutit. Salutaris quoque eſt ad venenatorum morſus ictúſve, quæ quidem tremores perfrictionéſque inferunt: maximè verò ſcorpionum, phalangiorum aſpidúmque: ac ſi quis etiam in ipſius calidæ ſolium deſcenderit, auxiliatur. Quin & balneũ ex ea vtile malo habitu confectis iam diu corporibus neruíſque. Eiuſdem feruentis vapor, hydropicos, capitis dolores, difficilémque auditum leuat. Porrò ſincera & citra potabilis aquæ mixturam aſſeruata, virus deponit. Alij eam præcoquunt, atque ita recõdunt. Cæterùm datur ad purganda corpora per ſe, aut è poſca, aut vino, aut melle: verun-

tamen post deiectionem insuper exhibetur gallinæ pisciúmve iusculum, ad temperandam infringendámve inductæ rosionis acrimoniam.

De Thalassomelite. CAP. XX.

QVOD Thalassomeli vocant, egregiè purgare creditur. Temperatur autem æquis portionibus aquæ marinæ & pluuiæ, itémque mellis, percolatis & picato vase per Caniculæ ardores insolatis. Sunt qui ad duas aquæ marinæ coctæ partes mellis vnam adijciant, & vase condant: ac huiusmodi quidē confectura moderatior mitiórque est ipsa aqua marina.

De Aceto. CAP. XXI.

ACETVM refrigerat & astringit, stomacho est vtile, & appetentiam cibi excitat: erumpentem vndecunque sanguinem potu insessúve sistit: prodest alui fluxionibus, cum cibariis coctum: cruentis vulneribus idoneum est, ac inflammationes arcet, in succidis lanis aut spongiis impositum. Reprimit & procidentia sedis vuluæque: item gingiuas abscedentes & sanguine manantes. Est etiam efficax ad nomas, erysipelata, herpetas, lepras, lichenas & pterygia, si cum aliquo conuenienti misceatur: phagedænas vlcerum nomásque fotu continuo cohibet: podagricis calido fotu cum sulphure auxi-

ſiatur: ſugillata tollit; cum melle inunctum. Contra capitis ardores, cum roſaceo in ſuccidis velleribus aut ſpongia imponitur. Ad hydropem, auditum difficilem, auriúmque ſonitus ac ſibilos, feruentis vapor proficit: earundem quoque vermes inſtillatum necat. Panos coërcet tepidi fotus, aut ſi imbuta eo ſpongia admoueatur: & pruritus permulcet. Contra venenatorum morſus, quæ refrigerando nocent, calidi fotus prodeſt: vti frigidi, contra eorum ictus quæ exurens virus eiaculantur. Calidum potum atque vomitionibus redditum, aduerſus omnia venena efficax eſt: ac præſertim contra hauſtum meconium cicutámve, ſanguinem in ventriculo conglobatum, lac ibidem coagulatum, fungos, ixiam, taxúmque, cum ſale. Hauſtu voratas hirudines, ſi ſorbeatur, eiicit: tuſſim veterem mitigat, & recentem laceſſit. In orthopnœa, calidum commodè ſorbetur. Sed & gutturis fluxiones gargarizatum inhibet: anginis & laxatæ columellæ conuenit: necnon & calidum contra dentium dolorem colluitur.

De Oxymelite. CAP. XXII.

ACETVM mulſum, quod oxymel vocant, hoc modo temperatur: Aceti heminas quinque, ſalis marini minam vnam, mellis minas decem & aquæ ſextarios quinque pa-

riter coquito, dum decies efferbuerint: mox vbi refrixerint, diffundito. Conſtat porrò ſumptum craſſos humores extrahere, atque iſchiadicis, arthriticis & comitialibus opitulari. Eſt & auxilio contra morſum viperæ & lacertæ quam ſepa vocant, itémque contra hauſtum meconium, ixíamve. Anginis denique vtiliter gargarizatur.

De Oxalme, CAP. XXII.

ACETVM ſalſum ſeu acida muria, quam oxalmen vocant, fotu contra nomas, putrida vlcera, canum morſus & venenatos ictus auxiliatur. Siſtit & ſanguinis eruptiones quæ poſt exciſos calculos eueniunt, ſiquidem poſt operationem ſtatim calida in vulnus infundatur: ac prociduam ſedem reprimit. Dyſentericis etiamnũ, ſi nomas ſentiant, infunditur: at oportet illicò pòſt lac inſuper infundere. Hirudines eadem ſorbitione & gargarizatu necat: furfures denique & manantia capitis vlcera exterget.

De Thymoxalme. CAP. XXIIII.

THYMOXALME Veteres vtebantur, dabántque laborantibus imbecillitate ſtomachi, itémque arthriticis & inflatione vexatis, ternos quaternósve cyathos aqua calida dilutos: humores craſſos atróſque trahit. Hoc verò modo factitatur: Thymi triti acetabulum, ſalis idem modus, polentæ, rutæ,

pulegij,

pulegij, ſingulorum exiguę portiones in vas coniiciuntur: & aquæ terni ſextarij, acetíque totidem cyathi affunduntur, atque circumpoſito linteo ſub dio exponuntur.

De aceto Scillino. CAP. XXV.

SCILLINVM acetum hoc paratur modo: Expurgatam ſcillam quæ candida ſit cõcidito, ſectáſque taleolas lino traiectas modicis interuallis, vt ne ſe contingant, ſuſpẽdito, atque ita ſiccato in vmbra quadraginta diebus. Earum minam in aceti boni ſextarios duodecim immergito, & vaſe diligenter operculato ſeptenis diebus in ſole macerari ſinito: poſteà ſcillam eximito, & expreſſam abiicito: acetũ verò percolatum in vas diffundito atque reponito. Aliqui ſcillæ minam vnã aceti ſextariis quinq; ammiſcẽt. Alij poſtquã extẽpore ſcillã repurgarunt citra exiccationẽ, parẽ eius mẽſuram adiiciũt, & ſenis menſibus macerari patiũtur. Ac tale quidem acetum maiorem incidendi vim aſciſcit. Porrò Scillinum acetum, gingiuas laxas & humore ſuperfluo prægnantes commodè aſtringit, eaſdémque firmat: emotos dentes ſtabilit, putridis oris vlceribus & grauеolentiæ egregiè medetur: fauces ſorbitione durat colloſáſque reddit: vocẽ denique expedit, ac limpidam canoramq; facit.

Sed & ſtomachicis, ægrè cibum concoquentibus, comitialibus, vertiginoſis, melancholicis & mente captis exhibetur. Datur & cõtra vuluarum ſtrangulationes, lienes prætumidos & iſchiada. Imbecillos admodum recreat: corporis ſalubritatem colorémque meliorem præſtat. Oculorum quoque aciem exacuit, atque tarditatem aurium inſtillatione infuſionéve purgat. In ſumma ad omnia efficax eſt, præterquàm ad internas exulcerationes, capitis dolores neruorúmque vitia. Cæterùm datur quotidie ieiunis ſorbendum, inter initia quidem quantitate exigua: ſed ea deinde paulatim augetur ad cyathum vſque. Nonnulli binos cyathos, aut etiam amplius, exhibent.

De Scillino vino. CAP. XXVI.

FIT & è Scilla vinum hoc modo: Diſſectã, vti dictum eſt, ſcillam ſole aſſiccato, dein contuſam eius minam tenui cribro incernito, & linteo raro illigatam in vicenos ſextarios muſti recentis ac boni demergito: atque vbi trimeſtri ſpatio maduerit, elutriatum vinum obſtructo diligenter vaſe recondito. Licet quoque humida ſcilla vti, in orbiculos rapi modo diſſecta: ſed duplicato pondere. Cæterùm vinum id quadraginta diebus inſolari oportet, & valdè inueteraſcere. Sed & inſuper alia eſt antedicti vini parandi ratio.

Scilicet

Scilicet Scillæ diſſectæ ac repurgatæ minæ tres in muſti boni metretam Italicum adiiciuntur, & ſenos menſes vaſe obſtructo macerari ſinuntur: poſt id tempus defæcatum transfuſúmque vinum recõditur. Vtile porrò eſt contra cruditates & ciborum corruptiones: item iis qui cibum reuomunt, necnon & iis quorum ventrem ſtomachúmve craſſi humores obſederint. Prodeſt & lienoſis, habitu malo præditis, hydropicis, regio morbo & vrinæ difficultate laborantibus, torminoſis, inflatione vexatis, paralyticis, diuturnis rigoribus, vertiginoſis atque conuulſis. Menſes denique pellit, miniméque neruos infeſtat. Fit porrò vinum eiuſmodi vetuſtate melius. Sed cauendus ipſius vſus tum in febribus, tum & in exulcerationibus interaneorum.

De vinis aqua marina factis.

CAP. XXVII.

MARINA vina variè factitantur. Aliqui enim protinùs vt decerptæ calcatæque ſunt vuæ, aquam maris admiſcent: nonnulli priùs in cratibus vuas ſole ſiccant, iiſque deinde calcatis marinam adiiciunt. Alij paſſas priùs vuas in doliis aqua marina macerant, móxque calcatas exprimunt. Et eiuſmodi quidem vinũ dulce euadit. Quæ tamen auſteriore guſtu temperantur, etiam in febri-

bus subsidio sunt, siquidem meliora defuerint. Valent & ad aluum subducendam, prosúntque purulenta excreantibus, iísque qui aluo sunt dura, quíque facilè ex vinorum Aminæorum vsu capite tentantur: attamen & huiusmodi vina stomacho aduersantur, flatúsque pariunt. Porrò quò pleniorem habeant historiam ij qui huius studio tenentur, haud inutile duximus multiplices variè conficiendorum vinorum formulas infrà describere: non quòd frequens aut necessarius eorum existat vsus, sed ne quid omisisse videamur, quod ad vinorum tractatum pertineat. Sunt autem ex factitiis illis nonnulla minoris operæ & laboris, quæ tamen in vsũ veniũt: vti quæ ex cotoneis malis, pyris, siliquis, itémq; myrti baccis concinnantur.

De vino Cydonite.

Cap. XXVIII.

Itaque Cydonites, quod alio nomine melites appellatur, ita fieri consueuir: Mala cotonea exemptis seminibus frustatim raporũ modo conciduntur, éaque duodecim minarum pondere in musti metretam demittuntur, & inibi ad triginta dies esse sinuntur: tãdem excolatum vinum reponitur. Paratur & hoc modo: Ad succi cotoneorũ tusorũ pressorúmque sextarios duodenos, mellis sextarios singulos adiicere oportet, atque ita recon-

condere. Vinũ id aſtringit, & ſtomacho vtile eſt: itémque prodeſt dyſentericis, hepaticis, nephriticis & ægrè meientibus.

De Melomelite. CAP. XXIX.

Melomeli, quod & Cydonomeli nominant, fit in hunc modum: Cotonea mala ſeminibus exemptis in tantam mellis copiam coniiciuntur, vt eo ſubmerſa contegantur obruantúrve. Id poſt annum iucundum ac ſuaue redditur, mulſo non diſſimile. Præſtat autem eadem quæ ſuperior confectio.

De Hydromelo. CAP. XXX.

Fit Hydromelon, menſura vna melomelitis è cotoneis facti ad duas aquæ coctæ & per Caniculæ æſtum inſolatæ addita: ac vis huius eadem quoque eſt.

De Omphacomelite.

CAP. XXXI.

Omphacomelitis faciendi ratio hæc eſt: Vuas acerbas nondum variantes tribus diebus inſolato, deindéque exprimito: & ad ternas ſucci partes, mellis optimi deſpumati ſingulas partes adijcito: mox cõfectionẽ in fictilia diffusã inſolato. Vim reprimendi ac refrigerãdi habet: proindéq; ſtomachicis & cœliacis cõuenit. Vſus autẽ poſt annum eſt.

De vino Apite. CAP. XXXII.

Fit & è pyris, perinde atque è cotoneis, vinum Apites nomine, ita tamen vt pyra non

magnoperè matura sint. Quin & è siliquis etiam, mespilis & sorbis simili modo vina temperantur. Omnia porrò hæc genera astringunt, & acerba stomachóq; vtilia sunt, atque internas fluxiones cohibent.

De OEnanthino. CAP. XXXIII.

OEnanthinum vinum hoc modo concinnatur: Sumito florum siccorum è vite syluestri pubescente minas duas, & in musti metretam mittito, inibíque dies triginta macerari sinito: mox vinum excolatum recondito. Facit ad stomachum imbecillum eiusdémque fastidium, cœliacos atque dysentericos.

De vino Rhoite. CAP. XXXIIII.

Vinum è Punicis, quod rhoite vocant, fit in hunc modum: Punica matura lignosíque nuclei expertia sumito, acinísque expressum succum, aut ita vt est, aut ad tertias decoctum reponito. Efficax est contra fluxiones internas & febres alui profluuio comitatas. Est & stomacho vtile, aluúmque astringit & vrinam mouet.

De vino Rhodite. CAP. XXXV.

Rhodites seu rosaceum sic fit: Rosarum siccarum tusarúmque minam illigatam linteolo in musti sextarios octo conijcito: & post tres menses colo traiectum transfundito atque reponito. Vtile est ijs qui febri carent ad

rent ad

rent ad ſtomachi coctiones iuuandas, eiuſdémque dolores leniendos, à cibo potum: nec non & contra humidas aluos ac dyſenterias. Fit quoque è ſucco roſarum ammixto melle quod Rhodomeli vocant, arteriæ ſcabritijs vtile.

De vino Myrtite.
Cap. XXXVI.

Myrteum conficitur ad hunc modũ: Myrti baccas nigras præ maturitate iam flacceſcentes tundito, torculóque expreſſum ſuccũ diffundito. Aliqui etiam ad tertias decoquunt. Alij baccas priùs in cratibus ad ſolẽ ſiccant, & earum contuſarum ſingulis chœnicibus ternas aquæ heminas & vini veteris parem modum adijciunt: poſteà exprimunt atque recondunt. Potenter aſtringit, ſtomacho vtile: alui ſtomachíque rheumatiſmis prodeſt, itémque contra inteſtinas vlcerationes, fluorémque muliebrem: denique capitis etiam denigrat capillos.

De vino Myrſinite. Cap. XXXVII.

Myrſinites ita temperatur: Nigrę myrti teneri ramuli cum ſuis baccis ac folijs tuſi decem minarum pondo in tres muſti congios merguntur, coquuntúrque donec duo ſuperſint, aut certè dimidium: tandémque colatum id vinum ad vſus reconditur. Contra manantia capitis vlcera, furfures, papula-

rum eruptiones, gingiuarum ac tonsillarum inflammationes & aures purulentas efficax est, ac sudores quoque cohibet.

De Lentiscino vino. CAP. XXXVIII.

Lentiscinum similiter atque myrsinites temperatur.

De vino Terebinthino. CAP. XXXIX.

Nec secus Terebinthinum. Nam & harum arborũ ramuli sumi debẽt, in quibus fructus insit. Sed & assimilis sunt ista vina facultatis: siquidem astringunt, stomacho vtilia sunt, & fluxionibus stomachi, intestinorum ac vesicæ, itémque sanguinis profluuio accõmodantur: vlcera omnia fluxioni obnoxia fotu ad cicatricem perducunt: vuluæ denique ac sedis rheumatismos insessione cohibent.

De vino Palmeo. CAP. XL.

Palmeum vinum vt conficias, palmulas, quas chydæas (quasi vulgares) vocant, eásque maturas in doliolum imo pertusum & arundine picata obstructũ demittito, ita vt foramen lino obturatũ sit. Tùm denis chœnicibus ternos aquæ congios affundito: quòd si non admodũ dulce id esse libeat, quinos cõgios infundito, & ad dies decẽ macerari illas finito. Exacto eo spatio, hoc est, die vndecima detracto ab arundine linteo, vinũ crassum ac dulce excipito, atque reponito. Suaue illud quidẽ, sed capiti noxiũ: contra fluxiones,

nes, propter astrictoriam vim, efficax: candē ob causam stomachicis, cœliacis & sanguinē excreantibus conuenit. Sunt qui, addita rursum pari aquæ mensura, manantē deinde liquorem excipiunt: id quod tertiò, quartò & quintò faciunt, non item ampliùs: quando quod reliquum ab his est, acescit.

De vino Catorchite. CAP. XLI.

Catorchites, quod aliquibus sycites quasi ficatū appellatur, in Cypro similiter palmeo concinatur: sed hoc interest, quòd in hoc præparando nonnulli pro aqua recèns pressorum vinaceorum diluti tantundē adijciūt. Sumuntur in hunc vsum caricæ nigræ, quæ chelidoniæ punicéæve seu purpureæ appellantur: atque macerantur, vti anteà dictū est. Post dies decē liquor excipitur, atq; iterùm ac tertiò diluti vinaceorum par modus affunditur. Simili modo spatijs intercedentibus excipitur & quarta & quinta infusio: qua similiter acescēte, vice aceti vtūtur. Porrò vinū eiusmodi tenuiū est partiū: flatus gignit, stomacho aduersatur, & fastidiū creat: bonā tamen facit aluū, & vrinā ciet: menses quoque trahit, & lactis vbertatem præstat: at vitiosum sanguinem creat, & elephantiasin infert, vti & zythū. Aliqui senis amphoris denos salis sextarios adijciūt: alij muriæ amphoram. Sic.n. ægriùs vitiari, & aluo ido-

neum reddi exiſtimant. Alij etiam thymum & fœniculum in fundo ſubſternunt, deindéque caricas componunt, atque ita viciſſim, donec vas expleuerint.

De vino è Sycomoris factitio.

CAP. XLII.

Fit & è Sycomoris vinum eodem modo, ſed in acetum acre degenerat: quoniam non ita præualet vis eorum, vt manantis liquoris dulcedo retineri poſſit.

De vino Reſinato. CAP. XLIII.

Reſinatum vinum paſſim apud varias gẽtes factitari ſolet, ſed plurimum in Galatia: quoniam illic præ frigore non matureſcente vua vinum facilè coaceſcit, niſi picea reſina condiatur temperetúrve. Tunditur autem cum cortice reſina, & amphoræ dimidia hemina permiſcetur. Aliqui, vbi efferbuit, excolant ſeparántque reſinam: alij eandem relinquunt. Hæc porrò vina vetuſtate ſuauia redduntur. Sed omnia capitis dolorem & vertiginem faciunt: concoctionem tamen adiuuant, & vrinam cient: deſtillatione vexatis ac tuſſientibus proſunt: item cœliacis, dyſentericis, hydropicis, & fœminis vuluæ fluore laborantibus: profundioribus exulcerationibus eadem infunduntur. Cæterùm in hoc genere nigricans albo magis conſtringit.

De vino

De vino Strobilite. CAP. XLIIII.

Strobilites fit, maceratis in musto strobilis recentibus & contusis, præbétque resinati effectus. Quòd si quis strobilos musto præmaceratos decoxerit, abundè potum iis conducet qui tabitudine conficiuntur.

De Cedrino vino, & aliis.

CAP. XLV.

Cedrinum, Iuniperinum, Cupressinum, Laurinum, Pineum & Abiegnum, simili ratione concinnantur. Arborum enim, dum fructus edunt, cæsam recens materiem assulosè diuidere, & Soli aut balneo, ignive admouere oportet, vti consudet, congióque vini minam vnam permiscere, atque ita duorum mensium spatio sinere: tùm demũ transfundere, Soli exponere, tandémque recondere. Porrò factitiorum huiusmodi vinorum vasa impleri debent: nanque illa nõ expletis vasis acescunt. Nihilominùs medicata vina rectè valentibus haudquaquam idonea. Cæterùm isthæc omnia excalfaciunt, vrinam cient & leniter astringunt. Laurinum tamen vehementiùs excalfacit. Fit quoque vinum è Cedri maioris fructu, in vnum musti congium addito baccarum contusarum minæ semisse. Sed diebus quadraginta insolari, ac iis exactis, defæcatũ in vasa transferri debet.

De Iuniperino vino. CAP. XLVI.

Fit & è baccis Iuniperi, ſimiliter vt è cedri fructu, & ad eadem valens.

De Cedrite. CAP. XLVII.

Cedrites hoc modo fit: Cedriam dulci aqua lauant, & ſingulas amphoras ſingulis cyathis proluunt,& ita muſto replent. Hoc quoque vini genus excalfacit,attenuat, tuſſi antiquæ citra febrem vtile,necnon & pectoris laterúmque doloribus, torminibus, ac ventris & inteſtinorum vlceribus, purulenta excreantibus, hydropicis, & mulieribus vuluæ cauſariis. Facit & aduerſus lumbricos atque rigores: contra venenatorum morſus auxiliatur,ac ſerpentes necat: aurium deniq; doloribus inſtillatum medetur.

De vino Picato. CAP. XLVIII.

Vinum Picatum ex liquida pice & muſto temperatur. Picem autem primùm marina aut muria tantiſper eluere oportet, dũ inalbuerit,& ſincera maris aqua defluat: mox aqua dulci iterum proluenda. Tùm in cõgios octo muſti additur vncia picis vna aut altera,atque ita ſinitur. Pòſt vbi efferbuerit atq; ſubſederit,in vaſa diffunditur. Hoc genus vini excalfacit, concoctionem adiuuat,abſtergit atque purgat: proindéque vtile doloribus pectoris, alui, iocineris, lienis & vuluarũ, ſi ſine febre ſint, itémq; veterib. rheumatiſmis & pro-

& profundis exulcerationibus. Eſt & efficax contra tuſſim, tardam concoctionem, inflationes & anhelationes: luxatis denique, præſertim in ſuccida lana, imponitur.

De vino Abſinthite. CAP. XLIX.

ABSINTHITES variè conficitur. Aliqui enim in duodequinquaginta ſextarios Italicarum amphorarũ additã abſinthij Põtici librã decoquũt ad tertias partes. Dein vbi inſuper affuderint ſex muſti ſextarios, & abſinthij ſelibram diligẽter permiſcuerint, in vas diffundunt: cúmque ſubſederit, excolant. Alij abſinthij minam tuſam & linteolo raro deligatam in muſti amphoram demittunt, inibíque duobus menſibus macerari patiuntur. Alij abſinthij quadrantem trientémve, & nardi Syriacæ, cinnamomi, caſſiæ, floris iunci odorati, calami & palmæ elates ſingulos ſextantes priùs in pila tuſos in muſti metretam coniiciunt, & obſtructo vaſis ſpiraculo duûm triúmve menſium ſpatio dimittunt, tandémque defæcatum vinum transfundunt ad vſus. Sunt & qui in muſti cadum addant nardi Celticæ vncias xiiij. & abſinthij vncias xl. linteo illigatas: poſt quadrageſimum verò diem elutriant. Alij denique in viginti muſti ſextarios abſinthij libram, & reſinæ pini ſiccæ ſextantem immittunt, & poſt dies decem vinum ex-

colant atque recondunt. Vtile est stomacho: vrinam cit: tardam concoctionem accelerat: hepaticis, nephriticis, regio morbo laborantibus, cibum auersantibus, & stomacho malè affectis auxiliatur. Valet & contra diuturnam hypochondriorum distentionem, inflationes, teretésque lumbricos & remoratos menses. Denique prodest & cõtra hausta ixiæ venena, maiore copia potum, identidémque vomitione redditum.

De vino Hyssopite. CAP. L.

Hyssopites è Cilicio hyssopo maximè laudatur, fitque haud secus atque absinthites. Scilicet foliorum hyssopi tusorum libra linteo raro inuoluta in amphoram musti conijcitur. Intra linteolum verò simul etiam immittuntur lapilli, vt degrauatus ponduſculo fasciculus sidat, petátque fundum. Vinum post xl. dies defæcatum elutriatur. Contra pectoris, lateris & pulmonis vitia, veterem tussim & anhelationem prodest. Vrinam quoque cit, atque torminibus febriúmque rigoribus circuitu redeuntibus auxiliatur, ac menses denique mouet.

De vino Chamædryite.

CAP. LI.

Chamædryites simili quo hyssopites modo fieri solet. Excalfacit atque discutit, ideóque conuulsis, regio morbo, vuluæ inflationi-

tionibus, tardæ concoctioni & incipienti hydropi subuenit. Cæterùm inueterascens, præstantius euadit.

De vino Stœchadite. CAP. LII.

Simili quoque modo Stœchadites conficitur: sed in congios sex, minam stœchadis vnam addere oportet. Humores crassos dissoluit, & inflationes, lateris ac neruorum dolores atq; perfrictiones discutit. Datur & vtiliter comitialibus cũ pyrethro & sagapeno.

De aceto è Stœchade. CAP. LIII.

Ad eadem quoque fit acetum è Stœchade, herba ipsa vti antè dictum est aceto macerata: eosdem verò implet effectus.

De vino è Betonica. CAP. LIIII.

Fit vinum Cestrites è betonica, quam cestron psychotrophon appellant. Herba semine maturo prægnans cum suis ramulis minæ pondo in vini congios duos adiicitur, septémque mensium spatio dimittitur, tandémque transfunditur. Ad multa intestina vitia, vti & frutex ipse, pollet. Et vt in vniuersum dicatur, quælibet factitia vina eorum ex quibus finguntur sibi vires asciscunt. Quare iis qui illorum naturas pernouerint, fuerit etiam ex facili vinorum vires coniectura consequi: veruntamen vinorum vsus febricitantibus abdicandus. Fit etiamnum è betonica acetum, ad eadem vitia vtile.

De vino Tragoriganite.
CAP. LV.

Tragoriganites fit, quaternis tragorigani drachmis linteolo colligatis, in quaternos musti sextarios coniectis, & post tertiũ mensem transfusis. Prodest torminibus, conuulsis, ruptis, lateris doloribus, flatuum discursationibus ac difficilibus concoctionibus.

De vino Bunite. CAP. LVI.

E Bunio fit vinum nomine Bunites, binis drachmis Bunij tusi in musti quaternas heminas missis, & cæteris eodem modo factis. Confert stomachicis & armorum certaminis equitandíve lassitudine oppressis.

De vino Dictamnite. CAP. LVII.

Dictamnitis conficiendi ratio hæc est: Dictamni quaternas drachmas in octonis musti heminis similiter macerato. Facit aduersus stomachi fastidia, & purgamenta à partu mensésque ciet.

De vino Prasite. CAP. LVIII.

Ad vinum è Marrubio conficiendum, foliorum marrubij adulti tusorum chœnices duas in musti metretam demittito, cęteráque consimiliter facito. Conuenit hoc vinum pectoris vitiis, atque omnibus, quibus & ipsum marrubium.

De vino Thymite. CAP. LIX.

Thymites sic fit: Thymi tusi & cribrati drach-

drachmas centum linteo illigatas musti amphoræ indito. Valet contra difficiles coctiones, cibi fastidia, graues ructus, neruorum & præcordiorum dolores, frigoris hyemalis horrores: itémque aduersus animalia virus eiaculantia, quæ quidem ictu suo locum refrigerant & putrefaciunt.

De vino Thymbrite. CAP. LX.

Simili modo è Thymbra vinum fit: quod eadem quæ Thymites præstat.

De vino Origanite. CAP. LXI.

Sic & Origanites ex origano Heracleotico conficitur, haud secus atque Thymites, & ad eadem quoque est efficax.

De vinis è Calamintha, Pulegio & Abrotono. CAP. LXII.

E Calamintha, Pulegio & Abrotono vina fiunt, eodem quo Thymites modo. Prosunt stomachicis & cibum auersantibus: ac valent etiamnum ad morbum regium, propterea quòd vrinas cient.

De vino Conyzite. CAP. LXIII.

Similiter & è Conyza vinum fit: quod contra venenata præ cæteris est efficax.

De vino Aromatite. CAP. LXIIII.

Vinum Aromatites ita componitur: Palmæ, aspalathi, calami, nardi Celtici, singulorum vncias singulas postquam contriueris, passo subigito: indéq; factas grandiores offas

in musti austeri sextarios duodecim deiicito,& operculato vase quadraginta dies macerari sinito : excolatum deinde vinum recondito. Est & altera eius parandi ratio: Calami drach. viij. phu drach. vij. costi drach. ij. nardi Syriaci drach. vj. cassię drach. viij. croci drach. iiij. amomi drach. v. asari drach. iiij. Hæc, inquam, omnia simul trita & linteo colligata in musti metretam demergito : & postquàm vinum deferbuerit, transfundito Facit ad pectoris, lateris & pulmonis dolores: difficili vrinæ, rigoribus, retardatis mensibus, atque iis qui per gelidæ hyemis rigorem iter faciunt, potu auxiliatur. Conuenit & iis qui humores crassos gignũt: colorẽ quoque meliorem hilarioremq; facit, & somnum conciliat, doloresque leuat, vesicæ ac renum vitiis vtile.

De vino ex Myrrha, pipere & iride.

CAP. LXV.

Fit & vinum ad destillationes, tussim, cruditates, inflationes & stomachi superfluos humores. Myrrhę drach. ij. piperis albi drach. j. iridis drach. vj. anisi drach. iij. Ista penitùs contusa & linteolo illigata in sex vini sextarios coniicito: vinum post triduum excolato, & in lagena recondito. Ab inambulatione meraculum cyathi vnius mensura propinatur.

De

De vino Nectarite. CAP. LXVI.

Nectarites paratur ex helenio, quod alij Medicam, alij ſymphytum, aliqui verbaſcum Idæum, alij oreſtion, alij denique nectarion appellant. Radicis helenij ſiccæ vncias v. linteolo colligatas in muſti ſex congios addito, & poſt tertium menſem diffundito. Facit ad ſtomachi & pectoris vitia, ac vrinas quoque pellit.

De vino è Nardo Syriaco, Celtico & Malabathro. CAP. LXVII.

E Syriaca nardo & Celtica, malabathróq; vinũ factitatur in hunc modũ: Singulorum minæ ſemiſſem in binos muſti congios mittito, & poſt bimeſtre colato: cyathum vnum cũ tribus aquæ exhibeto. Bene facit hoc vinum nephriticis, ictericis, hepaticis, vrinæ difficultate laborantibus, decoloratis & ſtomachicis. Sunt qui acori vnciam vnam aut alteram, & Celticæ nardi vncias iij. in muſti amphoram adiiciunt.

De vino Aſarite. CAP. LXVIII.

Aſariten ſic conficito: Aſari vncias iij. in muſti heminas duodecim itidem adiicito. Id vini genus vrinam ciet, atque hydropicis, regio morbo laborantibus, hepaticis iſchiadicíſque conuenit.

De vino è ſylueſtri Nardo. CAP. LXIX.

E ſylueſtri Nardo ſic fit: Radicis ſylueſtris

nardi recentis ac tritæ cribratæque vncias viij. in musti congium similiter addito, & duos menses inesse patitor. Vtile hepaticis, vrinæ difficultate laborantibus, inflatis atque stomachicis.

De vino Daucite. CAP. LXX.

Daucites sic: Radicis Dauci planè contusæ vncias vj. musti amphoræ similiter indito, atque transfundito. Facit ad pectoris, præcordiorum ac vuluæ dolores: menses pellit, ructus cit & vrinas: prodest denique tussi, conuulsis atque ruptis.

De vino è Saluia. CAP. LXXI.

Vinum è Saluia similiter conficito: Saluiæ vncias viij. in musti amphoram, quæ eadem cum ceramio est, simili modo mittito. Valet contra renum, vesicæ & laterum dolores, sanguinis excreationes, tussim, rupta, vulsa, contusa & menses suppressos.

De vino Panacite. CAP. LXXII.

Panacis vnciam j. in musti congium vnum demittito, ac similiter elutriato. Prodest vulsis, ruptis, contusis & orthopnϾ: lienis crassitiem extenuat: est & efficax contra tormina, coxendicum dolores & tardas concoctiones: menses & partus extrahit: hydropi & venenatorum morsibus auxiliatur.

De vino Acorite. CAP. LXXIII.

Vina ex acoro & è dulci radice, consimili modo

modo fiunt. Oportet enim ſingulorum vncias octonas in ſenis vini congiis tribus mẽſibus macerare, móxque vinum in vaſa trãſferre. Faciunt ad lateris pectoríſque vitia, & vrinas mouent.

De vino Selinite. CAP. LXXIIII.

Seminis apij maturi, recentis & cribrati vncias nouem linteolo colligatas in multi amphoram ſimiliter demittito. Cibi appetentiam facit, atque ſtomachicis & vrinę difficultate laborantibus auxiliatur: halitum quoque commendat.

De vinis Marathrite & Anethino.

CAP. LXXV.

Ex Fœniculo, Anetho & Petroſelino vina eodem modo concinnantur, ad eadem efficacia.

De vino è Salis flore. CAP. LXXVI.

Paratur & è Salis flore vinum ad purgandum efficacius, quàm quod aqua marina tẽperatur. Verùm fauces, renes, veſicam & ſtomachum infeſtat. Quare neque in ſecunda, neque in aduerſa valetudine vtile cenſetur.

De vino Phthorio, ſeu Abortiuo.

CAP. LXXVII.

Fit & vinum quod partus enecat, abortúmve facit: Scilicet dum ſerũtur vites, veratrum aut cucumis ſylueſter, aut ſcammoneum earum radicibus adiungitur circumponitúrve,

Ita ſiquidem vuæ illorum vires ſibi aſciſcũt ac in ſeſe trahunt, proindéq; vinum ex iis depromptum abortiuum euadit. Datur verò ieiunis mulieribus quę antè vomuerint, aqua miſtum cyathorum octo menſura.

De vino Thymelaite. CAP. LXXVIII.

Ramorum Thymelææ cum ſuis foliis & fructu drachmas triginta in tres muſti congios mittito, & leui igne coquito, donec cõgij duo ſuperſint: deindéq; excolatũ vinum recondito. Aquoſa purgat excrementa, & lienem abſumit.

De vino Chamælaite.

CAP. LXXIX.

Chamelææ fruticem dum floret cum foliis tuſum cribratúmque duodecim drachmarum pondere in muſti congium addito, ac poſt duos menſes vinum transfundito. Hydropicis, hepaticis atque delaſſatis auxiliatur, itémque fœminis quæ à partu ægrè purgantur.

De vino Chamæpityino. CAP. LXXX.

Chamæpityinum ſimili modo concinnatur, & ad eadem conuenit, vrinæ ciendæ vi præditum.

De Mandragorite. CAP. LXXXI.

Vinum è Mandragora ita conficito: Corticem radicis mandragoræ concidito: ſegmentorum minæ ſemiſſem lino traiicito, & in muſti

In musti metretam demittito, inibíque esse finito ad menses tres, tandémque diffundito. Media potio, heminæ dimidium: bibitur verò passo in duplum addito. Aiunt porrò ipsius heminam vni congio mistam potu somnum & soporem inducere. Vnicus verò cyathus cum sextario vini potus, enecat. At moderatus ipsius vsus, doloris sensum aufert, atq; fluxiones incrassat. Cæterùm & olfactu & infusione idem præstat.

De Elleborite. CAP. LXXXII.

In congium musti aqua marina diluti, veratri nigri triti drachmas xij. linteo mundo inditas coniicito, atque vbi efferbuerit, trãsfundito: aut in congium musti, quod sit maris expers, veratri drachmas xiiij. aut xv. penitùs contusas mittito: post aliquot dies vinum excolato, & vtitor. Ad aluum soluendam cyathũ vnum ex aqua propinato â balneo iis qui à cœna vomuerint. Alia ratio: Veratri drach. xx. iunci odorati vncias xij. spicæ Syriacæ vncias xiij. cribratas & linteo colligatas in vini Coi heminas duodecim diebus quadraginta macerandas indito: postmodùm colato, & in potu sesquiheminam dato. Aliter: Decoctæ aquæ marinæ ex alto petitæ sextarios xij. veratri albi libras vj. in musti amphora diebas xl. macerato: atque vbi excolaueris, vtitor. Alia ratio: Veratri

drach. xij. aphronitri drachmas iiij. in musti heminis duodecim macerato xv. diebus: pòst colato, & exacto semestri vtitor. Id vini genus etiam fœtus abigit & abortum infert. Aliter: Sumito musti ex vuis in Sole siccatis metretam (capit autem metreta congios octo) & in illud vinum gypsi drach. xx. mittito, atque biduo residere sinito: tùm indito veratri nigri nodulo illigati vncias xxx. iunci odorati vncias xxx. & calami tantundem, baccarum iuniperi chœnicis semissem & quartam illius partem, myrrhæ & croci ana vnciam j. Ex his inquàm omnibus fasciculum linteolo inuolutum diebus quadraginta suspendito. Posteà excolato, & binos ternósve cyathos dilutos exhibeto. Purgat à partu & abortu fœminas: fœtus quoque extrahit, éstque contra vuluæ strangulatus efficax.

De Scammonite. CAP. LXXXIII.

Scammonites sic fit: Radicis scammoniæ per messes effossæ tritæ & linteo illigatæ drach. xv. in musti congium vnum mittito ad dies triginta. Purgat aluum, ac bilem & pituitam detrahit.

De Metallicis omnibus, & primùm de Cadmia.

CAP. LXXXIIII.

EX CADMIAE generibus optima est Cypria, quæ botryitis, (hoc est, racemosa) cogno-

cognominatur, densa, modicè ponderosa & in leuitatem magis declinãs, extima sui parte racemosa, colore cinereo, quæque confrãcta intus ciner acea & ęruginosa conspicitur. Proxima huic habetur, quæ extra quidem penè cærulea est, intus verò candidior, intercurrentibus lineis seu maculis onychitæ lapidi similibus: tales enim sunt quæ è fodinis veteribus eruuntur. Est & quæ placitis, quasi crustosa, dicitur, lineis intercurrentibus ceu zonis quibusdã cincta: quapropter eam etiam zonitim appellauêre. Est & alia quę ostracitis (quasi testacea) nominatur, gracilis & magna ex parte nigra, terrea aut testacea superficie: sed candida improbatur. Oculorum autem medicamentis botryitis nomine & onychitis vtiles: reliquę emplastris & medicaminibus quæ arida insperguntur ad trahendas cicatrices. Et ad ista quidem prodest Cypria: nam quæ ex Macedonia, Thracia & Hispania defertur, inutilis censetur. Cadmiæ effectus, astringere, caua explere ac sordes purgare. Sed & cutis spiracula obducit, siccat, crustas inducit, excrescentia in carne cohibet, atque vlcera, quæ cacoëthe vocantur, ad cicatricem perducit. Gignitur porrò & Cadmia quædam è fuligine, quæ dum excoquitur ęs (egesta flammis flatúq;) laterib⁹ camerísq; fornacũ applicatur. Sũt verò hę præ-

grandes ac ferreæ à metallicis aceſtides appellatæ, per ſumma faſtigia concameratæ, vt quæ ab ære ſurſum feruntur corpuſcula inibi detineantur & inhæreſcant: hæc cum ſpiſſiùs adhæreſcunt, in vnum corpus coaleſcunt, atque vnum modò cadmiæ genus, modò duo, modò omnia efficiuntur. Conficitur & Cadmia, cremato lapide cui Pyritæ cognomen eſt, è monte qui Solis incumbit eruto. In eodem verò monte reperiuntur quædam quaſi venæ chalciteos, miſyos, ſoreos, melanteriæ, cærulei, chryſocollæ, atramenti ſutorij, atque etiam diphrygis. Nec deſunt qui cadmiam in lapidũ fodinis inueniri tradant, decepti non parua lapidũ quorundam cum cadmia ſimilitudine, qualis inuenitur & apud Cumas lapis nullam ſui vim oſtendẽs. Atqui hi eo deprehenduntur, quòd ſunt cadmia leuiores, itémque cõmanducati guſtum ac ipſos etiam dentes offendunt: at cadmia, quippe quæ dentibus cedat, ſine offenſa mãdi poteſt. Alio inſuper diſcerni poſſunt argumento: Cadmia ſiquidem in farinam detrita & aceto ſubacta atque in ſole ſiccata coit, quod lapidi non accidit. Adhæc tritus lapis igni impoſitus diſſilit, & fumum ab ignis ipſius fumo haudquaquam diuerſum emittit. Cadmia verò quieta manet, fuliginémque reddit ad luteum vergentem, æreóque

que

que colore ſplendentem, ceu zonam quandã variam. Inſuper lapis ignem expertus deindéque refrigeratus colorem mutabit, ac leuior quoque fiet: ſed cadmia nullatenus euariat, niſi quis eam multis horis cremauerit. Fit & in argenti fornacibus candidior & minùs põderoſa, ſed viribus impar. Vritur porrò antedicta cadmia carbonibus obruta, donec tranſlucida euadat & ferri ſcoriæ modo bullet: dein extinguitur vino Aminæo: ſed quæ ad pſorarum medicamẽta præparatur, aceto. Nonnulli verò hoc modo exuſtã vino ſubigunt, rurſúmque in olla cruda torrent, donec pumicoſa videatur, iterúmque tritam ex vino tertiò vrunt, vſquedũ prorſus in cinerem redigatur, nihil ſcabritiæ retinens: atque hac ſpodij vice vtuntur. Lauatur autem trita in mortario, aqua ſubinde effuſa, dum nihil ſordidi ſupernatet: túmque in paſtillos coacta reponitur.

De Pompholyge. Cap. LXXXV.

POMPHOLYX à ſpodo ſpecie ſola diſtat, non item genere. Siquidem ſpodos quodammodo nigricat & plerunque ponderoſior eſt, ſcintillarum, pilorum ac terræ plena, quaſi purgamentum quoddã quod ab ærariarum officinarũ pauimentis atque fornacibus euerritur atque deraditur. Pompholyx verò, pinguis eſt & candida, inſupérque le-

uiſſima, vt in aërem euolare poſsit. Et huius quidem duo ſunt genera: vnum ad aëris colorem vergẽs & ſubpingue: alterũ perquàm candidum, ſummámque leuitatem nactum. Fit verò candida pompholyx, cùm in liquãdo perficiendóque ære fabri detritã cadmiã cumulatiùs inſperſerint, eo ſcilicet conſilio vt illam reddant meliorem. Etenim quæ ab hac effertur fauilla, candidiſſima eſt atque in pompholygem coit. Neque verò ſolùm factitatur pompholyx ex æris materia, intereà dum illud coquitur atque perficitur, ſed & è cadmia follibus proflata conſultò vt illa gignatur. Eius autem faciundæ ratio hæc eſt: In domo gemina contignatione operta extruitur camin⁹, & in eo tabulatũ verſus mediocris feneſtra, quæ supernè pateat. Ædiculæ verò paries camino proximæ anguſto foramine ad ipſam fornacem vſque perforatur, fiſtulæ follis excipiendæ gratia. Habet & oſtium mediocre pro ingreſſu egreſſúque ab artifice fabricatum. Huic ædiculæ altera præterea contigua eſt, in qua & folles & is cui ſufflandi cura demandatur ſuo munere funguntur. Quod ſupereſt carbones inditi fornaci ſuccenduntur: ac deinde qui aſtat artifex cadmiam minutim contritam inſpergit à locis ſupra fornacis verticem extructis. Idem negotium obit miniſter artifi-
cis,

ctis, simul & carbones identidem ingerit, vsque dum quicquid cadmiæ inditum est absumptum fuerit. Porrò dum ipsa vritur, egesta flammis flatibúsque pars tenuis ac leuis in superius cœnaculum effertur, atque ipsius parietibus tectóque adhærescit. Inde verò conflatum corpus, inter initia quidem bullarum in aqua surgentium similitudinem refert: at posteà incremento subinde accedente, lanarum carptarum flocculos imitatur. Quod autē ponderosius est, in ima loca concedit, & partim quidem fornaci, partim etiā domus pauimento circunfunditur. Et hoc quidem tenuiore deterius existimandū est, ideò quòd, dum colligitur, terræ spurcitiæq; non parū asciscat. Sunt qui hoc tantùm modo antè memoratam spodon fieri arbitrantur. Optima autem cēsetur Pompholyx Cypria, quæ aceto subacta odorem ęris præstat, & colore æruginē quodammodo refert, insupérque gustu cœnum sapit: atque si fraudē non experta ignito carboni imponatur, inferuescit, aëreum contrahens colorē. Cæterùm antedictis notis diligēter attēdēdū est. Siquidē à nonnullis taurino glutine, aut pulmonib. agninis vel etiā marinis, aut crematis grossis & quibusdā aliis cōsimilibus adulterat: id ꝙ tamē facile est deprehēdere. Quippe in his explorādis nihil eorū cōperietur,

quæ antedicta sunt. Porrò Pompholygem in vniuersum ita lauari oportet: Linteolo mundo modicéque raro illigatam seu aridam seu aqua subactam in peluim demittito, quę pluuiam aquam contineat: linteolum cui illigatur aquæ immergito, ipsum huc atque illuc peragitans. Sic enim illius pars limosa & vtilis præterfluet: omne verò crassamen intra linteolum retinebitur. Postea quàm verò residere siueris, aquam cinere excolato: ac vbi aliam rursum affuderis, agitato & effundito, totiésque aquam permutato, cæteráque similiter facito, dum nihil arenosi subsidat: demùm aquam exprimito, & siccatum cinerem reponito. Sunt qui postquã pompholygem, quantum maximè licuit, exiccarunt, eã manibus in aqua conterunt, donec mellis crassitudinẽ habeat: deinde linteo faucibus excepturi vasis obtento, aut etiã laxiùs deligato colant, & quò faciliùs transmittatur, infusa linteo largiore aqua cinerem conturbant: mox spumosum, quod traiectum est & vasi supernatat, concha excipiunt, atque fictili nouo ad vsus recondunt. Quod verò resedit sensim cribratũ in aliud vas transfũdũt, relicto arenoso quod pessum ierat. Rursus lapidosa sidere patiuntur, & in vas aliud mundũ excolant: atque hoc identidẽ faciũt, donec cinis purus & arenæ expers euaserit.

Alij

Alij pompholygem totam & omnibus ſui partibus conſtantem aquæ paulatim inſpergunt, arbitrati fore vt antedictæ arenæ lapillíque inſita grauitate vaſis fundū petant, pili autem & paleæ cæteráque eiuſmodi ſua leuitate in ſublime tollantur. Tandem vbi cinerem medium ſepoſuerunt & in pilam cōiecerunt, eum veluti cadmiam eluunt. Lauatur & vino Chio aqua marina diluto, iuxta modos quos ſuprà commemorauimus: & ita redditur aſtringentior, quàm dum aqua eluitur. Vis Pompholygis aſtringere, refrigerare, explere, purgare, ſpiracula cutis obducere, & quadantenus exiccare. Quòd ſi ſpodium torrere opus fuerit, diligenter tritum & aqua irrigatum cogito in paſtillos, fictilíque nouo ſubiectis leuibus prunis orbiculos aſſiduè verſato, dum aſſiccati fuluescant. Cæterùm minimè ignorādum ex auro quoque & argento, inſupérq; plumbo fieri ſpodium: verùm poſt cupreum, plumbeum maximè commendatur.

De Antiſpodis, hoc eſt, Spodi ſuccedaneis.

CAP. LXXXVI.

QVANDOQVIDEM, deficiente ſæpenumerò Spodio, Antiſpoda quæ in illius locum ſufficiuntur, non mediocrem præbēt vſum, neceſſe fuerit oſtendere, quænam ea ſint quæ ſimiliter pollēt, & quo modo vſur-

pari debeant. Folia itaque myrti ſumito cũ floribus & baccis adhuc immaturis, eáque in ollam crudam conijcito, & oblito operculo crebris pertuſo foraminibus, indito figlinæ fornaci. Cúmque figlinum percoctum fuerit, in aliud fictile crudum illa transferto: & hoc altero rurſum peraſſato, exempta lauato, & vtitor. In eundem vſum ſimiliter etiã pręparare licet cauliculos ſylueſtris oliuæ cum ſuis floribus, ſiquidem habeantur: ſin minùs, ſatiuæ: atque horum penuria, mala quoque cydonia conciſa nucleis exemptis, aut gallã, aut panniculos lineos, aut mora immatura, id eſt, candida in ſole priùs arefacta, aut lentiſcum, aut terebinthum, aut œnanthen, vel tenera rubi folia, vel buxi comam, vel pſeudocyperum appellatam cum flore. Aliqui ficulneos ramulos in ſole anteà ſiccatos eodẽ modo præparant: alij taurinum gluten: alij ſuccidas lanas aſperas, pice aut melle imbutas. Cæterùm antedicta iſthęc omnia in ſpodij vicem vſurpantur.

De Aere vſto. CAP. LXXXVII.

AEs vſtum probatur rubrum, & quod dũ teritur colore cinnabarim imitatur: nigrum, plus quàm deceat exuſtum eſt. Fit autem è clauis diſſolutarum nauium in fictili crudo compoſitis, ſubſtrato ſulphure cum ſalis

ſalis pari pondere,& iiſdem his viciſſim inſparſis. Olla operculata etiam circumlito creta figulari ſpiramento inditur fornaci, donec figlinum planè percoquatur. Alij pro ſulphure & ſale,alumen inſpergũt. Quidam ſine ſulphure & ſale compoſitos in olla clauos ad multos dies vrunt. Alij ſolo ſulphure vtuntur : claui tamen ſic vſti, fuligine inficiuntur. Alij oblitos ſciſſili alumine clauos, additis ſulphure & aceto, fictili crudo cremant. Alij denique in ænea olla aceto aſperſos vrunt, deindéque iterum ac tertiò idem faciunt,poſteáque recondunt. Principem locum obtinet, quod in Memphide combuſtũ eſt:proximum,quod in Cypro. Vis ipſius aſtringere,exiccare, extenuare, reprimere,attrahere,repurgare,vlcera ad cicatricem perducere, oculorum vitia exterere,excreſcentia in carne abſumere, & nomas cohibere. Facit & vomitiones ex hydromelite potum, aut cum melle delinctum illitúmve. Porrò lauatur vt Cadmia, mutata quater die aqua, donec ſpumæ nihil prorſus innatare videatur. Quin & æris ſcoria ſimili modo lota, eandem quoque vim,ſed imbecilliorem,obtinet.

De Flore æris. CAP. LXXXVIII.

FLOS æris, quem nonnulli clauorum veterum pſegma,(quaſi ramentũ,) nomina-

runt, optimus censetur qui friabilis est, & dũ teritur valdè rufus, milio forma similis, exiguus, ponderosus, mediocriter splendens, quíque insuper delimatam æris scobem minimè recepit, qua quidem adulterari consueuit: sed eo fraus deprehẽditur, quòd scobs illa dentibus appressa dilatatur. Fit autẽ ille, cùm æs fornacibus metallicis fusum in receptacula delapsum fuerit per cola tubulorum ad ea pertinentium. Tùm enim ij qui repurgandis metallorũ inquinamentis præfecti sunt, aquam purissimam æri affundunt, eius refrigerandi gratia. Hac verò repentina densatione concretionéque velut expuitur & emicat antedictus flos. Porrò astringit is & excrescentia cohibet: deterget ea quæ pupillis oculorum officiunt atque caliginem offundunt, sed magnoperè mordet. Quaternûm etiam obolorũ pondere datus, crassos humores extrahit: quin & absumit narium carnosa vitia, itémque sedis: papularum eruptiones cum vino cohibet. Cæterùm is qui candidus est, contra diuturnas auriũ grauitates tritus, in eas per fistulam flatu impellitur: reprimit & vuam atque tonsillas farina eius cum melle admota.

De Squama æris. CAP. LXXXIX.

SQUAMA Cypriarum officinarum clauis excussa cõmẽdatur, quæ crassa est, & heli-

tis,(quaſi clauaris,) nominatur:at vitioſa cẽſetur, quæ ex candido ære decutitur:quippe quæ tenuis & inualida ſit. Hanc ideò dãnamus:illam verò deligimus quæ craſſa fuluáque eſt, & aceti reſperſu æruginem contrahit. Vim habet reprimendi,attenuandi,nomas cohibendi, putrefaciendi & cicatrices obducendi. Pota verò ex aqua mulſa, aquas ſubducit. Aliqui cum farina ſubactã exhibẽt in catapotio. Additur & ad oculorum medicamenta: ſiquidem & genarum ſcabritiã abſumit,& fluxiones exiccat.Lauatur autẽ hoc modo: Siccæ æris ſquamæ expurgatæ minã dimidiam cum aqua limpida in pilã coniicito,& manu diligẽter miſceto, donec ſquama ſubſederit:quæ ſuperſtant abiicito, & effuſa priore aqua,pluuię cyathum vnũ affundito:túmque diducta manu ſquamam,quaſi deſtringenda ſit, vehementer in mortario confricato. Cùm verò cœperit lentorẽ quẽdam remittere, paulatim aquam ad ſex cyathos vſque ſuperinfundito, validè interim terens:deinde manu ſquamã ad latus mortarij conuertito,ibíque firmiter apprimito: & expreſſum humorem qui defluxerit pyxide ex ęre rubro facta excipito.Hoc enim eſt veluti flos ſquamæ,valens viribus,& ad oculorum medicamenta cùm primis efficax:quod reliquum eſt,inutile ac imbecillum. Attamẽ

& quod relictum est similiter lauato, donec nullum prorsus lentorem ex se remittat, tandémque opertum linteolo ad biduum conquiescere sinito: postmodùm diffusa extante aqua, reliquum siccatum pyxide recondito. Sed & hoc nonnulli cadmiæ instar elotum reponunt.

De Squama stomomatis. Cap. xc.

SQVAMAE stomomatis eadem vis. Simili quoque modo lauatur atque reconditur: attamen ad aluum purgandam inefficacior.

De AErugine rasili. Cap. xci.

AERVGO rasilis his fit modis: In cadum aut aliud consimile vas acetum quàm acerrimum infundito, atque illi superponito inuersum vas æneum, præsertim concameratum: sin minùs, planum. Sit verò id probè detersum, nullúmque habeat spiramentum. Decima deinde die sublato operculo, æruginem inhærentem deradito. Aut: ipsam æris laminam in vase super acetum ita suspendito, vt ne ipsum attingat: & totidem post dies radito. Aut: massulam seu lamellam æris vnã pluresve vinaceis nõ recentibus, sed iã acescẽtibus, cõdito, ac similiter inuertito. Quin etiã æruginẽ facere licet ex delimata æris scobe, necnon & è laminis quibus interiectæ auri bracteæ malleo du-
cuntur,

cuntur, ſi quis eas aceto reſpergat & ter quatérve verſet, donec omni ex parte æruginem contraxerint. Tradunt & æruginis duo genera in Cyprijs gigni fodinis, vnum quidem quod ſupra lapides quoſdam effloreſcit æris miſcellam ſortitos, alterum verò quod per Caniculæ æſtus è ſpecu quodam extillat: addúntque illud paucum & optimum eſſe, hoc quod è ſpelunca manat, copioſum quidē & boni coloris, at vitioſum, quòd lapidoſa plurima intermixta habeat. Adulteratur porrò ærugo tū alijs multis ammixtis, tū verò his maximè quæ ſequuntur: aliqui enim pumicem, quidam marmor, alij atramentū ſutoriam illi admiſcent. Sed pumicē & marmor deprehendemus, ſi manus ſiniſtræ pollicem madefaciamus, & altero æruginis portiunculam ipſi affricemus. Siquidē quicquid eſt æruginis diffundetur: pumicis autē marmoríſque partes diſſolui diſſiparíque minimè poterūt, ac demùm crebro affrictu humoríſque permixtione inalbeſcēt. Quin & dentiū appreſſu vitium licet deprehendere: quoniā quæ ſincera eſt, læuis occurrit ac ſine aſperitate. Atramentum verò ſutoriū, igne coarguitur. Nanq; ſi laminæ aut fictili æruginem ita adulteratam inſperſeris, & horum alterùtrum feruenti cineri aut prunis impoſueris, mutato colore rubeſcet quæ atramento

ſutorio mixta fuerit: propterea quòd id vſtũ talem ſuapte natura ſortitur colorem.

De Ærugine Scolecia. CAP. XCII.

Æruginis, quæ Scolecia dicitur, duo ſunt genera: quædam enim foſſilis eſt, altera factitia ad hunc modũ: In mortarium Cyprij ęris, quod & piſtillum ex eadẽ materia factũ habeat, aceti albi acríſque dimidiam heminam infundito, teritóque tantiſper dum ſtrigmenti craſſitudinem aſciſcat: deinde indito aluminis rotundi drachmã vnam cum ſalis foſſilis tranſlucidi, aut marini quàm albiſſimi ſolidíque, aut certè nitri pari pondere: atque æſtuoſiſſimis diebus circa Canis ortũ in ſole ſubigito, donec æruginis colorẽ & ſtrigmenti ſpiſſitudinem contrahat: tandémque vbi in vermiculorum Rhodiacis ſimilium ſpeciem coëgeris, recondito. Efficax autem & valdè boni coloris redditur, ſi duæ partes vrinæ veteris cum vna aceti adiiciantur, & reliqua, vti dictum eſt, peragantur. Sunt qui æruginem raſilem quæ in apparatu voto nõ reſponderit ammixto gũmi digerant in paſtillos, & ita vendunt: ſed genus id ceu vitioſum repudiandum eſt. Fit & ab aurificibus ęrugo quædam, qua aurum ferruminant, ducta ſcilicet vrina pueri impuberis in mortario cupreo piſtilli ope ex eadem materia cõfecti. Porrò antedicta prorſus omnia ęru-

ginum

ginum genera vsto æri respondent, sed magis effectu valent. Sciendum verò inter ipsa Scoleciam fossilem principatum tenere: proximum locum dari rasili: postremum, factitiæ. Mordacissima tamen hæc est, atque magis astringit: at aurificũ ærugo, rasili respondet. Itaque æruginis genera omnia astringunt, excalfaciunt, oculorum cicatrices exterunt & attenuant, lacrymas cient, nomas sistunt: vulnera ab inflammatione tuentur: vlcera ex oleo ceráque ad cicatricem perducunt: callos & sordida vlcera purgant, cum melle cocta: ammoniaco excepta & collyrij modo in fistulas adacta, earum callos absumunt. Sunt & ad gingiuarum excrescentias & extuberationem vtilia. Magnoperè quoq; extenuant genarum crassitiem, cum melle inuncta: verùm post inunctionem spongia ex aqua calida locus fouendus est. Eadem subacta cũ resina terebinthina, addito chalcantho aut nitro, lepras tollunt. Cæterùm æruginem quancunque velis vri oportet in hunc modum: Ipsam minutissimè friatam fictili patellæ subiectis flagrantibus prunis imponito, versatóque donec sese mutet, & colorem cinereũ quodãmodo referat: posteà refrigeratam reponito ad vsum. Sunt qui cruda olla eã vrant, vti dictũ est: sed nõ prorsus eundẽ vndique colorem cremata reddit.

De Ferrugine, seu ferri rubigine. CAP. XCIII.

RVBIGO ferri restringit, fluorem muliebrem subdita sistit, potúque conceptionem impedit. Illita ex aceto, erysipelatis & papularam eruptionibus medetur. Perquàm vtilis ad digitorum paronychias, pterygia, genarum scabritias & condylomata. Gingiuas eadem firmat, & podagricis inunctione prodest, & alopecias explet. Vinum aquáve in qua candens ferrum restinctum fuerit, potu cœliacis, dysentericis, lienosis, cholera laborantibus & stomacho dissolutis auxiliatur.

De Recremento, siue scoria ferri. CAP. XCIIII.

SCORIA ferri eadem potest, quæ rubigo, sed efficacia minore. Contra aconiti venenum ex aceto mulso pota opitulatur.

De Plumbi lotura. CAP. XCV.

COMPARATVR & plumbum elotum hunc in modum: In mortarium plumbeum vbi aquã inieceris, pistillo plũbeo terito, vsquedum aqua nigrescat & limi modo crassescat. Linteolo deinde colato, aquã insuper affundens, quò faciliùs quicquid resolutũ est traijci incernívе possit. Hoc ipsum iterum atque iterũ facito, vsque dũ sat esse tibi videatur. Pòst vbi lotum plumbũ cõsederit,

priore

priore aqua effuſa nouam affundens, vt cadmiam lauato, dum nihil amplius nigritiæ ſupernatet: tãdem coactos inde paſtillos reponito. Quidam puri plumbi limatam ſcobem mortario piſtillóque lapideis, aut manibus ex aqua terunt, miniſtro ſenſim aquã affundente, quæ hoc modo liuorẽ contrahit. Hac vbi ſubſederit effuſa, paſtillos illicò fingunt. Nam quod diutiùs conteritur, ceruſſæ ſimile redditur. Alij elimatæ ſcobi plumbaginis pauxillum adijciunt, aſſerentes elotum ita plumbum præſtantius euadere. Poteſt refrigerare, aſtringere, ſpiracula cutis obducere, mollire, caua explere, ſiſtere oculorum fluxiones & vlcerum excreſcentia. Sanguinem quoque ſupprimit, ac prodeſt contra ſedis vlcera, condylomata, & hæmorrhoidas, ex roſaceo: item ad ea quæ ægrè cicatricem ducunt. Denique ſpodij effectus præbet, niſi quòd cruſtas haudquaquam inducit. Cæterùm ſincerum plũbum affrictu, marini ſcorpionis draconíſque ictibus auxiliatur.

De Plumbo vſto. CAP. XCVI.

VRITVR plũbũ ſic: Sumito plũbi laminas quàm minutiſsimas, & nouę patinæ imponito, ac ſulphur inſpergito: rurſúmque laminas alias addito, ac ſulphur itidẽ inſpergito: atq; ita viciſſim tũ laminas tũ ſulphur

insternito, donec vas expleueris, deindéque succendito. Flagrans autem plumbum ferrea rude versato, vsque dum perfectè redigatur in cinerem, nihílque supersit quod plumbũ referat: tùm demùm obstructis naribus eximito, quoniam halitus plumbi noxius est. Aut lima quæsitam plumbi scobem cum sulphure indito patellæ, atque sic vrito. Alij laminas crudo fictili, vti dictũ est, inditas imponũt fornaci aut foco, &, circumlito operculo datóque exili spiramento, vrunt. Non desunt qui pro sulphure cerussam aut hordeum intersternant. Alij postquàm sinceras laminas imposuerunt, acri igne vtuntur, & rudicula ferrea vehementer agitant, dum in cinerem soluantur. Sed difficilis huiusmodi vstio: & si ampliùs vrantur, spumæ argenti colorem contrahunt. Magis tamen nobis placet prima vrendi ratio. Debet verò plumbum vstum lauari sicut cadmia, atque ita reponi. Cæterùm vim habet eandem quam plumbum elotum, sed efficaciorem.

De Scoria plumbi. CAP. XCVII.

RECREMENTVM plumbi, scoriam vocãt, optimum est quod cerussam repræsentat, dẽsum, fractu contumax, nihil plumbosi habens, quódque ad luteum colorem accedit & vitrum imitatur. Eadem quæ plumbum exustum potest, sed magis astringit. Lauatur

natur in mortario affuſa aqua,& refuſa ſummna aquæ parte quę luteum colorem traxerit. Iteratur id ſæpiùs, dum recrementum abſumptum fuerit. Tandem vbi ſubſederit, effuſa aqua diuiditur in paſtillos.

De Lapide plumbario.

CAP. XCVIII.

LAPIS molybdoides à plumbi ſimilitudine dictus, vim habet recremento haud abſimilem: ac eodem quoque modo lauatur.

De Stibio. CAP. XCIX.

STIMMI, optimum quod eſt ſplendidiſſimum & radians, dum frãgitur cruſtoſum, quódque nihil terreni aut ſordidi habet, éſtque friabile. Hoc nonnulli ſtibi, aliqui platyophthalmon, alij larbaſon appellarunt. Vis eius ſpiracula cutis obducere, aſtringere, refrigerare, excreſcentia in carne cohibere, vlcera ad cicatricem perducere, ſordes & vlcera oculorum expurgare. Siſtit & ſanguinem è cerebri membrana profluentem: & vt in vniuerſum dicatur, vis vſto plumbo ſimilis eſt. Priuatim ambuſta igni in cruſtulas erumpere non patitur, cum adipe recenti illitum: quæ verò cruſtam contraxêre, ad cicatricem perducit, additis cera & exigua ceruſſa. Torretur autem farina ſubacta circumlitum & carbonibus obrutum, donec carbũculetur cruſta: exemptúmque reſtinguitur

mulieris lacte quæ marem pepererit, aut vetere vino. Vritur verò prunis impositum, sufflatúmque, quoad ignescat: si enim ampliùs vratur, plumbi instar eliquescit. Cæterùm lauatur cadmiæ & æris modo: sunt tamen qui ceu plumbi recrementum eluant.

De Molybdæna seu plumbagine.

CAP. C.

PLVMBAGO probatissima est, spumæ argenti æmula, flaua, modicè splendens, ac dum teritur fulua, quæque cocta in oleo iocineris colorem trahit. Vitiosa, quæ aërium aut plumbeum colorem refert. Gignitur in auri argentíq; fornacibus. Est & fossilis quædam, quæ ad Sebastiam & Corycum reperitur: ac in eo genere probatur magis, quæ neque scoriæ speciem prę se fert, neque lapidosa est, sed flaua ac nitens. Vim habet spumæ argenti & scoriæ plumbi similem: sed & vritur lauatúrq; simili modo. Additur tamen hæc aptiùs in emplastra lenia, quę lipara vocant, & ea quæ non alligantur, ídq; non inutiliter: quippe quæ carnem recreat & cicatricem obducit. At verò glutinantibus detergentibúsque compositionibus haudquaquam conuenit.

De argenti Scoria. CAP. CI.

RECREMENTVM argenti, quod helcysma seu encauma vocatur, eãdem quam molyb-

molybdæna vim habet. Quamobrem emplastris fuſcis & cicatricem inducentibus miſcetur: vtpote cùm aſtringat, & ſpiracula cutis obducat.

De Argenti ſpuma. CAP. CII.

SPVMA argenti quædã fit ex arena, quam molybditin vocant, in fornacibus conflata, donec perfectè igni incandeſcat: altera ex argento: tertia ex plumbo. Probatiſſima eſt Attica: proxima Hiſpanienſis. Has ſequitur quæ fit Puteolis Cãpaniæ, & in Sicilia. Plurima enim hiſce locis è flagrãtib' lamìnis plũbeis gignitur. Quę flauo colore ſplẽdet, chryſitis appellatur, omniũ optima: quę in Sicilia, argyritis: quæ ex argento, Calabritis. Vis autẽ aſtringere, mollire, explere caua, excreſcẽtia in carne reprimere, cicatricẽ inducere, refrigerare, ſpiracula cutis obducere. Vres porrò argẽti ſpumã in hunc modũ: Ipſam in fruſta diuidito, quæ iuglandiũ magnitudinem æquent: hæc prunis imponito, & ita follibus accendito vt conflagrẽt: tùm abſterſa quę inſidet ſpurcitia reponito. Aliqui vbi ter aceto aut vino reſtrinxêre, rursũ vrũt, & hoc facto recõdũt. Abluitur vt cadmia. Cãdor verò datur ad hunc modũ: Sumito de ea quæ argyritis nominatur, aut, ſi deſideretur, de alia quapiã in partes fabarum magnitudine confracta, quantum capit Attica chœnix: ac vbi fi-

ctili nouo indideris, aquam ſuperfundito, adiectáque candidi tritici pari menſura, priuatímque hordei pugillo intra linteolum mundũ & rarum de vaſis auricula ſuſpenſo, coquito donec rumpatur hordeum. Deinde cùm omnia in nouũ craterẽ oris ampli trãſfuderis, triticũ quidem ſeorſum abiicito: ſpumã verò argenti infuſa aqua lauato, ſimúlq; manibus vehementer confricato: demùm exemptam aſſiccatámq; in Thebaico mortario terito, calidam affundens, donec ea penitùs ſoluta fuerit. Excolata aqua, iterum tota die terito, & veſperi infuſa calida ſinito: poſtero mane hanc vbi eliquaueris, aliam infundito, atque ita ter die excolato. Idem ſeptenis diebus repetito. Poſt id tempus additis ad ſingulas ſpumæ argenti minas quinis ſalis foſſilis vnciis, affusáque aqua calida, ter die terito & ammixta aqua excolato. Cùm inalbuerit, calida infuſa idem facito, dũ nullam prorſus ſalſuginem reſipiat. Tandem ardentiſſimo ſole ſiccatam eiecto priùs humore recondito. Sin aliter voles, argyritidis ſpumæ minam vnam diligenter terito, deindéque, addito triplo ſale foſſili trito, in ollam nouam coniicito, infuſáque aqua ita vt ſuperemineat, moueto quotidie mane & veſperi, aquam ſuperinfundẽs, priore nequaquam effuſa. Hoc idem facito tricenis diebus: nanque

que nisi moueatur, in testæ duritiem concrescit. Post hæc effusa leniter muria, argenti spumam in Thebaico mortario terito, coniectámque in fictile infusa aqua manibus diligenter agitato: aquam subinde mutato, donec nullum salsuginis præbeat indicium. Demùm quod ex argenti spuma candidum apparet in aliud vas transferto, & redactum in pastillos plumbea pyxide condito. Alij spumam argenti ad fabarum magnitudinem confractam in ventre suillo crudo ex aqua coquunt, dum viscus velut eliquescens dissoluatur, indéque exemptam & cum pari sale tritam abluunt, vti suprà dictum est. Sunt qui salis libram vnam & spumæ argenti tantundem in sole ex aqua terant, hac subinde mutata, dum candor ei concilietur. Alia ratio: Sumito quantam vis argenti spumam, ac vbi lana candida inuolueris, fictili nouo indita aqua cum fabarum recentium repurgatarúmque pugillo decoquito. Cúmque fabæ disruptæ dehiscent, lanáque denigrata fuerit, exemptam argenti spumam & altera lana obuolutam iterum coquito, cyathum aquæ & parem fabarum modum adiiciens: eadem tertiò, quæ suprà, facito, & in summa vsquedum lana non ampliùs inficiatur. Tandem transferens in mortarium, ad octogenas spumæ argenti drachmas Atticas, sin-

gulas ſalis foſſitij libras adiicito, & terito. Ac interiecto aliquo temporis ſpatio nitri quàm albiſſimi cum aqua diluti drachmas xlvij. indito: atque iterum terito, donec argenti ſpuma candoris ſatis contraxiſſe videatur. Ita autem vbi fuderis eam ex alto in fictile oris ampli, affuſa inſuper largiore aqua, ac ſubſidere ſiueris, hãc quidem colato: nouam autem ſuperadiiciens aquam, manibus probè verſato, ac ſinito rurſum vt conſidat: demúmque per colum traiicito. Alternis eadem proſequere, dum quæ effluit aqua valdè pura, dulcis & ſalſitudinis expers euaſerit. Poſtremò, in fictile nouum tranſlatam, excolato ſenſim omni humore, Soli quadraginta diebus ſub Caniculę ſydus exponito, & ſiccata vtitor. Cæterùm conſtat elotam conferre ad oculorum medicamenta, & ad cicatricum fœditates tollendas, itémque ad facies rugoſas ac maculoſas.

De Ceruſſa. CAP. CIII.

CERVSSA fit hoc modo: Infuſo in vrceũ oris lati, aut in fictilem vrnã aceto quàm acerrimo, maſſam plumbeam ad fictilis os, ſubſtrata priùs arundinea tegete, firmato: ſuperiicitóque velamina, ne quà interſpiret acetum, donec illa reſoluta fuerit, deſtillánſque ceciderit: tunc excolato humore puro qui ſuperſtat, craſſamentum in vas tranſ-

transfundito. Hoc deinde ſiccandum in ſole, móxque truſatili mola aliáve ratione terendum cribrandúmque. Poſteà quod ſupereſt duri ſolidíve in tenues partes redigẽdum, itidémque cribrandum: viciſſim eadem tertiò quartóque facienda. Melior quæ prima cribro excreta eſt, & hæc quoque ad medicamenta oculorum aſſumenda. Secundum locum tenet ſequens, ac deinceps reliquæ ſuo ordine. Nec deſunt qui firmata circa medium vas matta ſcirpea, ita vt acetum penè contingat, laminam maſſamve plumbeam ſuperimponunt, ac indito operculo circumlitóque dimittunt. Poſt dies decem amoto operculo inſpiciunt, ac ſiquidem reſoluta materia fuerit, reliqua, vti ſuprà diximus, exequuntur. Quòd ſi quis eam velit in paſtillos digerere, aceto acri ſubigenda, móxque diuidenda in paſtillos, qui ſiccentur in ſole. Æſtate tamen ſupradictum opus obeundum eſt: ita enim candida atque efficax redditur. Sed & hyeme paratur, vrceis ſupra furnos, balnea aut fornaces impoſitis: qui enim ſurſum fertur calor, idẽ quod ſol præſtat. Porrò laudatiſſima cenſenda quæ fit in Rhodo, Corinthi aut Lacedæmone: proxima, quæ Puteolis. Torretur autem hoc modo: Flagrantibus igni carbonibus fictile nouum, maximéque Atticum, im-

ponito, eíque tritam cerussam inspergito, & assiduè versato: cúmque cinereum colorem traxerit, exemptam refrigerato, atque ita vtitor. Vrere verò si libuerit, tritam concauæ patinæ indito, & prunis impositam ferulacea rudicula misceto, donec similis sandarachæ fiat, extractáque vtitor. Quæ verò ita parata est, sandyx à quibusdam appellatur. Lauatur itidem cerussa cadmiæ modo. Vis ei refrigerare, spiracula cutis obducere, mollire, explere & attenuare, insupérque excrescẽtia leniter reprimere, & cicatricem inducere: in eósque vsus miscetur ceratis & emplastris lenibus quæ lipara vocãtur, itémque pastillis. Sed ex eorum est genere, quæ [sumpta] lethalem vim obtinent.

De Chrysocolla. CAP. CIIII.

CHRYSOCOLLA laudatissima Armeniaca, colorem porri lætè virentis quàm simillimè reddens. Secundum locum sibi vendicat Macedonica, & proximũ huic Cypria: quo in genere præferenda quæ pura est. Dãnatur quæ terram & calculos collegerit. Porrò antedictæ lauandæ ratio hæc est: Tusam iniice in mortarium, & affusa aqua ad pilam expassa manu vehementer affricato: mox vbi considere permiseris, excolato. Alteram infundens aquam, rursum terito: atque hæc vicissim repetito, donec pura sinceráque spe-

ctetur. Tandem ſiccato in ſole, & ad vſus recondito. Quòd ſi vrere volueris, vrito in hunc modum: Vbi ex ea triueris quantum ſat eſſe videbitur, patellæ ſupra carbones imponito, & alia facito quæ in vrendis antè memoratis metallicis recenſita fuêre. Vis chryſocollæ cicatrices exterere, excreſcentes carnes coercere, itémque repurgare, aſtringere, excalfacere, & cum aliquantula mordacitate leniter exedere. Eſt verò ex eorum genere quæ vomitiones concitant, & necem inferre poſſunt.

De Armenio. CAP. CV.

ARMENIVM præferendum quod eſt læue, colore cæruleo, perquàm æquabile, calculorum expers atque friabile. Eadem quę chryſocolla pręſtat: diſtat hoc vno, quòd eſt inefficacior. Sed & vſum habet ad pilos in palpebris augendos.

De Cyano ſiue cæruleo. CAP. CVI.

CYANVS in Cypro quidem procreatur ex æraríis metallis: at copioſior ex arena littorali temperatur, quæ quidem ſecundùm quaſdam ſpeluncarum inſtar excauatas maris ſuffoſſiones inuenitur: & hîc quoque magis probatur. Eligi debet, qui valdè saturo eſt colore. Vritur porrò, vt chalcitis, & lauatur, vti cadmia. Vis reprimere & modicè

exedere, cruſtas gignere & exulcerare.

De Indico. CAP. CVII.

EX Indici generibus vnum ſponte naturæ prouenit, veluti ſpuma maríſve eiectamentum, Indicis arundinibus adhæreſcens: alterum dant infectorum officinæ, éſtque purpureus quaſi flos æreis innatans cortinis, quem deraſum artifices ſiccant. Optimum porrò cenſendum quod cærulei ſpeciem præbet, atque etiam ſuccoſum eſt ac læue. Inter medicamenta eſt quæ leuiter aſtringunt, & inflammationes ac œdemata rumpunt. Vlcera quoque purgat & reprimit.

De Ochra. CAP. CVIII.

OCHRAM eligere oportet leuiſſimam ac penitus luteam, ſaturo colore, minimè lapidoſam, friabilem & natione Atticam. Vrenda etiam & lauanda hæc eſt, cadmiæ modo. Vis eius putrefaciendo exedere, inflammationes & tubercula diſſipare, excreſcentia in carne reprimere, caua cum cerato explere, & callos articulorúmve tophos comminuere.

De Cinnabari. CAP. CIX.

CINNABARIM falsò putant nonnulli cum eo quod minium appellatur vnum & idem eſſe. Minium enim in Hiſpania ex lapide quodam argentariæ arenæ permiſto temperatur. Lapis is haud alioqui cognoſcitur,

ſcitur: ſed dum in fornace excoquitur, in floridiſſimum ardentiſſimúmque colorem trā-ſit. Halitum verò in metallis ſtrangulantem expirat: ideóque metallici faciem veſicis obuelant, vt per illas ſpectent, neque tamen vaporem noxium reſpirando trahant. Inde parato minio pictores ad ſumptuoſa parietum ornamenta vtuntur. Cinnabaris autem, de qua hîc agitur, ex Africa quidem inuehitur, at magno conſtat, & vſque adeò rara eſt, vix vt verſicoloribus pictorum lineis ſatisfaciat. Eſt porrò altè & abundè colorata, & eam ob cauſam quidam ſanguinem eſſe draconis exiſtimauerunt. Vim habet Cinnabaris eandem quam lapis hæmatites, ad oculorum medicamenta vtilem, imò etiam efficaciorem: magis enim aſtringit & ſanguinem cohibet. Igni quoque ambuſtis & papularum eruptionibus cerato excepta medetur.

De Hydrargyro, ſeu argento viuo.

Cap. cx.

Fit Argentum viuum è minio, quod & ipſum abuſiuè Cinnabaris dicitur. Impoſita ſiquidem patinæ fictili concha ferrea Cinnabarim continente, calycem ſeu operculum adaptant, quod vndique luto ſuperillinunt, deindéque carbonibus ſuccendunt. Tùm quæ calyci adhæreſcit fuligo, deraſa refrigeratáque in argentum viuum coit:

Quinetiam inuenitur quod, dum conflatur argentum, in tectis guttatim concreuit. Sunt & qui argentum viuum per ſeſe in metallis inueniri tradant. Aſſeruatur porrò in vitreis, plumbeis, ſtanneíſve aut argenteis vaſis: quãdoquidem aliam omnem materiam ita exeſt, vt permanet atque præterfluat. Cæterùm potum vim pernicialem habet: ſuo enim põdere interna perrodit. Remedio eſt, lac copioſum ſubinde potum & vomitionibus reiectum, aut vinum cum abſinthio, aut apij decoctum: aut ſemen hormini, aut origanum vel hyſſopum cum vino. [Auri limata ſcobs, id eſt, ramentum quam tenuiſſimum, epota mirabili eſt contra hydrargyrum auxilio.]

De rubrica Sinopica. CAP. CXI.

RVBRICA Sinopis maximè probatur dẽſa, grauis, iocineris colorem referens, calculorum expers, concolor, quæque dum diluitur longè lateque diffundi ſolet. Effoditur in Cappadocia ſpeluncis quibuſdam, expurgatáque defertur in Sinopem vrbem, in qua vænundatur: atque inde etiam cognomentum accepit. Vim habet exiccatoriam & emplaſticam: quapropter vulnerariis emplaſtris commiſcetur, vti etiam paſtillis exiccantibus & adſtrictoriis. Aluum quoque ſiſtit, tum ex ouo ſumpta, tum etiam clyſtere infuſa.

infusa. Datur & eadem hepaticis.

De Rubrica fabrili. CAP. CXII.

RVBRICA fabrilis ad omnia Sinopide inferior est. Optima Ægyptia & Carthaginensis, calculorum expers atque friabilis. Nascitur & in Iberia quę ad occidentem spectat. Fit quoque, exusta ochra & degenerante in rubricam.

De Lemnia terra. CAP. CXIII.

LEMNIA terra defertur è cuniculoso quodam specu Lemni insulæ, in quo nascitur. Scilicet palustris inibi locus est, è quo eruitur & hircino sanguini permiscetur. Hanc dein incolæ coactam in pastillos capræ imagine signant: vnde & sphragida ægos, hoc est, capræ sigillum appellauêre. Vim antidoti habet contra perniciosa venena singularem. Siquidem pota cum vino & præsumpta, foras venena vomitione pellit. Prodest & contra ictus morsúsque animalium, quæ exitiale virus eiaculantur. Antidotis quoque immiscetur. Sunt qui hac etiam ad expiationes vtantur. Est & eadem dysenteriæ vtilis.

De Atramento sutorio.

CAP. CXIIII.

ATRAMENTVM sutoriū genere quidem vnum & idem est, siquidem liquor est concretus: at speciales differētias tres habet. Enimuerò vnum liquoribus stillatim in

cuniculos quosdam percolatis concrescit: quamobrem ab iis qui Cypria metalla tractant stillatitium appellatur. Peteesius hoc ipsum pinarium vocat: alij stalacticon, id est, stillatitium. Alterum latenter stagnat in speluncis, posteáque transfusum in excauatas scrobes, concrementum capessit: hoc iccircò pecton, id est, concretitium propriè nominatur. Tertium coctile dicitur, & in Hispania confici solet, sed maximè decolor & bonitate deterrimum esse constat. Ratio parandi hæc est: Dilutum aqua decoquunt, mox in conceptacula transfusum residere patiuntur. Hoc statis diebus cogitur, & in complures diuiditur tessellatas formulas, quæ quidem racematim inter se cohærescũt. Optimum censetur, quod cæruleum est ac ponderosum, densum & translucens: cuiusmodi stillatitium est, quod ab aliis lonchoton, (quasi lanceatum) appellatur. Proximum, concretitium. Coctile verò inficiendis denigrandísque pannis aptius cæteris esse compertum est: sed ad medicinæ vsum inualidius esse experimenta docent. Valet adstringere, calfacere & crustas inducere. Lata ventris animalia necat, drachmæ pondere deuoratum, aut cum melle delinctum: vomitus ciet: & aduersus hausta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur. Purgat & caput

aqua

aqua dilutum, & in vellere naribus instillatum. Cæterùm vritur, vti mox in chalcitidis mentione ostendemus.

De Chalciti. CAP. CXV.

PRAEFERENDA Chalcitis æris speciem referens, friabilis, nec lapidosa, nec inueterata, intercursantibus venis oblongis splẽdentibúsque. Huic adstrictoria vis est, excalfaciens & crustas vlceribus obducens: repurgat quæ oculis & eorundem angulis hærent. Est & in genere leuiter exedentium. Quinetiam efficax est ad erysipelata & herpetas, itémque sanguinis è vulua & naribus eruptiones cum porri succo. Eius farina gingiuas excrescentes, nomas, tonsillásque compescit: vsta eadem & cum melle trita, oculorum medicamentis longè vtilior redditur. Callum quidem scabritiémque palpebrarum absumit abstergítque: fistulas verò collyrij modo indita insanat.

De Psorico. CAP. CXVI.

Efficitur porrò ex ipsa medicamentum, psoricum dictum, duabus eius partibus vni cadmiæ additis, & ex aceto tritis. Oportet autem in fictile coniici, quod fimo obruatur diebus quadraginta per Caniculæ ardores. Sic enim medicamentum acrius euadit, atque idẽ quod chalcitis potest. Sunt qui mixtas pares vtriusque portiones in vino terunt,

& eadem illa proſequuntur. Vritur Chalcitis fictili nouo indita, & ignitis carbonibus impoſita. Sit verò modus vſtionis metallicorum, quæ quidem humore multo abundauerint, dum bullulas edere deſierint, ac perfectè inaruerint: reliquorum verò, dum in floridiorem colorem mutata fuerint. Cùm ergo chalcitis ſanguineum ac miniatum colorem interiùs altiúſve contraxerit, tùm demum igni eximenda eſt: mox incidente ſpurcitia flatu depulſa reponenda eſt. Torretur etiamnum perflatis carbonibus, vſquedum ſubluteo colore palleſcat, aut fictili ſubditis candentibus prunis ſubinde verſata, donec igneſcat colorémque mutet.

De Miſy. CAP. CXVII.

MISV aſſumendum natione Cyprium, auri ſpeciem præ ſe ferens ac durum, quódque dum friatur aureis micet ſcintillis, ac ſtellæ modo radiet ſplendeſcátve. Vſtionem autem ac vim etiam habet cum chalcidite eandem, præterquàm quòd pſoricum ex eo non cõficitur, intenſioríſque ac remiſſioris facultatis ratione hoc ab illa differt. Ægyptiũ porrò ad cætera quidem prefertur, tanquam efficacius: ſed ad ocularia medicamenta ſupradicto longè inferius eſt.

De

De Melanteria seu atramento metallico.
Cap. CXVIII.

MELANTERIA quædam in faucibus fodinarum, quibus æs erutum fuerit, salsuginis modo concrescit: altera verò in summa facie supradictorum locorum coit, quæ quidem etiam terrena est. Sed & inuenitur in Cilicia & aliis quibusdam regionibus fossilis quædam. Præstat in Melanteriæ genere, quæ sulphurei est coloris, læuis, æquabilis, pura, & quæ contactu aquæ confestim nigrescit. Cęterùm vim causticam eandem obtinet, quam & misy.

De Sory. Cap. CXIX.

SORY existimauêre nonnulli esse melanteriam, sed falsò: siquidem peculiare genus est, illi tamen haud ita dissimile. Verùm Sory virosum magis est, ac nauseam mouet. Inuenitur in Ægypto & aliis quibusdam regionibus, vt & in Africa, Hispania & Cypro. Maximè verò laudatur Ægyptium, quódque frianti nigrius apparet, crebris foraminibus peruium & subpingue, insupérque astringens & haustu olfactúque virosũ, atque adeò subuertẽdi stomachi vim habẽs. Quod autem inter friandum misyos modo non scintillat, & alterius generis esse, & inualidum censendum est. Vim & vstionem supradictis similem habet: dolori dentium

cauernis inditum medetur: eosdem labantes firmat: ischiadicis ex vino infusum auxiliatur: illitum cum aqua, varos extinguit. Miscetur & medicamentis quæ pilos denigrāt. Hæc verò in communi & alia ferè omnia quæ vstionem experta non sunt, vstis potētiora censeri debent: salem excipio, vini fæcem, nitrum, calcem & consimilia, quæ quidem cruda, remissiora sunt. Cremata siquidem, viribus efficaciora redduntur.

De Diphryge. CAP. CXX.

DIPHRYGIS tria genera esse creduntur: vnum enim metallicum est, quod in Cypro sola nascitur. Ita enim vt lutosum est, ex imo quodam inibi gurgite eruitur: erutum deinde Sole siccatur: mox circumpositis cremiis vritur. Diphryges ideò vocatum est, quòd & à sole & à cremiis sarmentísve vratur, arefiat inquàm & quasi torreatur. Alterum, dum conficitur æs, illius quasi fæx quædam subsidet: siquidem post frigidæ affusionem, vti superiùs retulimus cùm de æris flore dissereremus, sublato ære, fūdo fornacis inhærens id genus inuenitur, æris tum astrictione tum etiam sapore prēditum. Tertium sic fit: Lapidem pyriten dictum qui ista tractant dies multos vti calcem cremant in camino: ac vbi colorem rubricæ contraxerit, exemptum recondūt. Quidā verò asserūt

hoc è sola materia fieri, è qua lapis ærosus perficitur, quando in dictis areis assata indéque in scrobes translata peruritur. Nam & locum foueas ambientem occupat, & exemptis lapidibus nihilominùs inuenitur. Præfertur quod saporẽ æris reddit, æruginẽ præ se ferens, astringens, & vehementer exiccans linguã: id quod sibi exusta ochra nõ vẽdicat, quæ tamen cremata diphrygis loco vænit. Vis ei astringere, validè perpurgare, extergere, siccare, carnis excrescentias cohibere, vlcera cacoëthe & quæ serpunt ad cicatricẽ perducere. Abscessus quoque terebinthina aut cerato exceptum discutit.

De Arsenico, seu auripigmento.
Cap. CXXI.

AVRIPIGMENTVM in iisdem metallis, quibus sandaracha, gignitur. Optimum existimat᷑ crustosũ, auri colore micãs, quódque crustas eas habet ferè semper sibiinuicẽ squamatim incũbẽtes, insupérq; impermixtũ est & omnis alienæ materiæ expers. Tale est quod in Mysia Hellespõti nascitur. Sunt autẽ illius duo genera: vnũ quidẽ, quale antè cõmemoratũ est: alterũ, glebosum & colore sandarachæ simile, quod è Põto & Cappadocia defertur: & hoc quidẽ secundum locum tenet. Porrò torretur auripigmentum hoc modo: Testæ nouæ inditum carbonibus

ignitis imponito, aſſiduéque verſato, donec igne flagret colorémque mutet: deinde refrigeratum tritúmque recondito. Vim habet ſepticam, aſtrictoriam, & cruſtas inducẽtem cum feruore ac violento morſu: reprimit & quicquid excreſcit, ac pilos detrahit.

De Sandaracha. CAP. CXXII.

SANDARACHA præfertur ad ſatietatem rufa, fragilis, friabilis, pura, & quæ cinnabaris colorem imitatur, inſupérque ſulphuris virus redolet. Vis & vſtio eadem, quæ auripigmẽto. Sed & alopecias explet reſina excepta, & ſcabros vngues cum pice remouet. Contra pedicularem morbum ex oleo efficax eſt: tubercula cum adipe diſcutit. Prodeſt etiam ad narium oríſque vlcera & cæteras papularum eruptiones, cum roſaceo: itémq; ad condylomata. Datur & purulenta excreãtibus, è mulſo. Quin & aduerſus veterem tuſſim cum reſina ſuffitur, nidore per fiſtulam in os attracto. Vocem denique limpidam & canoram facit cùm melle delincta, & ſuſpirioſis cum reſina in catapotio datur.

De Alumine. CAP. CXXIII.

OMNE propemodùm aluminis genus in Ægypto & in iiſdem metallis inuenitur: eſt enim quod ſciſſile dicitur, veluti flos globoſi. Gignitur & in aliis quibuſdam locis, in Melo, Macedonia, Liparis, Sardinia,

Hierapoli Phrygiæ, Africa, Armenia & compluribus aliis regionibus, ſicut & rubrica. Sunt autem eius ſpecies plurimæ. Verùm ad medendi vſum, ſciſſile, rotundum & liquidũ expetuntur. Optimum verò, ſciſſile: & in hoc genere laudatiſſimum quod recens eſt, candidiſſimum, calculorum expers, graueolens & perquàm aſtringens, inſupérque nec glebæ modo nec aſſulosè compactũ, ſed ſigillatim quaſi in capillamenta caneſcentia dehiſcens: quale eſt quod Trichites, [hoc eſt, capillare] appellatur, in Ægypto proueniens. Reperitur quoque lapis huic alumini perſimilis, qui tamen guſtus iudicio internoſcitur, quòd non aſtringat. Damnatur in rotundi genere, quod manu attéve tale effictum eſt: ſed ex figura deprehenditur. Aſſumendum autem quod ſponte naturæ rotundum eſt, bullis turgens, candido propius, & valenter aſtringens, prætereáque nonnihil palloris cum quadam pinguitudine præ ſe ferens: ad hæc calculorum expers ac friabile, & natione Melium aut Ægyptium. Liquidũ præfertur maximè pellucens, lacteum, planum & ęquabile, atque omni ex parte ſuccoſum, inſupérque minimè lapidoſum, & quẽdam caloris igniculum expirans. Vim habẽt excalfaciendi, aſtringẽdi, & expurgandi quæ pupillis oculorum caliginem offundũt, pal-

pebrarum quoque carnes aliásque excrescẽtias absumendi. Scissile porrò efficacius rotundo censendum est. Vruntur verò torrentúrque chalcitidis modo. Vlcerum putrescentia cõpescũt,& sanguinis eruptiones inhibẽt,gingiuas humore nimio flaccidas cõprimunt, mobilésque dentes cum aceto aut melle firmant. Oris vlceribus, quas aphthas vocant, ammixto melle prosunt:itémq; papulis & aurium fluxionibus, cum polygoni succo. Lepris conueniunt cum brassicæ foliis aut melle cocta: necnon & pruritui, vnguiũ scabritijs, pterygiis & pernionibus, fotu ex aqua. Valent cum aceti fæce & gallæ crematæ pari pondere ad phagedænas vlcerũ,& ad nomas cũ salis duplo. Furfures cum eruo & liquida pice illita exterunt. Ad lendes,pediculos & ambusta cum aqua inuncta auxilio sunt. Contra œdemata & graue alarum inguinúmque virus illinũtur. Ex Melo autem aduectum, etiam mulieribus præstat ne cõcipiant,ante coitum ori vuluæ inditum: fœtus quoque pellit. Aluminum denique genera gingiuis excrescentibus,vuæ ac tõsillis accommodantur: itémque ori, auribus ac verendis cum melle illinuntur.

De Sulphure. CAP. CXXIIII.

SVLPHVR optimum existimatur,quod viuum ignémve minimè expertum est, & splendido

ſplendido colore nitet, tranſlucens & calculorum expers. In genere autem ſulphuris ignem experti probatur, quod viret ac prępingue ſpectatur. Plurimum in Melo & Lipara gignitur. Priore loco commemoratum ſulphur calfacit, diſcutit & maturat celeriter. Tuſſientibus, purulenta excreantibus & ſuſpirioſis prodeſt, tum in ouo ſumptum, tum etiam ſuffitum: prætereà partus vſti nidore extrahit. Lepras itémque lichenas & ſcabros vngues aufert, cum terebinthi reſina. Ex aceto autem illitum, eſt quidem ad lepras efficax, ſed & vitiligines tollit. Scorpionum etiam ictibus addita reſina medetur. Cum aceto verò, draconis marini & ſcorpionum ictus ſanat. Pruritus totius corporis ſedat, nitro miſtum & affrictum. Regium quoque morbum emendat, inſperſum fronti cochlearis menſura, aut in ſorbili ouo ſumptum. Facit & ad grauedinem ac deſtillationes: ſudores quoque conſperſum inhibet: podagricis cum aqua & nitro illitum conducit: grauitatem auditus, ſuffiti nidore raptim per fiſtulam hauſto, ſanat. Lethargicos ſuffitu excitat. Sanguinis eruptionem ſiſtit: ac denique contuſis auribus cum vino & melle illitum medetur.

De Pumice. CAP. CXXV.

PVMICIS probatio, vt ſit quàm maximè leuis, multicauus ſeu ſpongioſus, ſciſſilis ac minimè lapidoſus, inſupérque teri facilis atque candidus. Cremari autem oportet in hunc modum: Sumito eius quantum libuerit, & prunis cadentibus obruito: ac vbi igne flagrauerit, extractum vino odorato reſtinguito: iterúmque incenſum pariter extinguito. Tertia vſtione exemptum ſinito per ſe refrigerari, tandémque ad vſus condito. Vis eius aſtringere & gingiuas abſtergere: purgat cum calfactione quæ pupillis caliginem offundunt: explet vlcera & ad cicatricē perducit, inſupérque excreſcentia cohibet. Fit & è farina eius dentifricium. Corpori denique cruſtam obducit, éſtque pilis abolēdis aptus. Theophraſtus autor eſt, ſi quis in feruentis muſti cadum pumicem immiſerit, vini feruorem confeſtim deſinere.

De Sale. CAP. CXXVI.

INTER Salis genera efficaciſſimum foſſile. Et in hoc ipſo genere communiter quidem laudatur calculis vacans, candidum & pellucidum, denſum & æquabili compage: peculiariter verò, natione Ammoniacum: quod quidem & findi facilè poteſt, & rectis eſt ſciſſuris. In marino ſale eligendus eſt dēſus, candidus & æquabilis. Probatiſſimus in

Cypro

Cypro fit & Salamine Cypri & Megaris, itémque in Sicilia & Africa. Sed inter hæc ipsa salis genera lacustris præfertur: censetúrque validissimus Phrygius, qui Tattæus vocatur. Antedictorum salis generum natura in communi est ad multa per quam vtilis, astringens, abstergens, repurgans, dissoluens dissipánsve, ac insuper reprimens, extenuans & crustas inducens: sed intensioris remissioríque facultatis ratione inter se differunt. Quin & vlcera putrescentia cohibent, & smegmatis seu medicamentis psoras abstergentibus ammiscentur. Excrescentia in oculis reprimunt, pterygia consumunt, cæterásque carnis extuberationes tollunt: clysteribus vtiliter infunduntur: lassitudines etiã discutiunt, ex oleo illita. Contra hydropicorũ œdemata auxiliãtur, doloré sque sacculis indita fotu mitigant, & pruritus sedant ex oleo & aceto infricata ad ignem, dum sudor prouocetur: similiter & lichenas, psoras ac lepras. Anginas ex melle, aceto & oleo inunctione leuant. Tosta, tonsillis vuæque cum melle adhibentur. Cremata verò, vlceribus oris quas aphthas vocant, humidis gingiuarum vitiis & phagedænis vlcerum cum polenta insperguntur. Aduersus scorpionum ictus, cum lini semine: contra viperarũ morsus, cum origano, melle & hyssopo: aduersus

ceraſten, cum pice, aut cedria, aut melle auxiliantur. Contra ſcolopendræ verò morſus, ex melle & aceto: aduerſus veſparum ictus & tenthredinum, itémque ad capitis pſydracia, thymos atque tubercula, ſeuo excepta vitulino. Furunculos cum vua paſſa aut ſuillo adipe aut melle diſcutiunt. Teſtium tumores cum origano & fermento citiùs maturant. Crocodilorum morſibus auxiliantur trita, in linteolo inuoluta & in acetum intincta, faſciis inſuper additis quibus partes affectæ conſtringantur. Proſunt & ad virulentarum beſtiarum morſus & ſugillata faciei, cum melle. Contra hauſtum opium & fungos cum aceto mulſo bibuntur. Luxatis cum farina & melle imponuntur. Ambuſtis igni cum oleo impoſita, puſtulas erumpere non patiuntur. Podagricis itidem adhibentur, & aurium doloribus cum aceto. Eryſipelata & vlcera quæ ſerpunt cum aceto illita, aut cum hyſſopo impoſita cohibent. Vri porrò ſalem oportet fictili diligenter operculato ne diſſiliat, conditóque prunis, vſquedum igni candeſiat. Aliqui foſſilem ſubacta farina oblitum carbonibus ſubijciunt, ibíque tandiu ſinunt, dum illa exuſta fuerit. Sed & ſal communis vri hoc modo poteſt: Aqua ſemel ablutum ac deinde ſiccatum in ollam mittito, obditóque operculo ignem
ſuccendito,

succendito, tandémque salem moueto, donec haud ampliùs exiliat.

De Spuma salis, seu spuma maris arida.
CAP. CXXVII.

Spuma maris arida, ramentum purgamentúmve maris spumosum est, quod in exilibus petris reperitur. Ei vis eadem, quæ sali.

De Muria, seu Salsugine.
CAP. CXXVIII.

Muria salis effectus præbet, abstergítque: dysentericis vtiliter infunditur, quorum intestina nome corripuit: itémque ischiadicis iam diuturno dolore vexatis. Fotu verò aquæ marinæ vicem pensat.

De flore Salis. CAP. CXXIX.

Flos Salis è Nilo quidem flumine defluit, sed & stagnis quibusdã innatat. Assumendus qui croci colorẽ imitatur, & odore quodãmodo est ingratiore, veluti garũ: interdum etiã magis graueolens, gustu mordaciore ac subpinguis. Fucatus autẽ rubrica aut grumosus, improbatur. Præterea verus ac sincer⁹ nõ nisi oleo resoluitur: adulteratus, nõnulla ex parte etiã aqua diluit̃. Ad vlcera quæ cacoëthe, [quasi maligna,] vocãt, phagedænas, genitaliũ nomas & purulẽtas aures efficax est. Oculorũ hebetudines, cicatrices albuginésq; tollit. Emplastris vnguẽtísq; coloris gratia mi

ſcetur, vti & roſaceo. Sudorem quoque ciet: aluum turbat in vino & aqua ſumptus, ſtomachóque eſt inutilis. Additur & acopis, & ſmegmatis quæ extenuandorũ pilorum gratia componuntur: ac in vniuerſum acris eſt atque igneæ feruentíſque naturæ, vti ſal.

De Nitro. CAP. CXXX.

NITRVM præfertur leue & roſeo colore aut candido, perforatum, perinde quaſi ſpongioſum fiſtuloſúmve quiddam. Tale verò eſt, quod è collibus tumulíſve affertur. Vim habet humores ex alto euocandi.

De Spuma nitri. CAP. CXXXI.

Spuma nitri optima cenſetur leuiſſima, cruſtoſa, friabilis, colore penè purpureo & ſpumoſa, inſupérque mordẽs, qualis ex Philadelphia Lydiæ defertur. Secundas tenet Ægyptia. Quin & in Magneſia Cariæ gignitur. Sali parem vim & vſtionem hæc habet, æquè ac nitrum ipſum. Sed hoc ampliùs etiã tormina ſedat, ſi cum cumino tritum bibatur in hydromelite, aut decocto aliquo eorũ quæ flatus diſcutiendi vi prędita ſunt, vti rutæ vel anethi. In febribus circuitu redeuntibus illinitur ante ſuſpectam acceſſionẽ. Miſcetur & emplaſtris diſcutientibus, extrahẽtibus, extenuantibus & lepras exterentibus. Cum aqua autem calida aut vino infuſum, aurium inflationes ac ſonitus, eaſdémque

purulentas

purulentas ſanat. Sordes etiam eiuſdem partis expurgat, cum aceto inſtillatum. Canum morſibus ex aſinino adipe aut ſuillo medetur. Reſina exceptum terebinthina, furunculos aperit. Tuſum cum ficubus, hydropicis illinitur: & cum melle inunctum, claritatem viſus adiuuat. Succurrit venenis fungorũ, ex poſca potum: bupreſtium verò, ex aqua: iis qui ſanguinem tauri biberint, ex ſilphio datur: atrophis, hoc eſt, cibum nõ ſentientibus, adhibitum prodeſt, & opiſthotonis iam remiſſioribus cum cerato, itémque luxatis: in paralyſi linguæ pani vtiliter permiſcetur. Aliqui ſupradicta ignitis indita carbonibus vrunt, ſubiecta priùs teſta noua, donec incanduerint.

De Fæce. CAP. CXXXII.

ELIGENDA Fæx maximè à vino vetere Italico: ſin minùs, ab alio conſimili. Nã aceti fæx intenſioribus eſt prædita viribus. Crematur vt alcyonium, antè diligenter exiccata. Sunt qui teſtæ nouæ inditam igni largo vrant, vſquedum altiùs tota incanduerit. Alij ignitis carbonibus fæcis glebam obruunt, & ſimiliter faciunt. Experimentum eſt legitimè vſtæ, vt candido aut aërio colore cõſpiciatur, & linguam tactu vrere videatur. Eadẽ vrendæ fæcis aceti ratio. Vim porrò fæx habet ſupramodùm vrendi, detergẽ-

di, cicatricem inducendi, aſtringendi, & vehementer exedendi ſiccandíque. Sed recenti vtendum eſt, quoniam celeriter expirat & exanimatur: proinde non niſi tecta & vaſe aliquo condita incluſáve reponi debet. Lauatur eadem, vti pompholyx. Quæ vſtionem experta non eſt, œdemata per ſe & cum myrto cohibet: ventris ſtomachíque rheumatiſmōs adhibita ſiſtit: muliebre profluuium abdomini & verendis impoſita initigat: panos nondum exulceratos, itémque tubercula diſcutit. Turgentes mammas ſuíque lactis impatientes cum aceto peruncta extinguit. Cremata verò, ſcabros vngues cum reſina aufert: addito lentiſcino oleo illita nocte tota, flauum reddit capillum. Lota oculorum medicamentis, vti ſpodium, miſcetur: & talis etiam eorundem cicatrices atque caligines abſtergit.

De Calce viua. CAP. CXXXIII.

CALX viua hoc modo fit: Marinorum buccinorum teſtas igni condito, aut ardenti clibano per noctem immittito. Poſtera die ſi candidiſſimæ fuerint, eximito. Sin minùs, iterum vrito, vſquedum vehementer inalbuerint. Dein vbi in frigidam leuiter eas immerſeris, ollæ nouæ indito, & exactè pānis operiens, noctē vnā conquieſcere ſinito. Manè calcem perfectò omni opere elaboratam

ratam extrahito, atque recõdito. Conficitur & è ſilicibus calculíſve litoreis igne crematis, nec nõ & è vulgari marmore: & hæc quidem cæteris antefertur. Vis omni calci in commune ignea, mordens, adurens & cruſtas inducens. Miſta tamen alijs quibuſdam, vt adipi oleóve, concoquendi, molliendi, diſſipandi, diſcutiendíve & vlcera ad cicatricem perducendi vim aſciſcit. Efficacior porrò exiſtimatur quæ recens eſt, nec aquis aſperſa.

De Gypſo. CAP. CXXXIIII.

GYPSVM vim habet aſtrictoriam & emplaſticam. Sanguinis eruptiones ſudoréſque cohibet, ſed potum, ſtrangulando iugulat.

De Sarmentitio cinere. CAP. CXXXV.

SARMENTORVM cinis, vrendi vim habet. Cum axungia autem oleóve illitus, neruorum contuſionibus, articulorum contorſionibus ac neruorum collectionibus nodíſve prodeſt. Cum nitro & aceto, carnis excreſcentias in ſcroto reprimit. Idem ſerpentium canúmque morſibus illitus ex aceto medetur, atque etiam cruſtas obducentibus medicamentis admiſcetur. Fit & ex eo lixiuium contra præcipitationes & fungorum venena, cum aceto, ſale & melle.

De Alcyonio. CAP. CXXXVI.

ALCYONII quinq; esse genera cõpertum[a] est. Vnum enim spissum est, acerbi saporis, spongiosa facie insupérque virosum, graue ac piscem olens: quod quidem plurimum in littoribus inuenitur. Alterum oculorum pterygio aut spongiæ simile, leue & multicauum, odore ferè algæ. Tertium vermiculi forma, & colore penè purpureũ est: quod Milesium quidam vocant. Quartũ succidis velleribus non dissimile, multis inanitatibus hians ac leue. Quintum figura fungi, inodorum, & intus quidẽ asperum, quodammodo pumicosum, foris verò læue, acre: quod plurimum in Propontide circa insulam Besbycũ appellatam gignitur, patrio nomine halos achnen, [quasi maris spumam aut lanuginem] vocant. Duo quidem priora in smegmata fœminarum assumuntur, contra lentigines, lichenas, lepras, vitiligines, nigritias & maculas in facie reliquóque corpore. Tertium verò, iis qui difficili vrina vexantur, aut arenulas in vesica colligunt idoneum est: itémque nephriticis, & ad hydropem lienísque vitia. Vstum autẽ & ex vino illitum, alopecias replet. Postremum dealbandis dentibus aptum est: assumitur & in alia smegmata psilothráque, cum sale mistũ. Quòd si quis aliquod ex hisce alcyonij generibus

neribus cremare voluerit, addito ſale in crudam ollam mittat, lutóque oblito eius ſpiraculo fornaci mandet: & cùm figlinum percoctum aſſatúmve fuerit, extrahat & ad vſus recondat. Cæterùm lauatur vti cadmia.

De Adarce. CAP. CXXXVII.

GIGNITVR in Galatia quod Adarces appellatur. Eſt autem tanquam concreta ſalſilago, quæ humidis & paluſtribus locis ſiccitate emergit, & circa arundines graminave concreſcit, colore flori lapidis Aſij ſimilis, tota verò forma molli & multiforo alcyonio proxima, vt videri poſſit alcyonium paluſtre. Ad exterendas lepras, maculas à Solis ardore contractas, lichenas, lentigines, ſimiliáque vitia accommodatur: & in ſumma vis ei acris. Sed & humores ex alto euocat: quamobrem & iſchiadicis opitulatur.

De Spongijs. CAP. CXXXVIII.

E SPONGIIS alias nonnulli mares appellauêre, quæ tenuibus ſunt fiſtulis ac ſpiſſæ dénſæve, è quibus rurſum duriores tragos nominauerunt: alias verò fœminas, quæ cõtrario ac antedictæ modo ſe habent. Vruntur autem ſimiliter atque alcyonium. Nouæ recentéſve ac minimè pingues, vulnerariæ ſunt & tumores reprimunt: recentia vulnera ex aqua poſcáve conglutinant: at ex melle cocto, veteres ſinus iungunt. Vetuſtæ autem,

inutiles. Sed & ipsæ coëuntia præclusáve vlcera callósque diducunt atque dirimunt, si aridæ lino alligatæ linamentorum mōdo adigantur: fluxione autem laborantia, cuniculosa seniliaque vlcera, humoris expertes, recentes ac nouæ impositæ, siccant: sanguinis etiam eruptiones cohibent. Crematæ ex aceto, lippitudini aridæ auxiliantur: & vbi quid abstergere aut adstringere opus est. Sed vtilius cinerem lauare in oculorum medicamentis. Earundem cinis cum pice crematarum, profluentem sanguinem sistit. Candidæ porrò cura fiunt quæ inter eas sunt mollissimæ, si per æstiuos ardores salis spuma petris adhærescente tingantur, & insolentur inuersæ: ita vt parte caua sursum spectent, qua verò parte resectæ fuerint, deorsum. Quòd si æstiua sit serenitas, etiam ad Lunam sternuntur, spuma salis marináve aqua perfusæ: ac tales candidissimæ euadunt.

De Corallio. CAP. CXXXIX.

CORALLIVM, quod aliqui lithodendron appellarunt, marinam esse plantam cōstat: quæ quidem alto mari exempta, duratur statim atque emergit, quasi à circumfuso nobis aëre lapidescat concrescátve. Plurimum inuenitur in promontorio Syracusis imminente, cui Pachyno nomen est. Probatissimum rubens, colore sandarachæ aut

sandycis

ſandycis ſaturatæ, nec ſecus terenti facilè cedens, & æquabili vſquequaque concremento, inſupérque muſci aut fuci marini odorẽ referens, & quàm ramoſiſſimum, forma fruticis, cinnamomi æmulum. Quod autem in lapidis duritiam coiit, ſcabroſum, fiſtuloſum ſeu concauum, prætereà & inane ſeu ſpõgioſum, vitioſum exiſtimatur. Aſtringit & refrigerat mediocriter, excreſcentia coërcet, oculorum cicatrices abſtergit, vlcera eorundem caua explet, ac cicatrices extenuat. Cõtra ſãguinis reiectiones excreationéſve efficax eſt, & vrinę difficultate laborantib⁹ auxiliatur. Quin & potũ ex aqua, lienẽ abſumit.

De Antipathe. Cap. cxl.

Quod Antipathes vocatur, corallium quoque eſſe cenſendum eſt, ſed ſpecie tantummodò diſtans. Eſt autem colore nigro, arboris & ipſum figura, at magis ramoſum. Vires ſupradicti habet.

De Phrygio lapide. Cap. cxli.

PHRYGIVS lapis, quo infectores in Phrygia vtuntur, à qua etiam nomen accepit, naſcitur in Cappadocia. Optimus habetur pallidus, modicè ponderoſus, corporis compage minimè ſolida, & candidis intercurrentibus lineis, vt in cadmia. Vritur autem in hunc modum: Vino optimo perfuſum, viuíſque carbonibus obrutum follibus

assiduè sufflato: ac vbi colore mutato magis fuluus euaserit, extractum eodem vino restinguito. Eadem iterum prunis imponens facito: sed & tertiò ipsum vrito: attamen attende ne comminuatur, & in fuliginem euanescat. Vim habet crudus vstúsque efficaciter astringendi, insupérq; expurgandi, & crustas quadantenus obducendi. Ambustis cum cerato medetur. Cæterùm lauatur, vti cadmia.

De Asio lapide. CAP. CXLII.

ASIVS lapis assumi debet pumicis colore, fungosus & leuis, insupérque friabilis, quíque fissilibus venis luteis ad imum vsque scindatur. Eius verò flos salsugo est subflaua, summo lapidi insidens: tenui quidem compage, attamen colore partim candido, partim pumici simili, ad luteum vergente. Admotus linguæ, aliquantum mordet. Vim habent tum lapis, tũ & ipse flos astrictoriam & leuiter exedentem, ita tamen vt ne erodat. Excepti resina terebinthina aut liquida pice, tubercula discutiunt: sed præstantior efficaciórve flos existimatur. Ex abundanti verò siccatus flos, vetera & cicatrici repugnantia vlcera sanat: carnis excrescentias cohibet, fungis similia ac tetra ferináve vlcera cum melle repurgat: vlcerum caua explet & expurgat, cum melle: depascentiáque cum cerato sistit. Fit ex eo cataplasma podagricis,

cis, misto fabæ lomento: & lienosis, ex aceto & viua calce. Prodest itidem flos ex melle phthisicis linctu. Iuuantur etiam podagrici, pedibus in solio ex eo lapide cauato inditis. Fiunt & loculi, qui defunctorum carnes exedunt. Extenuantur quoque valdè carnosa & obesa corpora, si eiusmodi flore in balneo nitri vice inspergantur. Quòd si seu lapidem, seu florem ipsum lauare libet, cadmiæ modo lauato.

De Pyrite lapide. CAP. CXLIII.

PYRITES lapidis genus est, ex quo æs conflatur. Eligi debet æris similitudine, quíque facilè scintillas edat. Vritur autem in hunc modum: Irrigatus melle carbonibus lentis inditur, & assiduè sufflatur follibus, donec rufescat. Alij lapidem copioso melle perfusum in multos carbones igni cãdentes demittunt: ac vbi ad fuluum colorem vergere cœperit, ab igne amouent, difflatóque cinere denuò perfusum cremant, donec æqualiter assiccatus friabilior reddatur: siquidem sæpenumerò facies summa solùm amburitur. Ita porrò crematum siccatúmque recondunt. Sin eloto opus sit, lauari debet vti cadmia. Tam vsti quàm crudi vis est excalfacere, abstergere, offusam oculis caliginem expurgare, duritias & discutere & maturare. Idem resina exceptus, excrescentia in carne

cohibet cum aliquantula caliditate & aſtrictione. Neque verò deſunt, qui ita vſtum diphryges appellent.

De Hæmatite lapide.

CAP. CXLIIII.

HÆMATITES optimus habetur friabilis & ſaturato ſanguinis colore, ſeu niger, ſuapte natura durus & æquabilis, nulla ſorde admiſta, nullóque zonarũ diſcurſu. Vim habet aſtrictoriam, aliquantum excalfaciẽtem & extenuantem. Oculorum cicatrices & ſcabritias cum melle exterit. Cum lacte verò muliebri, lippitudini & diruptis atque cruore ſuffuſis oculis conuenit. Bibitur autẽ contra difficultatẽ vrinæ & fluores muliebres in vino: & contra ſanguinis excreationes, cum Punici mali ſucco. Fiunt & ex eo collyria, itémque corticulæ, quæ aduerſus oculorum affectus accommodantur. Vritur vt Phrygius lapis, dempto ſaltẽ vino. Modus vſtionis eſt, vt modicè leuis fiat, & bullis quibuſdam intumeſcat. Sunt porrò qui hæmatiten ita adulterant. Glebam ſchiſti lapidis denſam rotundámque, cuiuſmodi ſunt quæ eius radices vocantur, in vrceum figlini operis, qui ferueniem cinerem contineat, condũt: deindéque breui interpoſita mora eximunt, atque explorant num ad cotem trita hæmatitæ colorem reddat. Quòd ſi ita res habet,

reponunt : ſin minùs, iterum nouo cinere obruunt, & ſubinde conſpicientes periculum faciunt : quoniam diutiùs in cinere dimiſſa colorem mutat, móxque diffunditur. Diſcernitur autem adulteratus, primùm ſciſſilibus venis: quippe per venarum ductus in rectum diffringitur, at hæmatites, non item. Deinde etiam colore : nanque hic floridum reddit, hæmatites verò ſaturatiorem atque cinnabarin imitantem. Inuenitur & hæmatites in rubrica Sinopica, & è magnete lapide vehementer vſto paratur: ac natiuus quidem, in Ægypto effoditur.

De Schiſto, ſeu Sciſsili lapide.
CAP. CXLV.

SCISSILIS lapis in Occidentali Iberia naſcitur. Probatur maximè qui croci colorem æmulatur, friabilis ac ſuapte natura fiſſilis, tum concremento, tum etiam mutua venarum cohærentia ſali Ammoniaco ſimilis. Vim exhibet hæmatitæ, ſed ad omnia infirmiorem. Quin & caua oculorum vlcera explet muliebri lacte dilutus, itémque ad diruptos & procidentes oculos, inſupérque craſſitiem genarum & ſtaphylomata, magnoperè efficax eſt.

De Gagate lapide. CAP. CXLVI.

PRAEFERENDVS Gagates qui celeriter accēditur, & odorē bituminis reddit.

Eſt autem niger plerunque & ſquallidus, prætereáque cruſtoſus & perquàm leuis. Vis ei molliendi & diſcutiendi. Suffitus, morbum ſonticum deprehendit, recreátque vuluæ ſtrangulationes: fugat & ſerpentes nidore. Podagricis medicaminibus & acopis additur. In Lycia porrò naſcitur, quà influens amnis in mare effunditur, proximè oppidum quod Plagiopolis dicitur. Vocatur autem Gagas & locus, & amnis ad cuius oſtium id genus lapidum inuenitur.

De lapide Thracio. CAP. CXLVII.

LAPIS Thracius dictus, gignitur in flumine quodam Scythiæ, cui Ponto nomẽ eſt. Vis eadem, quæ Gagatæ. Traditur autem accendi aqua, oleo verò reſtingui: id quod etiam bitumini accidit.

De Magnete. CAP. CXLVIII.

LAPIS Magnes optimus eſt, qui ferrum facilè attrahit, & colore vergit ad cæruleum, denſus, nec admodum grauis. Vim habet craſſos humores educẽdi, ſi ex aqua mulſa detur trium obolorum pondere. Sunt verò qui crematũ hunc pro hæmatite vendant.

De Arabico lapide. CAP. CXLIX.

ARABVS lapis ebori minimè maculoſo ſimilis eſt. Is tritus, illitu hæmorrhoidas exiccat. Crematus autem, dentifriciis accommodatur.

De

De Galactite lapide. CAP. CL.

GALACTITES nomen inde traxit, quòd lacteum ſuccum remittat: alioqui tamē cinerei eſt coloris,& guſtu dulcis. Ad oculorū fluxiones & vlcera conuenienter inungitur. Oportet autem in aqua tritū pyxide plūbea recondere,propter lentorem qui illi obhæret.

De Melitite lapide. CAP. CLI.

MELITITES omnino Galactitæ ſimilis: hoc tantùm intereſt, quod dulciorem ſuccum reſudat. Eiuſdem vt galactites effectus.

De Morochtho lapide.

CAP. CLII.

MOROCHTHVS lapis, quem aliqui galaxiam aut leucographida vocauerūt, in Ægypto naſcitur : ac eo quidē, quippe cū mollis ſit faciléque diluatur, linteones dealbandis linteis vtūtur. Creditur ſpiracula corporis obducere , conueníte; ſanguinem excreantibus,cœliacis & veſicæ dolore vexatis, cum aqua potus: itémque fœminis fluxione vuluæ laborantibus, & ſimiliter potus & in peſſo appoſitus. Mollibus etiam oculorū medicamentis miſcetur : caua enim eorum vlcera explet, fluxionéſque ſiſtit. Idem cerato exceptus,quæ fiunt in teneris corporis partibus vlcera ad cicatricem perducit.

De Alabastrite lapide. CAP. CLIII.

ALABASTRITES, vocatus onyx, exuſtus & reſina aut pice exceptus, duritias diſcutit: ſtomachi dolores cum cerato leuat, & gingiuas reprimit.

De Thyite lapide. CAP. CLIIII.

LAPIS nomine Thyites in Æthiopia gignitur, ſubuiridis quidem & iaſpidem referens: attamen cùm diluitur, lacteum reddens ſuccum. Vehementer mordet, valétque ad expurganda quæ pupillis tenebras offundunt.

De lapide Iudaico. CAP. CLV.

IVDAICVS lapis in Iudæa naſcitur, glandis effigie, candidus, perquàm eleganti forma, diſcurrentibus lineis æquali ſpatio inter ſe diſtantibus, & quaſi induſtria detornatis. Dilutus nullam qualitatem manifeſtam guſtui repræſentat: attamen ciceris magnitudine ſolutus ad cotem collyrij inſtar cũ aquæ calidæ cyathis tribus, potu vrinæ difficultati auxiliatur, & veſicæ calculos frangit.

De lapide Amianto. CAP. CLVI.

AMIANTVS lapis in Cypro naſcitur, ſciſſili alumini ſimilis, è quo elaborato, vtpote flexili, telas ſpectaculi gratia texunt: quæ ignibus iniectæ ardẽt quidem, ſed flammis inuictæ ſplendidiores exeunt.

De Sapphiro lapide. CAP. CLVII.

SAPPHIRVS lapis, ictis à scorpione potu prodesse existimatur. Bibitur & contra intestinas exulcerationes. Extuberantia in oculis, eorúmque vuas & pustulas reprimit: sed & ruptas eorundem membranas cogit atque glutinat.

De lapide Memphite.

CAP. CLVIII.

LAPIS Memphites in Ægypto iuxta Mẽphin inuenitur, calculorum magnitudine, pinguis & versicolor. Hoc tradunt trito & illito, partes quæ vrendæ secandæve sunt citra periculum ita obstupescere, vt non sentiant cruciatum.

De lapide Selenite. CAP. CLIX.

LAPIS Selenites, quem aliqui Aphroselenon appellarunt, quòd noctu plenus luna crescente reperiatur, nascitur in Arabia, candidus, transllucens & leuis. Huius ramenta comitialibus in potu exhibentur. Eum etiam mulieres sibi pro amuleto alligant. Sed & eodem adalligato arbores frugiferæ reddi creduntur.

De Iaspide. CAP. CLX.

EX Iaspidum generibus quædam smaragdum imitatur, alia crystallũ, pituitæ similis: alia non dissimilis aëri, ob id aërizusa vocatur: alia veluti fumo infecta, quæ ca-

pnias ex argumento appellatur: quædam lineis albis & reſplendentibus præcingitur, Aſſyrios nuncupata: alia denique terebinthizuſa dicitur, colore callaida gemma imitata. Omnes pro amuletis geſtari, ac femoribus adalligatæ, partum accelerare traduntur.

De Aëtite lapide. CAP. CLXI.

AETITES lapis, alio dum quatitur intra ſe ac velut in vtero ſonante prægnans, grauidis, quibus lubricæ & parũ tenaces ſunt vuluæ, partus continet, ſiniſtro earum brachio adalligatus: ſed cùm parturiunt, è brachio remoueatur, ac femori alligetur, vt citra dolores pariant. Furẽ quoq; deprehendit, ſi quis in pane conditum offerat: fur enim commanducata deuorare minimè poterit. Quin & ſi cum eduliis coquatur, furem prodere & coarguere dicitur: quippe fur quæ cum eo decocta fuerint haudquaquam glutire poterit. Porrò tritus & cerato exceptus cyprino, gleucinóve aut alio quopiam excalfaciente, comitiales magnificè iuuat.

De lapide Ophite. CAP. CLXII.

IN hoc lapidum genere quidam eſt ponderoſus ac niger: alter cinereo colore ſpectatur, punctis diſtinctus: tertius lineis quibuſdam candidis intercinctus eſt. Omnes alligati, morſis à ſerpente & caput dolentibus opitulantur. Priuatim verò qui lineas habet, lethar-

lethargo & capitis doloribus auxiliari perhibetur.

De Spongiarum lapidibus.

CAP. CLXIII.

LAPIDES qui in Spongiis inueniuntur, in vino poti, calculos vesicæ rumpunt.

De Lithocolla. CAP. CLXIIII.

LITHOCOLLA, seu glutinum, quo lapides ferruminātur, mistura est marmoris aut lapidis Parij & taurini glutinis. Potest candente specillo admota incommodos oculis pilos replicare.

De Ostracite lapide. CAP. CLXV.

OSTRACITES testæ similitudinem habet, crustosus & in laminas fissilis, quo mulieres ad pilos amouendos pro pumice vtuntur. Menses drachmæ pondere potus ex vino sistit: quòd si ad dies quatuor à mēstrua purgatione drachmarum duarum pondere bibatur, fœminis præstat ne concipiant. Cum melle autem impositus, mammarū inflammationes lenit, & nomas cohibet.

De Smyride. CAP. CLXVI.

SMYRIS lapis est, quo annularij sculptores gemmas expurgant, ad septica & caustica medicamenta vtilis. Prodest & humore nimio flaccescentibus gingiuis, dentifriciisque commendatur.

De Arena. Cap. CLXVII.

ARENA litoralis sole feruefacta, hydropicorum corpora resiccat, si capitetenus ea vndique obruantur. Torretur & ad aridos fotus, pro milio aut sale.

De Cote. Cap. CLXVIII.

E Cote Naxia quod exacuendo ferro deteritur illitum, alopecias ad pilum reducit: virginúmque mammas cohibet, nec increscere patitur: potum verò ex aceto, lienem absumit, & comitialibus prodest.

De Geode lapide. Cap. CLXIX.

GEODES lapis astringit, siccat, caligines oculorum discutit. Illitus autem ex aqua, mammarum testiúmque inflammationes sedat.

De Terra. Cap. CLXX.

TERRA omnis, quæ quidem in medicum vsum venit, primam ac summam vim habet refrigerandi, meatúsque obducendi: sed specie distat, quum alia hoc vel illo modo præparata ad alia sit vtilis.

De Terra Eretria. Cap. CLXXI.

IN genere terræ Eretriadis quædam vehementer alba est, altera cinerea. Optima verò habetur ad cinereum colorem vergens & perquàm mollis, quæque si per æramenta tractim ducatur, violacei coloris lineamenta reddit. Lauatur vt cerussa, aut hunc

in mo-

in modum: Ex ea quantum libuerit terito seorsum, & aqua perfusa: ac vbi pessum ierit, humorem leuiter excolato: terram verò siccatam solibus iterum terito per diem, adiecta aqua, vt vespere considat. Matutinò deinde colo excernito, demúmque ad solem tritam degerito in pastillos, quatenus fieri poterit. Quòd si assata tostáve desideretur, terræ frusta ciceris magnitudine in fictile perforatum coniicito, oréque vasis diligenter obturato candentibus indito carbonibus, ac follibus continenter perflato. Vbi verò cinis in fauillas sese conuerterit, aut aëreum potiùs colorē contraxerit, exemptum reponito. Vim habet astringentem & refrigeratoriam, ac leuiter emollientem: caua itidem explet, vulneráque cruenta glutinat.

De Terra Samia. CAP. CLXXII.

SAMIAE præfertur perquàm candida, leuis & tangenti linguæ glutinis modo adhærescens, insupérque succosa, mollis & friabilis: cuiusmodi est quam aliqui collyrium vocant. Duo enim sunt eius genera, nempe quod modò dictum est, & quod Aster appellatur, glebosum ac densum cotis in modum. Vritur ac lauatur vt Eretria, vimq; consimilē habet: sanguinis excreationes sistit: & fœminis fluxione vuluæ laborantibus cū flore syluestris Punicæ datur. Testiū quoq; & mā-

marum inflammationes illita ex rosaceo & aqua sedat: compescit & sudores: denique cõtra venenatorum morsus & exitialia medicamenta pota è vino auxiliatur.

De lapide Samio. CAP. CLXXIII.

SAMIVS lapis in Samia terra inuenitur, quo aurifices ad poliendum illustrandúmque aurum vtuntur. Præstat in eo genere candidus & grauis. Vis ei astrictoria & refrigerans: quapropter prodest stomachicis potus: est & vis instrumenta sensuum adiuuandi & ab iniuria vindicandi: ad oculorum fluxiones & vlcera cũ lacte efficax est. Creditur & adalligatus accelerare partus & cõceptus fœminarum custodire.

De terra Chia. CAP. CLXXIIII.

CHIA eligi debet candicans, ad cinereum vergens colorem, & Samiæ similis. Est autem glebosa ac tenuis, sed fictitiis formis differens. Effectus eius, qui Samiæ: faciei ac totius corporis cutem erugat, illustrat & amabili coloris bonitate commendat: ac in balneis pro nitro deterget.

De terra Selinusia. CAP. CLXXV.

IDEM effectus & Selinusiæ: maximè verò laudatur quæ vehementer resplendet, candidáque est ac friabilis, quæque facillimè in succum resoluitur, cùm primùm humore diluitur.

De

De Cimolia terra. CAP. CLXXVI.

CIMOLIA quædam eſt candida, altera ad purpureum inclinans, quæ innatã quãdam habet pinguitudinem, & tactu frigida ſentitur: & hæc quidem optima exiſtimatur. Vtraque aceto diluta, parotidas & alia tubercula diſcutit: ambuſtis igni confeſtim inuncta, partes affectas à puſtularum eruptione vindicat: teſtium duritias ac totius corporis inflammationes cohibet, inſupérque aduerſatur eryſipelatis. In ſumma multiplici ſunt in vſu, dummodò genuinę ac minimè ſpuriæ aſſumantur.

De terra Pnigitide. CAP. CLXXVII.

QVAE Pnigitis dicitur, colore quodammodo Eretriæ ſimilis eſt. Craſſiuſculis autem prædita eſt glebis: ſi quis manus admoueat, refrigerans; tactúque linguæ vſque adeò glutinoſa, vt penſilis hæreat. Huic effectus idem qui Cimoliæ, paulò tamen infirmior. Hanc porrò aliqui pro Eretriade vendunt.

De Teſtis. CAP. CLXXVIII.

FORNACEAE Teſtæ vehementer toſtæ, cruſtas vlceribus obducunt: quare prurigini & papularum eruptionibus ex aceto inunctæ medentur. Podagricis etiam proſunt: & cerato exceptæ, ſtrumas diſcutiunt.

De terra Fornacum. CAP. CLXXIX.

FORNACVM terra, quæ quidem retosta rufescit, eiusdem est cum testis effectus.

De terra Melia. CAP. CLXXX.

IMITATVR & Melia colore cineream Eretriam: aspera autem animaduertitur, etiam dum digitis atteritur, adeò vt stridorem quendam edat, qualem pumex quando deraditur. Vim habet aluminosam, sed remissiusculam: id quod & gustu deprehenditur. Leniter quoque linguam tactu siccat. Corpus mundum ac probè coloratum reddit: pilos extenuat: vitiligines ac lepras exterit. Pictoribus etiam vsum præbet, vt colores diutiùs perennent. Emplastris viridibus efficaciter inseritur. Porrò tum ex hac terra, tũ & alia omni in vniuersum eligi debet minimè lapidosa, recens, mollis ac friabilis, quæque cùm humorem attigerit; facilè resoluatur.

De terra Ampelitide.

CAP. CLXXXI.

EX Ampelitide terra, quam Pharmacitin quidam nominant, quæque in Seleucia Syriæ nascitur, laudatur imprimis nigra & paruos piceę carbones referẽs, assulosè quodam modo scissilis & æqualiter splendens: quæque insuper trita citò liquescit, si olei aliquantulũ affundatur. Vitiosa censetur candida,

dida, cinerea, quæq; minimè liquescit. Vim dissipandi & refrigerãdi habet: calliblepharis additur, atque inficiendis capillis idonea est. Est & eius vsus ad illinendas vites sub germinationis tempus: quippe quæ innascentes vermiculos enecet.

De Fuligine pictoria.

CAP. CLXXXII.

FVLIGO qua pictores vtuntur, è vitrariis officinis peti solet: siquidem huic palma tribuitur. Vis ei septica & acris. Fracta itidẽ cum cerato rosaceo ad cicatricem perducit.

De Atramento librario.

CAP. CLXXXIII.

ATRAMENTVM quo scribimus, è fuligine ex tædis collecta conficitur. In singulas gummi vncias, ternæ fuliginis vnciæ adiiciuntur. Fit etiam è resinæ fuligine & illa pictoria modò dicta. Sumi autẽ oportet fuliginis huius minam vnam, gummi sesquilibram, taurini glutinis & atramenti sutorij, singulorum sescunciam. Septicis medicamentis conuenienter additur. Ambustis etiam confert ex aqua paulò crassius inunctum, tandiúq; dimissum, dũ cicatrix obducatur: sanatis siquidem vlceribus, sponte sua excidit. Cæterùm, amicissime Aree, tum pro operis modo quem destinaueramus, tum pro materiæ auxiliorúmque medicina-

lium copia quam colligere licuit, hucuſque dicta ſufficiant.

Libri quinti & vltimi de materia medica finis.



PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARbæi liber de Venenis, eorundémque præcautione ac medicatione.

IANO ANTONIO SARACENO LVGDVNAEO, INTERPRETE.

PRAEFATIO.



VONIAM ſuperioribus libris, amiciſsime Aree, tradidimus de aromatibus, oleis, vnguentis, arboribus ac earundem fructibus & lacrymis, inſupérque de animalibus, melle, lacte, ſeuo, frugibus, oleribus, radicibus, herbis, ſuccis; denique de vinorum

norum metallicorúmque generibus: in hoc operis totius vltimo, de viribus noxiorum medicamentorum, ac eorum quæ contrà prodesse possunt, disseremus. Vitata igitur sermonis prolixitate, opus institutum prosequamur. Huiusmodi autem de venenis tractatus cùm bipartitò distributus sit: in eam videlicet partem quæ docet quo pacto ipsa præcauere debeamus, ita vt planè non assumantur, aut, siquando per imprudẽtiam data fuerint, vt tùm quoque innoxia irritáque fiant: & alteram, quæ rationem tradit iis succurrendi qui iam noxam sensêre: priore loco disseram de præcauendi modo: quem quidem esse difficilem prisci existimauerunt: quòd clanculùm venena exhibẽtes, iis vtuntur artibus, quibus etiam peritissimum quenque fallant. Siquidem exitialia venena permixtis dulcibus amaritudine sua spoliant, & graue odoris virus mistura odoramentorum eximunt, aut medicamentorũ quæ potissimùm in minùs firma valetudine vtilitatis gratia exhiberi putãtur, veluti sunt absinthium, tragoriganũ, hyssopus, satureia, itémque thymus, origanum, abrotonum, iris aut castorium, & siquid aliud malefica vi præditis medicamentis cognatam qualitatẽ habere videatur: vel ea potulentis inserunt, vti vinis asperis, iusculis, passo, aquæ mulsæ, musto, aut variis succorum generibus: vel

ipsi lenticulæ polentæve, aut aliis quæ edulij specie offeruntur, immiscent. Quamobrem suspiciosi curiosiùs apparata fercula vitare debent, omnísque intenso sapore dulcium, salsorum aut acidorum abstinere. Quin neque sitibundi affatim bibere, aut esurientes auidiùs deuorare debent, sed ad eorum quæ edunt bibúntve saporem qualitatémque diligenter attendere, & ante omnia potu frigidam aquam præsumere: sic enim satiato appetitu, qualitates posteà facilè deprehenduntur. Quòd ad ægros verò spectat, honestè recusamus potiones auxilij prætextu dari solitas, quas offerunt improbi veneficiorum artifices: quò fit vt ægrotantes audentium iniuriis minùs pateant. Et hęc quidem, ne facilè incauti homines capiantur dolis veneficorum, ratio est & facultas. Verùm altera superest expeditior, vt suspiciosi aliquid præsumant, quod venenorum vires hebetet, ac inefficaces irritásque reddat. Eiusmodi caricæ sunt cum iuglandibus nucibus manducatæ, & quæ citria mala vocantur, seminísque buniadis drachma vna cum vino: itidémque folia calaminthæ, aut rubrica quæ sigillum Lemnium appellatur, pari pondere cum vino: aut rutæ folia, nucis iuglandis nucleum, salis grumum & caricas duas ieiuni sumant, & nullo veneni genere offendentur.

tur. Quin & antidota ex vino præsumpta, eundem præbent effectum: ex quorum numero sunt, quod ex scinco paratur, quod è sanguinibus temperatur, & quod magni Mithridatij nomen obtinet. Quin & sæpenumerò naturali dissidio venenis aduersantur propriæ ac peculiares quædam corporũ cõstitutiones, insupérque antecedẽtes eorundẽ dispositiones, pro varia ciborum potuúmve qualitate aut vini copia inductæ. Siquidem venenorum quæ insuper ingeruntur vires frangunt & exoluũt, eorúmque in membra distributionem impediunt, priore alimento antè infarctis præclusisq; meatibus. Verumenimuerò quandoquidem inter peregrinãdũ incõmodi casus varij absq; vllis hominũ insidiis similia frequenter inuehunt pericula, nonnihil etiam hac de re agere necessariũ duco. Ante omnia igitur loco subdiali, quoad eius fieri poterit, coquinari, fercula struere, omniáque cibo potuíq; necessaria apparare oportebit. Quòd si nõ nisi sub tecto cõmodè ista fieri possunt, tùm quoq; laquearia diligenter obseruãda sunt. Etenim haud rarò è superioribus contignationibus mortifera decidũt animalcula, vti phalãgia, quędã alia reptilia, & qui stellio appellatur. Sed & vinaria vasa diligenter & in luce intueri oportet: nanq; reptilia vini odore illiciuntur,

quæ interdum ſorbendo noxium virus eru-
ctarunt, interdum verò illapſa immerſáque
perierunt, & iis qui poſteà vinum hauſerunt
exitij cauſam attulêre. Et hæc quidem de in-
ſidiis vitandis præcauendíſque hactenus di-
cta ſint. At ſi qui ſeu vltrò, ſeu ex quorundã
inſidiis venenum hauſerint, iis nulla inter-
poſita mora auxiliari oportebit. Siquidem
dum ſigna, quæ ſingula comitari venena ſo-
lent, expectantur, immedicabile fit malum,
aut certè diutius neglectum, ægrè deinde
medicamentis cedit. Quare ſi qui venenũ ſe
hauſiſſe pro comperto habent, aut qui iis ad-
fuêre quod qualéve ſit hauſtum genus vene-
ni fateantur, protinus accedentes ad congrua
particulariáve remedia, illos facilè naturali
priſtinæque conſtitutioni propriæ reſtitue-
mus. Neque verò iis aſſentimur, qui prorſus
auxilia in huiuſmodi caſu fruſtrà adhiberi
contendunt. Quo enim modo morbi, quo-
rum cauſæ cæcæ latentéſq; corporibus inſi-
dent, medicaminibus curabuntur, quæ verò
forinſecus incurrũt venena medicinã haud-
quaquã admittent? Æquè porrò omnes cor-
poribus aduenientes morbi pro cauſarũ in-
gruentium magnitudine, próque antecedẽ-
tibus affectionibus ac opportunitate habili-
tatéque corporum, vel medicabiles ſunt, vel
nullis cedunt medicamẽtis. Quòd ſiqui for-
ſan

ſan vocis interceptione aut mentis alienatione correpti, aut alioqui nolentes veneno liberari, nullam nobis eius cognitionē præbeant: tùm protinùs ad ea tranſeundum remedia, quæ in communi epotis quibuſcunque venenis opitulari conſueuerunt. Atqui nullum communius auxilium dari poteſt, quàm quod exhibitum venenum per proximum locum foràs pellit, priuſquàm ipſum inualeſcat. Quamobrem illis ſine mora calidum oleum ſeu per ſe, ſeu ex aqua, vt ad vomitum cogantur, exhiberi conuenit. Quòd ſi oleum natura loci negat, eius vice butyrū cum aqua calida, aut maluæ, vel ſeminis lini, vel tragi, vel fœnigræci, vel ſeminis vrticæ, vel alicæ decocto poteſt adminiſtrari. Hæc enim non modò venenum vomitionibus exigent, facilè laxando ſubuertendóque ventriculum: ſed & aluū ſubducent, ac ſimul etiā qua pollent acrimoniā obtundendi heberādíque facultate impedient, quominùs corpora vlcerentur. Verùm inter cætera illud maximè præſtabit oleum: id quod euidenter huiuſcemodi argumento deprehendere licet. Nam ſi quiſpiā viua calce, aut fæce, aut cantharidibus, aut alio quouis acri corpus exulcerare contendat, id ſi priùs oleo leniter oblitum fuerit, in eo vlcus excitare minimè poterit. Imò verò ſi quis corpus præūctū

vehementer aſtringere aut perfrigerare velit, fruſtrà id tentauerit. Vomitus prætereà nõ ob id modò, quòd vacuet ac virus noxiũ excernat, iuuamentũ affert, ſed & quòd hauſtum venenum nonnũquam odore, concretis grumis aut colore prodat: quippe cùm odore & amaritudine papaueris ſuccũ, colore ceruſſam gypſúmve, grumis lac aut ſanguinem animalis recèns iugulati oſtendat. Sic quoque ex eorum quæ vomitu regeſta fuerint qualitate viroſóq; odore, leporis marini & rubetæ veneficia facile eſt deprehendere: vt hac potiùs ratione, quàm alia quapiam opem quibuſdam afferre nobis in prõptu ſit, ad propria & ſingulis venenis accommodata auxilia tranſeuntibus. Oleo porrò maluæ decoctum admiſcetur, aut adeps anſerinus, aut pinguium carnium iuſculum, aut lixiuiũ lignorum cinere factum. Vbi verò vomitus diligenter citatus fuerit, nequid prorſum in ventre relinquatur, quæ inteſtinis hæſerint reliquias acriore clyſtere deuocabimus. Faciunt & ad hoc ipſum nitrum tritum cum hydromelite aſſumptum & vina vetera liberaliùs epota: iura itidem gallinacea, præpingues piſces, carnes vetuſtæ ſimul & pingues, & quæ eduliorum genera adipe aut recenti butyro conſtant. Dum nanque aluum ſubducunt, vti diximus, ac ventriculum reſoluunt,

ſoluunt, proniorem ipſum ad vomitionem reddunt: hebetant & venenorum acrimoniam, atque meatus obſtruentia, celerem venenorum penetrationem inhibent. Quinetiam medicamenta dantur quæ communi dote proſunt: è quorum numero eſt rubrica Lemnia, agaricum, abrotonum, irio, radix eryngij, ſemen paſtinacæ & calaminthæ, Celtica nardus, caſtorium, ferulæ virentis medulla, flos nerij quod rhododendron appellatur, marrubij ſuccus, laſerpitium ipſiúſve ſuccus & radix quam etiam magudarin appellarunt, ſagapenum, opopanax, peucedani ſuccus, ariſtolochia longa, ſylueſtris rutæ ſemen, & ceſtri, quæ & betonica vocatur, folia. Singula porrò cum vino drachmæ vnius pondere exhibentur. Eundem effectum præbēt, polij decoctum, ſcordium, & læuis liquidæq́; picis linctus. Egregiè quoque opitulantur antidota, quorum præparationes in operis calce deſcribemus. Communis itaque ratio præſtandi auxilij ſic ſe habet. Cæterùm & ab iis quæ comitantur conſequuntúrve ſymptomatis communia remedia ſumptitari poſſunt. Ferè enim plurimorum venenorum facultates in conſimiles affectus corpus tandem deducunt: quam ob cauſam pleríſque communia conducunt auxilia. Varia ſiquidem

ſunt venenorum genera: communes tamen nec ita multi qui ex iis oriuntur affectus. Enimuerò fieri nequit, vt ad vnum veneni genus omnia ſymptomata ſequantur. Alioqui ſuperuacanea foret quæ traditur ſingulis venenis propria & accommodata curatio. Neque verò facilè reperiatur quiſquam, qui ex vnius veneni hauſtu ſimul & ſemel vehemẽti ſtomachi, inteſtinorum, iocinoris, renum ac veſicæ dolore crucietur, inſupérque ſingultiat, erodatur, contremiſcat, obmuteſcat, perfrigeretur, conuellatur, pulſu deficiatur, ægrè ſpiret, veterno ac vertigine caligatione ve corripiatur, ſtranguletur, ſitiat, ſanguinis eruptione, febri, vrinę difficultate ac torminibus laboret, crebrò vomitet, nauſea prematur, rubeſcat, liueſcat, expalleſcat, deſipiat, ſtertat, reſoluatur & alia pleraque ac diuerſa faciat patiatúrque. Singula porrò in vniuerſales affectiones diſtincta, paucorum eorúmque communium ſymptomatum numerum demonſtrant. Quapropter ex vno ſingulari ſymptomate eorum quæ antè recenſita ſunt, non facile fuerit venenũ aſſumptum deprehendere ac internoſcere. Nam oris & linguæ eroſio, ſtomachi, ventris, renũ ac veſicæ inflammatio, vehemens vrinæ difficultas, ac interdum etiam cruenta mictio, lancinatio, & in plurimis corporis partibus quod-

quoddam velut incendium, non tantùm e-potis cantharidibus ſuperuenire cõperiuntur: ſed & pinorum erucis, bupreſti atque ſalamandræ. Ad eundem modum non ſolùm eos qui meconium hauſerunt veterno ac ſopore prehẽdi, ſtertere, liueſcere, elangueſcere, perfrigerari ac torpeſcere, ſtupeſcere, ac toto corpore pruritum pati conſtat: ſed eos etiam qui mandragoram aut cicutam aſſumpſêre. Sic mẽtis alienationem non hyoſcyamus tantùm infert: verumetiam quæ toxica appellantur, itidémq; aconitum & mel quod in Heraclea Ponti gignitur. Quin & ſtrãgulatio non modò ab aſſumptis fungis, ſed & ſanguine taurino, lacte, aconito, ceruſſa, gypſóque conſpicitur. In ſumma difficile eſt vnum vni veneno proprium inuenire ſignũ, quod potum guſtatúmve virus certò prodere poſſit: maximè cùm eiuſmodi ſymptomata alios etiam affectus communiter cõſequi comitaríque ſoleant. Attamen in iis quæ celeriter enecant, licet aliquo modo ſignis deprehendere id quod noxam intulit, vti deinceps trademus. Verùm in iis quæ diuturnas affectiones inuehunt, nulla in curando difficultas eſt, quantumuis noxium venenum ſignis internoſcere ſit perdifficile: quippe cùm venena ſtatim atque præſentaneã vim illam amiſerunt, in longos affectus trãſinu-

tata, communia reliquorum affectuum remedia compositionésque flagitent, venefica proprietate non ampliùs illis inhærente. Proinde longa quæ ab iis excitata est affectio in aliquod diuturnorum morborũ genus recidit, à quibus facile fuerit medendi rationem desumere. Atque de iis quidẽ quæ generaliter auxiliãtur, hactenus. Consequẽter quæ priuatim singulis conueniũt auxilia scriptis mandabimus: si priùs tamen exposuerimus, quænam in singulis rerum ordinibus exitialem aut maleficã vim sortita sint: vt si qua eorum quæ ad sanitatis vsum descripta reperiuntur, aliqua ex illis ammixta habeant, iis medicinæ studiosi cautiùs vtantur. Inconsiderantia enim magna infert damna, & sæpè continuo eorum vsu homo in perniciem agitur. Animalia itaque quæ exitiosam vim habent, hæc ferè sunt: cantharides, buprestis, salamandra, pinorum eruca, lepus marinus, rana rubeta & palustris etiam muta, nec non & hirudines deuoratæ. In seminum verò genere, hyoscyamus, coriandrum, cicuta, melanthium, psyllium: è liquoribus, meconium, opocarpasum, thapsiæ succus, elaterium & mandragoras: è radicibus, chamæleon, aconitum, thapsia, veratrum, ixia, agaricum nigrum, & ephemeron quod nonnulli Colchicum vocant, quia in Col-
chide

chide nascatur. E plantarum ramosarum herbarúmque generibus, smilax quam aliqui thymalum seu thymium, Latini taxum appellant, solanum manicum, quod & dorycnion dicitur, Sardonia herba quæ ranunculi genus est, corniculatum papauer, pharicum, toxicum, ruta syluestris ac fungi. Ab animalibus, taurinus sanguis recens, lac coagulatum, & mel Heracleæ in Ponto genitum. Inter metallica, gypsum, cerussa, calx, auripigmentum, sandaracha vtraque, spuma argenti, adarce, plumbum & quod argentũ viuum appellatur. Ex iis quæ domestica & in quotidiano vitæ vsu sunt, vnico haustu potum à balneo vinum largius, aut passum: aut frigida aqua similiter.

De Cantharidibus.

CAP. I.



QVIBVS exhibitæ sunt Cantharides, signa eueniunt grauissima: propemodùm enim ab ore ad vesicam vsq; iis omnia erodi videntur, pici aut cedriæ simile quiddã in gustu obuersatur: in dextro hypochõdrio inflãmationẽ sentiunt, & vrinam ægrè reddunt, ac subinde cũ lotio sanguinẽ emittũt: strigmẽta, qualia dysentericis, peraluũ egerũtur: animi defectionib⁹,

faſtidiis & tenebricoſa vertigine corripiun-tur: tandem verò etiam mente alienantur. Ergo anteaquàm tale quid accidat, propinato oleo aut ſupradictorum aliquo ad vomitum cogendi ſunt. Mox vbi vomitione pleraque reiecerint, halicæ aut oryzæ, tragi vel ptiſſanæ cremor, aut decoctum maluæ, vel ſeminis lini, vel fœnigræci, vel radicum althææ quam Latini hibiſcum appellant, clyſtere infundatur. Superdandum verò iiſdem nitrum ex hydromelite, vt quæ ſtomacho adhuc & inteſtinis adhærent eluantur ac deturbentur. Hæc niſi ſic inciſa detergeãtur, aluo infuſa aqua mulſa cum nitro vacuari debent. Detur deinde vinũ aut paſſum, in quo pinei nuclei & cucumeris ſemina cõtrita fuerint, aut ex lacte mulsáve: vel anſerinus adeps in paſſo liquatus. Inflammatis autem partibus, poſt vacuationes prædictas, hordei farina cum mulſa decocta imponatur. Ab initio quidem admota cataplaſmata nocent, quòd excitatus ab iis calor hauſtum virus detineat, ac principibus partibus impingat: procedente verò deinde tempore adhibita, moleſtiſſimis inflammationibus non mediocriter opitulantur: quippe quæ dolores & leniant & permulceant. Interim vbi corpus calfaciente oleo præunctum fuerit, in ſolium demittendum, ibíque lauandum:

vt per

vt per cutem summam quæ corpori noxia inhæserint etiam excludantur. In summa omne genus excretionis moliri oportet, vt ne perennet affectus, stabilitatémque acquirat. Exhibendæ porrò carnes gallinaceæ & agninæ, porcellorum lactentium, & hœdinæ, eæque maximè pingues ac tenerrimæ & cum lini semine coctæ: siquidem & aluum molliunt, & venenorum acrimonias hebetant. Vinum quoque dulce liberalius hauriendum. Sed prodest insuper thuris cortex, & terra Samia quæ aster appellatur, si quaternæ singulorum drachmæ cum passi hemina vna sumantur. Item pulegium ex aqua tritum, & irinum aut rosaceum cum ruta decoctum: vtiles & teneri vitis palmites cum passo detriti: omnium autem potentissimè auxiliantur antidota, cum aqua mulsa drachmis quatuor epota.

De Pinorum erucis.

CAP. 13.

IIs qui pinorum erucas hauserunt illicò dolor circa os & palatum oboritur: vehemens linguæ, stomachi ac ventris inflammatio torquet: intestina quoque ingens dolor excruciat, ac simul etiam interanea pungi & erodi videntur: corpus totum exæstuat, & fastidium vrget. His succurrendum iisdem remediis, quæ ad Cantharidas deuora-

tas exhibentur. Peculiariter tamen pro ſimplici oleo & irino melinum, quod è cotoneis malis & oleo temperatur, vſurpabimus.

De Bupreſti. CAP. III.

QVI Bupreſtin hauſerunt, ſimile quid viroſo nitro guſtu percipiunt: ſtomachi verò ventríſque vehemens dolor inſequitur: ſed & ſtomachi ventríſque tumor qualis hydropicis accedit, totius corporis extima facies circuntenditur, vrináque ſupprimitur. His eadem, quæ potis cantharidibus, auxiliantur. Priuatim autem, poſt vacuatum corpus tum vomitionibus tum etiam clyſtere, ſumptis ficubus aridis adiuuantur, itémque earum decocto ex vino. Iã verò aliquãtùm inclinato affectu decedentéque periculo, Thebaicarum etiam palmularum cibo, aut earundem tritarum in mulſo lactéve potu iuuantur. Pyrorum etiamnum omne genus eſſe & lac muliebre bibere conuenit.

De Salamandra. CAP. IIII.

SALAMANDRAE hauſtum ſequitur linguæ inflammatio, itémque mentis quædam hebetatio, ac tremor cum torpore aut horrore quodam & exolutione: partes quoque corporis nonnullæ liuoribus circunquaque variantur, necnon & ſępe immorante diu-

te diutiùs veneno putreſcentes ſanie manant. His vbi eadem omnia quæ potis cantharidibus præſtiterimus, peculiari remedio exhibebimus reſinam è pinu, aut galbanum ex melle linctum, & chamæpityos decoctũ, in quo pinei nuclei ſimul contriti fuerint: aut vrticæ folia cum farina craſſiore cocta in oleo. Proſunt etiam oua teſtudinis marinæ aut terreſtris quomodocunque cocta, itémque ranarum ius, cum quibus eryngij radix incocta ſit.

De Ephemero. CAP. V.

SVMPTO Ephemero, quod aliqui Colchicum aut bulbum ſylueſtrem appellant, pruritus in toto corpore excitatur, non ſecus atque iis quos ſcilla aut vrtica momorderit, interiora eroduntur, ſtomachus cum ingenti grauitate exæſtuat. Cæterùm inualeſcente malo, cruenta ramentis admiſta per aluum egeruntur. Hos, æquè ac eos qui ſalamandram hauſerunt, vomitione atque clyſteribus adiuuare conueniet: ſed anteaquàm venenum inualeſcat, dandum iis decoctum frondium quercus, aut glandium, aut malicorij: aut ſerpyllum ex lacte propinandum: item ſuccus polygoni, aut virgultorum vitis vel rubi, aut medullæ recentis ferulæ aut myrti cum vino. Ipſæ porrò baccæ myrti tuſæ tritæque & aqua maceratæ opem ferunt,

ſiquidem earum dilutum aſſumatur. Media caſtanearum tunicula ſimilem effectũ præbet, ſi cruda in aliquo ſupradictorum ſucco ſumptitetur: origanum quoque cum lixiuio epotum. Eximiè verò iuuantur lacte aſinino aut bubulo calido poto, aut in ore retento: támque efficaci remedio, vt quibus copia huiuſce lactis adſit, non aliud genus auxilij deſideretur.

De Dorycnio. Cap. VI.

DORYCNION (quod aliqui ſolanum manicum, hoc eſt, furioſum appellarunt) epotum, veluti lactis ſaporem guſtu repræſentat, crebros ſingultus ciet, linguæ humiditatem conciliat, & effuſiorem ſanguinis reiectionem concitat: ipſi verò potionati mucoſa quædam perinde atque dyſenterici aluo egerunt. Itaque antequàm aliquod ex hiſce ſymptomatis ſuperueniat, auxilio ſunt antedicta: vomitus, inquàm, clyſter & quæcunque potum venenum expellere apta nata ſunt. Priuatim verò ijs opitulantur, aqua mulſa, lac aſininum aut caprinũ, ac dulce vinum, quod quidem tepidum cum aniſo bibatur, amygdalæ amaræ & elixa gallinacea pectuſcula. Quin etiam omnis generis conchylia, cruda pariter ac toſta, eſſe ſalutare eſt. Conueniunt & locuſtæ marinæ & gammari, ac potum eorundem iuſculum.

De

De Aconito. CAP. VII.

ACONITVM statim inter bibendum linguam cum aſtrictione quadã dulci ſapore imbuit, ac ſubinde, præſertim cùm aſſurgere conantur, vertiginẽ inducit: oculorũ humiditates prolicit, & grauitatem pectori præcordiiſque affert, cũ flatuum multorũ eruptione. Proinde venenũ vomitione abigi, aut clyſtere per aluum ſubduci opus fuerit. Poſtmodũ vtemur in propotiſmatis origano, rutáve aut marrubio cũ vino abſinthite: vel abſinthij, erucæ, abrotoni, chamelææ aut chamæpityos decocto. Prodeſt iis etiamnũ opobalſami drachma cum melle aut lacte: itémque caſtorei, piperis ac rutæ par pondus ex vino: & coagulum hœdi, leporis aut hinnuli cum aceto: vinũ quoq; ſumptũ, in quo ferri ſtercus aut ipſum etiã ferrũ, aurũ, argẽtúmve candens reſtinctum fuerit. Conferũt & lixiuia cũ vino, & gallinacei decocti, præpinguiúmve bubularũ carnium iura cũ vino ſumpta. Fertur & chamæpitys priuatim iis ſubuenire: quæ quidẽ in Heraclea Ponti, vbi & aconitum naſcitur, holocleros, Athenis Ionia & in EVbœa ſideritis appellatur.

De melle Heraclio. CAP. VIII.

QVI mel quod in Heraclea Ponti gignitur ederint biberíntve, non ſecus afficiuntur, quàm qui aconitum hauſerunt, atq;

adeò iis eadem quæ poto aconito cõueniũt. Facilè verò ſuccurritur: quippe cùm adiuuẽtur frequenti vini mulſi potu, cui folia rutæ admixta ſint.

De Coriandro. Cap. IX.

CORIANDRVM propter odorem latere non poteſt: epotum vocis raucitatẽ facit atque inſaniam, qualis ex vinolentia proficiſcitur, ita vt qui ſumpſère varia dictu pudenda blaterent: toto verò corpore coriandri odor ſeſe prodit. His poſt vomitionem oleo irino concitatam, vti retulimus, merũ aut per ſe, aut ex abſinthio potum auxiliatur: item oleum ouáque in eo exinanita, ſi tepefacta cum muria ſorbeantur. Sic & epota muria, & ius ſalſum gallinæ & anſeris: paſſum quoque cum lixiuia ſumptum.

De Pſyllio. Cap. X.

QVOD Pſyllium dicitur epotum, corpori toti frigus & torporem infert, cum exolutione & animi quadam ægritudine anxietatéve. Huic omnia quæ hauſto coriãdro auxiliantur.

De Cicuta. Cap. XI.

CICVTA pota, vertigines excitat & oculis caligines offundit, ita vt ne tantillùm quidem cernatur: ſingultus etiam ciet, ac mentis alienationem & extremorum artuũ perfrictionem infert. Tandem ægri con-

uulsi arteriæ spiritu intercepto strangulantur. Quare inter initia, vti in reliquis, cicutam vomitu excutiemus: postmodùm deiectionem moliemur, vt quod ad intestina prolapsum fuerit excernamus. Tùm demùm ad meri potionem, ceu præsentissimũ auxilium, deueniemus: ídque interiectis interuallis, in quibus proderit lac asininũ aut bubulum potui datũ, aut absinthium cũ pipere & vino: item castorium, ruta, mentáque cum vino, aut amomi, cardamomi vel styracis drachma: aut piper cũ semine vrticæ ex vino, aut deniq; lauri folia. Prætereà laserpitij succus ex oleo & passo. Sed & vinũ dulce per sese largiùs potum, egregiè auxiliatur.

De Taxo. CAP. XII.

QVAE Smilax dicitur, à quibusdam thymium & à Latinis taxus appellatur. Pota, frigus vniuerso corpori, strangulatus & celerem interitum infert. Huic eadem quæ cicutæ conueniunt.

De Carpasi succo. CAP. XIII.

EPOTVS quoque Carpasi succus, soporem inducit, ac repentinam strangulationem infert. Adiuuantur itidem qui hunc hauserunt epotæ cicutæ remediis.

De Sardonia herba. CAP. XIIII.

SARDONIA herba, quæ ranunculi species est, in cibo potúve sumpta, mentẽ è statu

ſuo dimouet,& conuulſiones facit cum rictu labiorúmve contractione,quę riſus ſpeciem præbeat: hinc de Sardonio riſu adagium in vulgus infauſto omine manauit.Poſt vomitum peculiariter conuenit pota liberaliùs aqua mulſa, itémque lac: necnon & irrigatio vnctióque totius corporis per calfacientia medicamenta, prætereáque ſolium ex hydrelæo calente: ita tamen vt poſt egreſſum è ſolio illitibus ac frictionib. minimè parcatur. In ſumma curationem omnem quæ cõuulſioni adhibetur exequi oportet.

De Hyoſcyamo. CAP. XV.

HYOSCYAMVS in potu cibóve ſumptus, qualem ebriorum mentis errorem ſeu alienationem infert: ſed facilè medicamentis cedit. Auxiliatur aqua mulſa copiosè data, lácque præſertim aſininum: ſi id deſideretur, caprinum vel bubulum, aut aridarum ficuum decoctum. Faciunt ad id etiam nuclei pinei, cucumeris ſemen ex paſſo ſumptum, & vinum ſalſum cum adipe ſuillo recenti paſſóque: itidem vrticæ ſemen aut nitrum ex aqua. Conueniunt & cichorium, ſinapi, naſturtium, raphanus, cepa & allium, quorum ſingula ex vino ſumi par eſt. Verùm poſteà ſinendi quieſcere, quemadmodum qui vinum biberunt, vt excoquant.

De

De Mandragora. CAP. XVI.

MANDRAGORA si bibatur, confestim sopor insequitur, exolutio, ac vehemẽs veternus nihil distans à lethargo. Huic, anteaquàm quidquam ex iis accidat, vomitus proderit & aqua mulsa: posteà nitrum & absinthium ex vino dulci aut passo sumantur. Caput rosaceo & aceto perfundatur. Proficit etiamnum excitatio & agitatio corporis: itémque olfactus tritorum in aceto euphorbij, piperis, sinapeos, castorij ac rutæ: præteréaque odor picis liquidæ & funiculi lucernarum, quæ vicissim accendantur & extinguantur. Quòd si ęgrè ij reuocentur, etiã adhibere quæ sternutamenta cieant, aliísque eiusmodi communibus auxiliis vti cõueniet.

De Papaueris liquore. CAP. XVII.

EPOTO Papaueris liquore, consequitur veternus cum perfrictione & pruritu vehementi. Quin sæpenumerò inualescente veneno tanta oboritur prurigo, vt hominem excitet: odor verò medicamenti totò sese prodit corpore. Post citatam oleo vomitionem, infusúmque clysterem acriusculum, auxiliatur acetum mulsum cum sale potum, aut mel cum rosaceo calido. Item merũ copiosum cum absinthio & cinnamomo, aut calidum per sese acetum: nitrum quoque ex aqua, & origanum cum lixiuio aut passo:

ſyluestris rutę ſemen cum pipere, vino & panace: ac piper etiam cum caſtorio & aceto mulſo, aut cum ſatureiæ vel origani decocto, addito vino. Sed & hos odoramẽtis ſeu olfactoriis excitare, & in calidæ ſolium mittere, ac fouere obortæ pruriginis ratione oportet. Proderit autem à balneo iuſculorum pinguium vſus ex vino aut paſſo, ac medulla etiam ex oleo pota.

De Corniculato papauere.

CAP. XVIII.

QVOD papauer Corniculatum appellant, & potu & cibo eadem ſymptomata inferre conſueuit, quæ papaueris ſuccus: ac iiſdem quoque expugnatur auxiliis.

De Pharico. CAP. XIX.

QVOD Pharicum vocant, ſapore quidem ſylueſtre nardum planè imitatur: infert verò potum neruorum reſolutionem cum delirio & conuulſione. Sed oportet poſt cõcitatam vomitionem vinum abſinthite potui dari, cum cinnamomo aut myrrha, aut nardo Gallico, quod ſaliuncam aliqui vocauerunt, aut ſpicæ nardi drachmas duas & myrrhæ totidem obolos ammixto paſſo, aut irin cum croco in vino. Deraſo verò capiti adhibenda hordeacea farina cum ruta trita & aceto.

De

De Toxico. CAP. XX.

TOXICVM ex eo appellatum creditur, quòd Barbarorum ſagittæ eo illinerẽtur. Qui biberunt, haud ita multò pòſt labiorum & linguæ inflammatione prehenduntur, iíſque furor mentis incoërcitus varias imagines obuerſat: quare vix medicinæ locus eſt, raróque qui hauſerunt incolumes euadere contingit. Vinculis attamen cohibẽdi, vt vinum dulce cum roſaçeo bibere, protinúſque reuomere, ac rapi quoque ſemẽ ex vino haurire cogantur. Priuatim verò iis cõuenit quinquefolij radix, itémq; hircinus ſanguis, aut caprillus eodẽ modo ſumptus: proficit & roboris, fagi aut ilicis cortex cum lacte tritus. Proſunt etiã mala cotonea in cibo ſumpta, aut trita cũ pulegio & aqua bibita. Amomum deniq; benefacit, vt & balſami ſemen ex vino. Quòd ſi qui periculis defuncti ſunt, lõgo tamen tẽpore in ſtratis decũbunt: ac vbi ſurrexêre, ſui impotes ac velut attoniti reliquum vitæ tempus tranſigunt.

De Ixia. CAP. XXI.

IXIAS, qui & Vlophonon appellatur, inter potandum quiddam tum odore tum ſapore ocimo ſimile repræſentât: vehementem autem linguæ inflammationem ac mẽtis alienationem inducit, & excretionum genus omne ſupprimit: murmura inte-

ſtinorum ac rugitus cũ animi deliquio ciet, quamuis nihil interim egeratur. Poſt eductã vomitionibus maiorem veneni portionem, aut poſt alui deiectionem, auxilium præſtat abſinthij dilutum ex vino largiore aut aceto mulſo bibitum, nec minùs rutæ ſylueſtris ſemen aut laſerpitij radix: item tragorigani decoctum cum aliquo ſupradictorum, aut lacte, aut reſina terebinthina: nardus etiam aut caſtorium aut laſer, ſingulorum inquàm obolus ex vino. Quin & conueniunt nucum iuglandium nuclei triti cum reſinæ, caſtorij & rutæ, ſingulorũ drachma vna. Itidem chameleę aut ſucci thapſiæ oboli duo cum aqua mulſa: & acetum calens largius epotum.

De Ceruſſa. CAP. XXII.

CERVSSA clàm exhiberi nequit: ſiquidem ſuo ſeſe colore prodit. Vltrò verò ſumpta, palatum, gingiuas, linguam ac ipſas dentium commiſſuras candore quodam inficit: excitat autẽ ſingultus, tuſſim & linguæ ariditatem, extremorúmque refrigerationẽ, cum mentis alienatione ac motus difficultate. His dare conuenit aquam mulſam, aut ficuum vel maluæ decoctum, aut lac calidum, aut ſeſamum ex vino tritum, aut lixiuiam è ſarmentorum cinere factam, aut amaracinum irinúmve oleum, aut Perſicorum nucleos cum hordei decocto, aut thus, aut gũmi pru-

mi prunorum, aut humorem qui in folliculis vlmi continetur ex aqua tepida. Hisce præsidiis vomitus euocetur. Conuenit etiam thapsiæ succus aut scammonij liquor, ternis obolis ex aqua mulsa potus.

De Fungis. CAP. XXIII.

FVNGORVM alij toto genere, alij maiore copia nocent: omnes tamen spiritus via quasi laqueo interclusa præfocant. Quare confestim communi auxilio succurrendum, scilicet oleo citata vomitione. Mirificè verò iuuat lixiuia sarmentitia, aut è pyrastri ligno, cum posca & sale aut nitro epota. Sed & pyrastri fructus aut folia cum fungis decocta, strangulandi vim illam auferunt, esitatáque eadem auxiliantur. Iuuat & stercus gallinaceum cum posca bibitum, itémque aristolochiæ aut absinthij drachma vna cũ vino: insupérque etiam mel seu in cibo sumptum, seu ex aqua potum. Sic & apiastrum cum nitro, panacis radix & semen in vino: fæx quoque vini cremata cum aqua, & atramentum sutorium ex aceto: denique radicula, sinapi aut nasturtium esu prosunt.

De Gypso. CAP. XXIIII.

GYPSVM strangulationem infert, dũ intra ventriculum lapidescit: quare & eadẽ quæ aduersus fungos valẽt auxilia, prætereáque maluæ decoctum, quod quidẽ olei

vice aſſumendum eſt: quoniam pingue cùm ſit & ad vomitionem lubricas vias præſtet, deradi corpora minimè ſinit: quod alioqui gypſum, vbi duratur in lapidem, facere ſolet. Quinetiam prodeſt oleum ex aqua mulſa aut ficuum decocto, & lixiuia è ficulneo aut ſarmentitio cinere facta, cum vino largiore pota: item origanum aut thymum cum lixiuia vel aceto paſſóve: ſed & maluæ decoctũ clyſtere infundi oportet.

De Taurino ſanguine. CAP. XXV.

TAVRI recèns iugulati ſanguis epotus, ſpirandi difficultatem ſtrangulatúmq; concitat, dum tonſillarũ fauciúmq; meatus cum vehementi conuulſione obſtruit. Lingua inde rubeſcit, ac dentes inficiuntur, & inter ipſorum cõmiſſuras quædam concreti ſanguinis veſtigia conſpiciuntur. Vomitum in hoc malo vitabimus, ne fortè grumi eiuſmodi attractu in ſublime elati gulæ magis impingantur. Dari verò opus eſt quæ ſanguinem concretum diſſoluant & aluum ſubducant, vti caprifici groſſos lacteo ſucco turgentes ex poſca. Nitrũ quoq; per ſeſe auxiliatur, nec ſecus coagulum omne cum aceto, & laſerpitij radix cum laſere ipſo: itidem & braſſicæ ſemen, & è cinere ficulneo lixiuia. Proſunt & conyzæ folia cum pipere, & rubi ſuccus ex aceto. Aluum præterea ſoluere par eſt: ſi-

eſt: ſiquidem iis qui euaſuri ſunt crocea per ſedem egeri conſueuerunt. Poſtremò ſtomacho aluóque hordeaceam farinam ex aqua mulſa adhibere oportet.

De Lacte intus coagulato. CAP. XXVI.

EOs quoque quibus lac aſſumptum intus coagulatur frequẽs derepente ſtrangulatio inuadit, quòd intus lac in grumos quoſdam coaleſcat. Hos iuuamus exhibẽtes antidoti vice coagulũ ex aceto, idipſúmq; ſæpiùs bibere cogẽtes. Damus & calaminthæ folia arida, aut ſuccũ etiam ipſum ſimiliter: aut laſerpitij radicem liquorémve ex poſca: pariter & thymum ex vino, & coactiliariorum lixiuiam. Cæterùm ſalſi nihil exhibeatur, quoniam magis lac coiret & in caſeum denſaretur. At neq; hos vomitus adiuuat, ſiquidem concretum lac ſeſe in gulæ anguſtias inſinuans, facilè ſtrangulat.

De Argenti ſpuma. CAP. XXVII.

SPVMA argenti pota, ſtomacho, ventri & inteſtinis grauitatem cũ magnis torminibus affert: interdum & pondere ſuo inteſtina vulnerat, vrinámq; ſupprimit: intumeſcit verò corpus, plumbeámque deformitatem concipit. His ſecundùm vomitionem ſubueniunt pota ex vino, ſylueſtris hormini ſemen, myrrhæ oboli duo, abſinthiũ, hyſſopũ, apij ſemẽ, aut piper, aut cypri flos ex vino,

necnon & fimus palumbinus aridus cum nardo & vino.

De Argento viuo. CAP. XXVIII.

ARGENTVM viuum potum, eadem quæ argenti ſpuma infert: quapropter & eadem expoſcit auxilia. Lac autem largius potum auxiliari conſtat. Vomitus etiam minimè negligendus eſt.

De Calce, Sandaracha & Auripigmento. CAP. XXIX.

CALX, Sandaracha & Auripigmentum, eoſdem ventris & inteſtinorum cruciatus cũ vehementi rorſione inferunt. Quamobrem exhibenda quæcunq; ſimul & acrimoniam temperandi, & facilem vomitionẽ lubricámq; aluũ præſtandi vim habent, cuiuſmodi ibiſci & maluæ ſuccus eſt: natura enim vtriq; perlubrica. Præbendũ etiam decoctum ſeminis lini, aut tragi frumentacei vel oryzæ, lácq; cum aqua mulſa copioſum, iura denique pinguia boníque ſucci.

De Lepore marino. CAP. XXX.

HAVSTO marino lepore, viroſus quidam ſapor qualis putentium piſcium percipitur: procedente verò tẽpore, venter dolore afficitur, vrináq; ſiſtitur: quòd ſi quando ea redditur, purpureo colore conſpicitur. Accedit & omnis generis piſcium auerſatio atque odium, & ſudor graueolens: bilioſus

itidem

itidem vomitus, interdum ſanguine mixtus, ſubſequitur. Hoc malo circumuentis dandum lac aſininum aut paſſum aſſiduè, necnon & radicis maluæ foliorúmque decoctũ, aut trita cyclamini radix cum vino, aut veratri nigri vel ſcammonij ſucci drachma cum aqua mulſa & Punicorum nucleis; aut cedria contrita ex vino: benefacit & anſerinus ſanguis adhuc calens epotus. Sed cùm piſces omnes reſpuant & auerſentur, ſolos fluuiatiles cancros elixos eſitant & concoquunt, à quibus non mediocriter adiuuãtur. Signum porrò ſalutis fuerit, ſi piſces in cibos admittere cœperint.

De Rubeta & Rana paluſtri.

Cap. XXXI.

TVM Rubeta, tum etiam Rana paluſtris aſſumpta, corporis tumorem ciet, cum intenſo pallore qui buxi colorem imitatur: accedit ſpirandi difficultas & grauis halitus oris ſingultúſque, ac interdum inuita genituræ profuſio conſequitur. His qui ſumpsêre facilè ſuccurritur ſecundùm vomitionem largiore meri potu & arundinis radicis binis drachmis, aut cyperi totidem. Cogendi quoque ſunt vt vehementi ambulatione incitatóque curſu corpus exerceant, ob torporem qui ex hoc malo naſcitur. Quinetiam quotidie lauandi ſunt.

De Hirudine. CAP. XXXII.

DEVORATAE cum aqua hirudines si ori vẽtriculi adhæserint, tractione partium nonnullam suctionis imaginem præbent: atque hoc signo hausta hirudo deprehẽditur. Eas muria sorbitione excutit, & Cyrenaicus liquor, aut laserpitij folia vel betæ cum aceto pota, [aut epota niuis glebula cũ posca.] Nitrum prætereà ex aqua gargarizatur, itémque atramentum sutorium aceto dilutum. Si verò faucibus hæserint, demisso in aquæ calidæ solium ægro, frigidam ore continendam exhibeto, & ad eam protinùs hirudines prosilient.

De Veratro albo, thapsia, elaterio & similibus.
CAP. XXXIII.

PROVIDENDVM etiam iis quæ, quãuis auxilij ferẽdi gratia exhibẽtur, haud minora tamen pericula quàm venena cętera sæpiùs afferunt: qualia sunt veratrũ album, thapsia, elaterium, & agaricum nigrũ: siquidem hæc animam suffocant, aut immodicè purgant. Ac præfocationibus quidem ea medentur, quæ in fungorũ similiúmque mentione retulimus: nimios autem deiectionum impetus medicamentis quæ egestiones supprimunt coërcebimus. Neque verò negligenda quæ paululùm quidẽ nocere videntur, interim verò periculo non vacant: quo in nu-

in numero ſunt ſylueſtris ruta, melanthium & recentes pappi, hoc eſt, flores ſpinæ quæ cactos appellatur. Eos porrò qui talia ſumpſere ſola vomitio reſtituit.

De aqua frigida & cæteris quæ itidem nobis domeſtica & in quotidiano vitæ vſu ſunt.

CAP. XXXIIII.

AQVA etiam frigida vnico hauſtu ac ſine interſpiratione bibita, aut meracũ vinum paſſúmve liberalius hauſtũ, præſertim à balneo aut curſu & concitatiore quauis exercitatione, ſtrãgulatus ac dolores infert. In eiuſmodi caſu venæ ſectio protinus adhibita, itémque per enemata vacuatio imminẽtibus liberãt periculis. Hactenus de notis veneficiorum, eorúmque cõuenientibus remediis, necnon & præcauẽdi modo, dictum eſto. Subiungeremus & vſitata antidota maximè neceſſaria, quæque inter cætera præclarè auxiliari conſtat: quale eſt Mithridatium & quod è ſanguinis variis generibus,& quod è ſcinco paratur. Verùm quoniam inter antidota accuratiſſimè deſcripta ſunt, viſum eſt hoc loco ab eorũ deſcriptione ſuperſedere.



PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARbæi Liber, de Venenatis animalibus, & ab iisdem inflictorum vulnerum signis & curatione.

IANO ANTONIO SARACENO LVGDVNAEO, INTERPRETE.

PRAEFATIO.



E bestiis venenatis & exitialibus venenis agere iccircò nobis propositum est, vt curationis remediorúmque totus expleatur modus. Siquidem pars hæc, non minùs quàm cæteræ aliæ, necessaria est iis qui medicinam faciunt: quippe cùm eorum adminiculo quæ inibi traduntur, periculis, doloribus & cruciatibus, plurimísque aliis malis homines liberari contingat. Hæc autem in

summa

ſumma faſtigia duo, ſicuti ab initio pronuntiatum eſt, diſtribuitur. Nam qui tractatus eſt de beſtiis virus eiaculantibus, Theriacus: qui verò de venenis, Alexipharmacus appellatur. Eum porrò ſeruabimus ordinem, vt quæ ſymptomata comitari conſueuerint priore loco monſtremus, deindéque vnicuique propria remedia ſubiiciamus: quæ quidem omnia in promptu & ad manum artificem habere oportet, propter vrgentem ſæpenumerò neceſſitatem. Quandoquidem è venenis virulentíſque animalibus ſunt perpauca, quæ tarda temporíſque dilationem admittentia pericula cieant: pleráque verò præſentaneam perniciem afferũt. Sunt prætereà qui ingenita prauitate ſtruentes aliis inſidias, maleficium ita temperant, vt ſubitũ ac repentinum exitium afferat. Alij praua ſcelerum cõſcientia ſtimulati, aut triſti quopiã rerum euentu oppreſſi, hauſto ſponte veneno mortem ſibi conſciſcere conantur: qui poſteà ſeu deprehenſi ſeu pœnitentia ducti vitæque cupidi, celerem & præſentaneam opem expoſcunt. Neque deſunt qui tela in hoſtes intorquenda toxicis illinẽtes, aut puteos ac fontes venenis inficientes, certam & ineuitabilem aduerſariis perniciem moliãtur: in quibus maleficium non ſubitò quidẽ, ſed aliquantò pòſt vires ſuas exerere con-

ſueuit: attamen niſi maturè ac primo quoq; tempore ſalutaribus remediis occurratur, fruſtrà tandem ſuccurritur, occupatis iam corporibus exitiali vi veneni. Proinde non vulgarem induſtriam diligentiámque adhibere conuenit, vt quemadmodum in aliis malis, ita & in his ars vniuerſa mortalibus ſalutẽ afferat. Itaque apud priſcos hic modus curandi, eius partis exiſtimabatur eſſe quæ, quòd ægris corporibus ſanitatem reſtituat, Therapeutice dicitur. At recẽtiores poſito diſcrimine, quia in præcauẽdo verſetur, Prophylacticũ nominarunt, mediúmque ſtatuerunt inter eã medicinę partem cui ſanitatis tuendę cura incumbit, & eã quę Therapeutice dicitur, parua nihilominus eáq; leui perſuaſione decepti. Enimuerò tres eſſe corporum humanorũ ſtatus agnoſcũt: vnum quo ſana degunt, alterũ quo ægrotãt, tertium qui medium inter vtrunq; locũ ſibi vendicat: in quo poſiti rectè quidem valere videntur, attamen parati ſunt lapſu facili in morbos incurrere, variáq; ſubire pericula ob vim corruptricẽ quæ corporibus inſidet: quẽadmodum in iis videre licet, qui à rabioſo cane morſi fuêre, necdũ tamẽ aquæ metu horroréve prehenſi ſunt: itidémque in iis qui Cãtharidas hauſêre, necdum tamen cruciatibus vrinæve difficultate tenẽtur. Huic igitur triplici

plici corporũ cõſtitutioni tripartitã artis diſtinctionẽ meritò reſpõdere contendunt, ſalubrẽ inquã, quæ ſanitatẽ tuetur : præcauentẽ, quæ morbos arcet: & ſanantẽ, qua morbi diſcutiuntur. Verũtamen his reſponderi poteſt, primùm iuxta hanc ratiocinationẽ non tres corporis conſtitutiones, ſed quatuor potiùs numerandas eſſe. Veluti enim ſunt nõnulli qui nondũ ægrotãt, attamen in morbũ ſunt procliues ob impendentẽ cauſam: ita & aliqui ſunt, qui licet haud ampliùs ægrotẽt, priſtinæ tamẽ valetudini nondũ planè reſtituti ſunt: id quod in iis cernere licet, qui recens morbo liberati virium recreationem ac robur deſiderant. Sed quemadmodũ hæc curandi ratio ad Therapeuticẽ medicinę partẽ pertinet, ita & præcauendi rationem huic eidẽ ſubiici par eſt. Quid quòd ad arcendas valetudines etiã valẽtiſſimis vtimur auxiliis, altiore ſcarificatu, vſtionibus, amputatione, appoſitis medicamentis mordacibus, itidémq; propotiſmatis eiuſdẽ generis, & pleríſq; aliis? Verũenimuerò ſunt vſq; eò ſtolidi ac rudes nõnulli, vt ne remedia quidẽ appellent, quæ in arcendis morbis vſurpãtur. Cuius ſententiæ inire rationẽ haud ita facile eſt: quippe cùm & ipſa vox præcautionis & præcauendi ratio remediorum vſum & neceſſitatem ſatis ſupérque deſignent. Sed quomodo

ſua illa partium Medicinæ diſtributione nõ complectuntur eos, qui in peſtilẽti cœli conſtitutione agentes, nondum quidem morbo correpti ſunt, peſti tamen propter ambientis aëris occaſionem opportuni & in morbum proni redduntur? Dicet forſan aliquis, ſalubrium præceptorum obſeruationem non aliud eſſe, quàm præcautionis partem aliquã: quippe cùm firma reddere corpora & minùs vitiis obnoxia nitamur, vt inoffenſa valetudine degant, neque morbis conflictentur. Neque id ſilentio prætereundum, quod maximè præcipuum & tanquam caput rei eſt: non ita diſtinguendas medicinæ partes, vt totidem corporis conſtitutionibus reſpõdeant, ſed naturam potiùs vniuſcuiuſq; ſuis notis ſeorſum indagãdam & explorandam, vti ſuis locis oſtendemus. Cum illis igitur non eſt pluribus agendum. Illud potiùs annotandum, affectus qui à virulentis animalibus veneníſque contrahuntur vocari cæcos, id eſt, quorum ratio iniri minimè poteſt: pariter & eorum remedia nulli eſſe addicta cauſæ. Iccircò & quæſtio hæc artis eius eſt, quæ obſeruatione ſimul & ratiocinatione nititur: ſiquidem rationi fides adhibetur. Neque enim prorſus verum illud eſt. Sed ſemper id quod redundat, quódque nullum in operibus quibuſdam præbet vſum, haud

facilè

facile eſt coniectura aſſequi: etiamſi iuxta proprietates prorſus tale eſt, vt illius cauſa reddi non poſſit. Hoc autem in exitialibus venenis & virulentis animalibus euenire ſolet. Veruntamen quod ad opera eſt vtile, quódque medendi præbet occaſionem, id neque imperceptibile eſt, neq; cauſa carere exiſtimatur. Quin potiùs ab ipſo quis impulſus certiorem de abditorum comprehenſione fiduciam ſe comparaſſe affirmabit. Nā etſi ſæpè minora ſint quam vt ſenſibus percipiantur, euidenter tamen ex ipſis inter ſe collatis deprehenduntur. Diocles autem, in eo commentario quem Pliſtarcho dicauit, modos abundè proſecutus eſt, ad verbum ita ſcribens: Noſſe quis hoc poteſt cùm in aliis non paucis, tùm in viperis aut ſcorpionibus, & aliis id genus, ſecum animo reputans quātorum, licet exiguo ſint corpore vixque cōſpectui ſubiiciantur, diſcriminum ac dolorū cauſæ ſint. Ex iis nihilominus nonnulla cōſtat propter paruitatem ne cerni quidem facilè poſſe, prætereáque robore à cæteris beſtiis longè ſuperari. Quantula enim cenſebitur, ſi vulnus ſpectes, ſcorpionis & aliorum eiuſmodi corporibus noſtris perniciem afferentium magnitudo? Et horum tamen aliqua vehementes cruciatus excitant, alia putrefaciunt, alia denique quamprimùm peri-

munt. Rursus quãtulum, quæso, æstimabitur quod à Phalãgij morsu ingeritur venenum, quódque vniuersum corpus grauiter afficit? Magnitudinẽ certè aliquã vix ac ne vix quidẽ deprehẽdere quisquã possit, cùm idipsũ animal prorsus exigua mole cõstet. Ergo hęc ad affectiones referri oportere apud omnes est in confesso. Illud quoque exactè deprehẽsum est, vim quandã ipsis inesse corruptricem, quæ insinuata corporibus malorũ quæ exoriuntur causa sit: id quod receptũ est iam pridem & omnium consensu persuasum. Neque quisquã inuenietur vsque adeò contentionis studio flagrans, vt aliunde molestias ac perturbationes oriri asserat, quàm ex materia corruptrice seu mortifera, ex parte tantùm corpora contingente. Porrò id erat quòd inter vtilia artis opera in omni opere dicere par erat, quænam res hoc efficiat, vt nihil prorsus nos lædat incomprehensa causæ proprietas: quandoquidem communis causa tunc ostendi potest, cùm firmiter comprehensa est. Ideò Erasistratus Empiricorum peruicaciam graui cauillatione incessens, cæcis affectibus causã assignauit: illis minimè concedens causam morborum supremam & communem incomprehensibilẽ esse, & hanc in eo quem de causis edidit commentario illustrans. Quin & illos reprehendit,

hendit, quòd non explicuerint in quibus dispositionibus satisfaciat trita medendi ratio. Siquidem, exempli gratia, dicere debuerũt, se in venenis venenatorúmque morsibus & cæteris id genus obseruatione contentos fore, quę quidem à causarum comprehensione omnino separata sit. Primùm enim in genere cõprehendi facilè possunt: quãdoquidem veneni vis corruptrix corporáque subiecta ita immutãs vt etiam perimat, generalẽ quidem, at non specialem, subindicat curationẽ: quæ scilicet vim habeat illud ipsũ hebetandi ac prorsus expugnãdi. Dum verò subiunxit: [venit quis ad aquam dulcẽ ac poculentam, & ante obseruationem vomitum prouocauit, vulnus dilatauit, aut partem demorsam exugendam præbuit, cucurbitulas admouit, scarificationem adhibuit, cauteria & eadem vi prædita medicamenta caustica applicuit, postremò partem amputauit,] remedia haud dubiè pensitauit, quotquot [seu intus assumpta seu] foris & in summa cute adhibita immissæ ad intima perniciei aduersari possent. Hæc itaque quæ disseruit Erasistratus, tum veritati, tum & artis operibus sunt consentanea. Sed Methodicos demirari licet, qui quidem corruptricem seu maleficam vim corporibus immissam, negotiorũ quæ ipsa facessit simpliciter

causam esse minimè concedãt, at certo quodam modo: vsque adeò ineptè nomini insistunt. Palàm enim etiam apud ipsos vis immissa corporibus, φθοροποιός, [hoc est, corruptrix] appellatur. Corruptricem autem vim habere, causæ, non item alius cuiuspiam rei, opus est. Aiunt porrò voces has μάρσιπτος & ἀνακαλύπτειν reliquis omnibus esse similes: in quibus partes quædam dictionum non pro virtute, sed iuxta nudam enuntiationem, cõprehensæ sunt. Enimuerò quemadmodum in his vocibus μάρσιπτος & ἀνακαλύπτειν, partes neque principales neque præcipuos retinent significatus, sic & in hoc verbo φθοροποιεῖν partes superuacuò & quasi productionis tantùm gratia, non item ad certam vim & efficacitatem, vnà coaluerunt. Hinc porrò ad causarum differentias transeũt, affirmántque causarum quasdam esse primarias & euidentes: quæ cùm primùm aduersam valetudinem crearunt, à corpore separantur, cuiusmodi sunt labor, frigus, æstus, & similia: alias verò continentes, quæ excitato morbo etiamnum permanent, hoc est, quibus præsentibus & effectus eorum adsunt, increscẽtibus iisdem effectus itidem augentur, decrescentibus minuuntur, desinentibus finiũtur: quæ denique iccircò perfectæ dici possunt, quòd si adsunt, effectus per se inducunt.

Ac

Ac tales quidem receptissimæ sunt causarum differentiæ, quarū neutri τὸ φθοϱοποιὸν subiici rectè potest. Primaria enim causa non est, quoniam morbus ipse permanet, nec ipsa à corpore separatur. Sed neque continens causa dici potest, quoniam magna ex parte aliū-de adest quod nocet, quemadmodum in iis videre est, qui à rabioso cane sunt demorsi. Quòd si neque primaria neque continens causa fuerit, vtique neque perfecta seu finem per se constituens, neque adiuuans causa dici poterit. Quòd si τὸ φθοϱοποιὸν in nullo causarum genere locare possumus, consequitur certè vt neque omnino causam esse fateamur. Hisce hoc modo dictis constitutísque, esse vocabula quædam quæ in se non habeāt partes rerum significatrices, sed iuxta simplicem ac nudam pronuntiationem effictas, concedendum est. Verùm planè perpauca, nedum omnia, talem nancisci conditionem existimandum est. Neque enim ποιεῖν in hoc nomine, φθοϱοποιὸν, perinde atque in reliquis exemplis vocum partes, enuntiatur, sed longè principem obtinet significationem. Nam quemadmodum φθοϱᾶς, id est, corruptionis, nomen mutationem in peius significat, sic & hoc verbum, ποιεῖν, i. facere, ita accipiendum est, vt nihil ampliùs ex eo quod dictionem φθοϱᾶς sibi adiunctam habeat declaret,

ſitq́; vox penitùs non ſignificans id quod omnes palàm audiũt, atq́; adeò ſimilis voci, ſitire, ſitim, vt ita dicam, habere ſignificãti. Quòd ſi dãt ſano ex corruptione morbũ cõtingere, cõcedunt vtiq́; vim in huiuſmodi verbo ποιεῖν ſubeſſe: ſiquidẽ aliquid eſt, quod corruptionẽ efficiat. *Omne autẽ quod aliquid efficit, per ſingulas cauſas oſtẽditur quę corporibus ſubiiciuntur, ídque tam in lethalibus venenis, quàm iis quæ corporibus ingeruntur. At qualencunque cauſam ad cauſarum differentias propoſitas reduci oportere aſſerunt. Falluntur autem & hac in parte, quoniam haud exactam diuiſionem propoſuêre. Qui verò ſe Dogmaticos profitentur, cauſam hanc eſſe dicunt partim præparantem, partim cõtinentem, vt inguinum vlcus & inguinariã febrim, & quæ tum cauſæ finẽ & effectũ per ſe præſtanti aſſiſtat, tũ etiam ab eadem ſeparetur, vt à fractis præcipitatio. In ſumma quoties quidpiam ſuapte natura cauſa fuerit, nec vlla cauſarũ diuiſione comprehenditur, vitioſum eſt, neq́; cauſæ aſcribitur eorũ quæ idem genus ſortiuntur. Sed quòd φθορποιὸν cauſa ſit, tũ ex ipſo nomine deprehenditur, tum & apertiùs ex iis quæ contingũt oſtenditur. Nam poſt impreſſum à venenata beſtia ictum, quam, quæſo, aliam arbitrantur mali cauſam, quàm vim ipſam
ab ani-

ab animante profectam & illapsum in corpora virus? quandoquidem neq; frigus, neq; æstum, neque excisionem, neq; cruditatem neq; aliud quicquam simile causari possunt. Quoniã verò etiã causarũ differẽtiis gaudẽt, & aliquas continentes, alias primarias seu euidentes appellãt: ipsis dicendũ, vtroq; istorum modorũ causam esse. Ac euidens quidẽ dicetur, quòd effectum præcedat & corporis substantiã præoccupet: continens verò, quòd morbis præsentibus etiam ipsa adsit, hácque remota, itidem recedant simul & semel quæ cum ipsa euenerãt. Sed de his hactenus. Statuendum itaque corruptricem seu mortiferam illam vim intrinsecus manifestissimam esse causam, húncq; veluti principem scopũ nobis proponendum esse. Iccircò antequam irruant morbi, variis modis certandum est, vsque dum vis tota corporibus excutiatur. Modò enim qua parte intrò subierit, eã reuocari oportet, modò retineri & quasi coërceri circa partem quampiam, præsertímque ignobilẽ, priusquàm altiùs irrepens viscera tentet: aliâs deniq; pernicies eius eluẽda retundendáve est, siquidem iam ipsa membra peruaserit. Cumprimùm igitur hausto veneno vehemens succedit inflammatio, crebris vomitionibus excludendum id est: sin ictu morsúve impressum est, scarificatione,

affixis cucurbitulis, ſuctu & carnis ſcalpello facta circinatione: interdum etiam extremæ partis amputatione euocatur. Retinetur verò atque cohibetur, infuſis enematis & impoſitis medicamentis acribus: hæc ſimul vtique virus coërcere & eluere poſſunt. Reſtinguitur porrò & euincitur meracioris vini paſsíve potu, aut etiam eſu acrium quæ contraria vi polleant. Poſtremò tandem alui purgatio, ſudoris euocatio, & alia quædam in commune, quæ ſigillatim demonſtrabimus, auxiliantur. Verumenimuerò non corruptricem tantùm materiam ceu ſcopũ, ſed & eius magnitudinem ac ipſum quoq; tempus attendere oportet. Etenim ab his remedia quàm maximum diſcrimen capeſſunt. A magnitudine quidem, quoniam nonnulla è venenis tam hauſtis quàm ictu morſúve inflictis præſentia pericula conflandi vim habent, alia putredines altiores aut magis ſuperficiarias excitant: alia dolores aut vehementiores aut leuiores cient, alia denique incommoda magis minúſve infeſtantia inuehunt. Quamobrem oportet quæ grauius periculum afferunt, valentioribus auxiliis oppugnare: quæ contrà minùs infeſta ſunt, mitioribus. Quippe abſurdum fuerit in grauioribus malis, ſegnioribus medicamentis, ſi ita contingat, vti, atque adeò hominem in

diſcrimen

discrimen adducere: in minoribus vero, præcipiti violentáque curatione frustrà corpus excarnificare. Est & in promptu quæ à tempore desumitur indicatio: sunt enim quę pręsentem ac subitaneam perniciẽ inferũt, alia verò non nisi temporis spatio, sed modò longiore, modò breuiore nocent. Itaque in acutis quidem, festinanter multa simul auxilia repręsẽtari oportet, reliquis, tardiùs. Hisce artis quãdam ceu formulam abũde cõplexi sumus: reliquum est, vt ad particularia sigillatim exponenda progrediamur.

Signa rabiosi canis, eorúmque qui ab eo demorsi fuerint. CAP. I.

DE rabidi canis morsu tractatum aliis iccircò præposuimus, quòd id animal, vt frequens & homini familiare est, ita & rabie sæpenumerò prehenditur, indéque perit, & ab eo sibi cauere difficile est: hinc tamen periculum ineuitabile hominẽ manet, nisi multis iísque cõuenientibus vtatur auxiliis. Plerũque verò canis in rabiem agitur per flagrãtissimos æstus, ac interdũ etiam per sæuissima frigora. Rabie autem correptus, & potum & escam auersatur, largã spumãtémque pituitam naribus & ore proiicit, toruum ac solito tristiùs intuetur,

in omnes æquè beſtias hominéſque irruit, ac omnes paſſim tã familiares quàm ignotos mordet: neque tamen protinùs aliud quicquam graue, quàm ex vulnere dolorem infert: at deinceps morbum ab aquæ metu, hydrophobiam Græcis appellatum, inuehit. Hunc comitantur cõuulſiones ac totius corporis rubores, præſertímque faciei, cum exudatione & languore quodam. Ex hoc mali genere correptis ſunt qui lucis ſplendorem refugiant, alij aſſiduo dolorum cruciatu cõficiuntur. Neque deſunt qui canum more latratus edant, & obuios quoſque dentibus appetant, morſúq; ſuo alios ſimili morbo inficiant. Ex iis porrò qui in eiuſmodi morbũ incurriſſent, nullũ ſeruatũ ſcimus: tantũmodò ex hiſtoriis vnum aut alterũ euaſiſſe accepimus. Enimuerò EVdemus ſuperſtitem quendam euaſiſſe narrat. Themiſonem etiã aliqui demorſum in hunc affectum incidiſſe, ac nihilominùs ſeruatũ aſſerunt: alij cùm ab amici aquæ metu cruciati latere; cuius commiſereſcebat, vix vnquam diſcederet, illíque alacriter omne præſtaret officium, ſimilem contraxiſſe affectum: attamen poſt multos tandem cruciatus euaſiſſe. Eſt igitur hoc genus morbi miſerrimum, & curatu perquàm difficile: ſed à quo tamen, priùs quàm ipſo tentarentur, demorſos haud paucos ipſi

cos ipsi vindicauimus, & complures itidem ab aliis medicis conseruatos nouimus.

Morsus rabidi canis particularia remedia.

CAP. II.

RATIO medēdi quædam communis est, qua vtendū in iis omnibus qui à virulenta quauis bestia demorsi fuerint, altera iis peculiaris quos rabiosus canis momorderit: quæ nonnullis quidē maximè prodesse consueuit, aliis verò est inutilis, quibus scilicet iam ex lōgo tempore morsus illatus fuerit. Hanc nos medendi rationem priore loco exponemus: deinde & communem illā cursim perstringemus. Cancros itaque fluuiatiles igni è vitis albæ sarmentis cremare oportet, & cinerem eorum quàm minutissimè tritum habere reconditum: pariter & gentianæ radicem tusam cribratámque reponere. Quoties autē canis rabiosus alicui morsum intulerit, in quaternos meraci vini cyathos bina cineris cācrorū cochlearia, vnūq; gētianæ, cōiiciātur: ac vbi in polētæ dilutioris modū subacta remistáq; fuerint, quatriduo bibātur. Cùm igitur primo statim vulneris inflicti tēpore hoc medicamētū exhibebit, in hūc ꝓpinabitur modū. Quòd si ab illato morsu duo trésve dies intercesserint, dū curationē aggrediemur, duplum quoque

triplúmve ponderis eius quod ab initio retulimus exhibebimus. Efficaciſſimum quidem hoc eſt aduerſus rabioſorum morſus auxilium, quod etiam vnicum nonnullis ſatis ad ſalutem fuit, quóque cum fiducia vti licet: attamen quò firmiùs cõtra periculum, vt videtur, ineuitabile, muniamur, nihil quicquam obſtat, quominùs & aliis vtamur auxiliis. Sed & inhumanos quantũuis fruſtrà remediorum tolerare cruciatus ſatius multò fuerit, quàm per inertiam negligentiámve in diſcrimen adduci. Neq; verò tantoperè metuenda in demorſis à rabioſo cane maiuſcula vulnera, quantoperè minora, iíſq; ſimilia quæ per leuem ſcarificationem fieri ſolita ſunt: quippe maiori vulnere copioſior ſanguis confertim emanãs viruléti liquoris nonnihil ſimul & ſemel exhaurire poteſt: id quod minori vulnere fieri nequit. Quin & à maioribus abſcedentes carnes quamprimùm auferri, ac ipſa quoque labia acie ſcalpelli circunſcribi oportet: prehenſa autem hamulo volſellâve caro amputanda. In vtriſq; autẽ partes veluti circulo vulnus ambientes vulnuſculis altioribus circumſcarificandæ: ſic enim copioſiore vacuato ſanguine cauebitur, ne virus intrò ſeſe inferat intrudátve. Quin & affixa cũ multa flãma cucurbitula, maximo fuerit adiumento ad veneni

neni

neni vim exoluendam. Sed contra virulentos ictus vstio omniũ expeditissimũ est auxiliũ: vt enim ignis, qua præ cæteris omnibus pollet efficacia, virus ipsum euincit penitiúsq; ferri prohibet, ita & pars ignem experta, futurę deinceps curationi non mediocre iacit fundamentũ, dum diutiùs vlcerata permanet: quã ob causam etiã exinde accuratè animaduertẽdũ, vt ne, cùm excidet crusta, celeriùs quàm par est vlceris oræ coëant coalescántve. Quin si fieri potest, magnam partem stati præfinitíque temporis vlcerationes quantumuis inflammatione obsessas atque sordidas prorogari conuenit. Id commodè præstabit inditum iis salsamentum, itémque syluestre allium detritum: similiter & cepæ, ac imprimis liquor Cyrenaïcus, aut qui Medicus Parthicúsve appellatur. Tritici quoque grana tam mansa quàm minimè mansa imponantur: hæc enim dũ humore concepto turgescunt, vulnera dilatãt. Neque desunt qui commanducata eiusmodi grana arbitrentur à mandentium ieiunio vim aliquam asciscere, quæ veneno repugnet: verùm id certum non est. Tempestiuus tamen eorum vsus minimè contemnendus est. At si, quod sæpenumerò accidit, ante quadraginta dies coëant committantúrque cicatrices, manus ope refricandæ,

ſeu carnem ſcalpello circinando & amputando: ſeu etiam, ſi libuerit, iterùm inurendo. Tranſacto verò ſtato præfinitóque tempore, & permittendum vt vlcera cicatrice obducantur, & pars tota emplaſtro quod è ſale conficitur comprehendenda: tandémque paucis poſt diebus & ſinapiſmus adhibendus eſt.

De victus ratione demorſorum à cane rabioſo.

CAP. III.

TALIA quidem ſunt morſus rabioſi canis particularia remedia. Eam verò victus rationẽ inſtitui par eſt, quæ potiſſimùm veneno aduerſetur, vt ipſius vires hebetet reſtinguátque, ac ſimul etiam arceat, quominùs ad intima pernicies illabatur. Etenim aſſumpta maleficæ qualitatis penetrationi reſiſtunt. Horum vtrunque commodè præſtare poteſt vini meracioris, paſſi, lactíſque potus: ſiquidem qui hæc omnia prouidè aſſumunt, & veneno non parùm obſiſtũt, & illius omnẽ acrimoniã obtundunt. Simili modo prodeſt alliorum, porrorũ ceparúmq; eſus: quippe cùm planè difficulter conficiãtur, víxque aboleantur. Nam dies cõpluſculos eorum qualitates remanẽt, tandiúq; à vi mortifera neque euincuntur illa neque immutantur, ſed contrà hanc ipſã ſuapte natura ſuperant. Ad hoc ipſum valet antidotorum

vſus, ac

vſus, ac theriacæ præſertim, tum eius quæ EVpatoria, tum etiam eius quæ Mithridatia dicitur, necnon & alius cuiuſuis, quæ quidẽ è compluribus conſtet aromatis: quippe aromata omnia ægrè ſuas tum qualitates tũ ſubſtantias permutant, atque adeò integris viribus diutiùs in corporibus retinentur. Victus igitur ratio hoc modo ſe habet. Illud porrò noſſe oportet, pauorem aquæ non ſtato præfinitóque tempore ſolitum inuadere. Cùm enim vtplurimùm ad quadrageſimũ vſque diem differri conſueuerit, neglectis tamen quibuſdã poſt ſemeſtre, imò etiã poſt annum, ſuperueniſſe obſeruauimus. Sunt & qui narrent, nonnullos poſt ſeptenniũ eo affectu correptos fuiſſe. Ac inter initia quidẽ ea demorſorũ à cane rabioſo debet eſſe curatio, quam antè retulimus. Verũenimuerò ſi illa antè memorata auxilia primis diebus quacunque ex cauſa prætermiſſa fuerint, alienum deinceps erit, & carnẽ ſcalpro circinare, & vſtionẽ experiri. Nec enim ampliùs quod iã intrò illapſũ fuerit iſtis auxiliis ſatis euocare poſſis. Nulla vtique tũ eſſet illorum occaſio aut vtilitas, ſed fruſtrà corpora doloribus cruciarẽtur. Proinde alia curationis ineunda ratio: nimirum imperanda purgatio, quæ, dum corpus agitando ipſius habitum tranſmutat, magnum affert adiumentũ.

Commodè verò vſurpari poterit hiera quæ colocynthidem recipit: itémq; lac ſchiſton, quippe quod ſimul & deiectionẽ moliri poteſt,& contemperandi vim habet. Cibi itidẽ acres & meraculi potus, quibus vis veneni egregiè retundi poteſt, quotidie aſſumi debent. Præter hæc ſudores & ante cibum & à cibo eliciendi:quin & dropaces ac ſinapiſmi vniuerſo corpori alternatim adhibendi. Attamen elleboriſmus longè omnium efficaciſſimum deprehenditur auxilium,quo quidem cum fiducia non ſemel aut iterum, ſed etiam frequentiùs ante diem quadrageſimum, vel poſt hoc etiam tempus, vti licet. Tantam enim vim habet id genus auxilij, vt nonnulli qui iam aquæ metu prehendebantur, ſumpto in ipſo morbi inſultu elleboro incolumes euaſerint. Nam eo malo iam detentos ne ipſum quidem elleborum ſeruare poſſit. Hactenus,velut eramus polliciti,curam contra rabioſi canis morſum breui ſermone expoſuimus.Iã ad reliquos virulentorum animantium morſus ictúſve trãſeuntes, eorum ſigna primùm vno contextu trademus, deinde verò communem medendi rationem, quæ omnibus ex æquo cõueniat, explicabimus. Tandem curſim ea ſubiiciemus, quæ nonnullos ſua proprietate iuuare poſſunt, Similiter & quæ venena

nullis

nullis prorſum cedant remediis, annotabimus.

De Phalangiis. CAP. IIII.

IIs qui à Phalangiis demorſi fuerint, pars affecta rubens ac velut aculeis compuncta conſpicitur: cæterùm neque intumeſcit, neque adeò calet, ſed contrà, quanuis mediocriter rubeat, frigida tamen deprehenditur. Conſequuntur verò totius corporis tremor, ac diſtentiones circa inguina & poplites, conuulſionibus haud abſimiles: lumborum dolor & perpetua ad reddendam vrinam ſtimulatio, necnon & eiuſdem excernendæ difficultas. Similiter & vniuerſa cute frigidus ſudor emanat: collacrymant oculi & quodammodo caligant.

De Scolopendra. CAP. V.

SI cui Scolopendra ſeu Ophioctena morſum intulit, pars per ambitum liuet atque computreſcit, interdúmque fæci ſimilis, at rariùs rubra, conſpicitur. A morſu ipſo exulcerari pars incipit, vlcúſque id & graue eſt & curatu difficile: prætereà verò pruritus toto corpore perſentiſcitur.

De Scorpione. CAP. VI.

ICTA pars à Scorpione quamprimùm inflammatione tentatur, indureſcit, rubet, & cum dolore circumquaque diſtenditur: viciſsímque modò exæſtuat, modò frigore

prehenditur: dolor itidem qui derepentè accessit, modò remittit, modò intenditur. Comitantur verò sudor, horroris sensus atque tremor. Quin & extremæ corporis partes refrigescunt, tument inguina, flatus per sedem erumpunt, surriguntur capilli, accedit decoloratio, dolórque velut ex pungente acu per vniuersam cutem sentitur.

De Pastinaca marina.

CAP. VII.

A PASTINACA marina percussis protinùs accidunt pertinaces dolores, assiduæ conuulsiones, lassitudo, languor, & mentis alienatio: posthæc etiam vocis interceptio & oculorum caligo. Ipsa verò pars affecta liuet ac nigrescit per ambitum: quin & vicinæ ita obstupescunt, vt tangentem non sentiant. Illam porrò si quis defricuerit, atra, crassa & grauecolens sanies exprimitur.

De Mure Araneo. CAP. VIII.

A MVRE Araneo demorsis circa morsum in orbem inflammatio excitatur, nigráque pustula diluta sanie turgens exurgit: proximæ verò partes omnes liuent. Rupta pustula depascens succedit vlcus, ei non absimile, quod à serpentium ictibus imprimi solet. His accedunt intestinorum tormina & vrinæ difficultas, corpúsque madore frigido diffluit.

De Vipera. CAP. IX.

SI quem momordit Vipera, corpus illius intumeſcit ac vehementer inareſcit, ſubalbidúmque colorē concipit. Sanies è vulnere promanat, primùm ſubpinguis, mox verò cruenta: tandémque puſtulæ, quales in ambuſtis, erumpunt. Accedit his vlcus depaſcēs, quod in proximas partes omnes ſerpit: nec modò ſummam cutem occupat, ſed & altiùs intrò ſubit. Gingiuæ quoque cruētantur, & hepar inflāmatione prehenditur. His inſuper tormina bilioſíque vomitus accedunt, prætereáque tremor, ſopor, vrinæ difficultas & frigida exudatio.

De Scytale & Amphisbæna. CAP. X.

CONSIMILIA eueniunt iis qui à Scytale aut Amphisbæna demorſi ſunt, eadémque ferè auxiliantur: quamobrem genus hoc veneni propriam deſcriptionem ſortitum non eſt, neque etiam illam exigere viſum eſt.

De Dryina. CAP. XI.

ADRYINA morſis graues vehementéſque incidunt dolores, párſque ipſa affecta in puſtulas attollitur, è quibus ſanies aquoſa profunditur. Quinetiam ſtomachi roſiones torminâque conſequuntur.

De Hæmorrhoo. CAP. XII.

AB Hæmorrhoo demorſis vehementes cruciatus accidunt: quorum continuatio, contracta penitúſque ſtrigoſa corpora reddit. Ex plaga copioſus cruor effluit, & quacunque alia corporis parte cicatrix vlla fuerit, ea quoque ſanguis emanat. Quin & excrementa cruenta reiiciuntur, concretúmque in grumos ſanguinem repræſentant: ſic denique affecti ſanguinem tũ ex pulmone cum tuſſi, tum etiam vomitione reiiciunt, neque iis vlla reperiri medicina poteſt.

De Dipſade. CAP. XIII.

A DIPSADE percuſſos ardor habet intolerabilis, vrgétque ſitis vſque eò pertinax, vt neque reſtingui poſſit, neque vllo tempore intermittat. Quin & quantumuis potum ægri ore pleno affatim hauſerint, perinde tamen ſitiunt, quaſi anteà potus nihil aſſumpſiſſent, proindéque tandem propter aſſiduam potationem toto corporis habitu ſimiles hydropicis euadunt: hac de cauſa dipſas, etiam preſteris & cauſi cognomina meruit.

De Natrice. CAP. XIIII.

A NATRICE demorſis vulnus dilatatur ampliatúrque, ſimul etiam liueſcens. Quin & ſanies ex eo copioſa, eáque atra & putida, qualis ab vlcere depaſcente, manat.

De

De Cenchro. CAP. XV.

CENCHRI morſum, qui quidem viperino ſimilis eſt, putridum vlcus conſequitur, ac vndique diffluunt carnes, quæ priùs velut in aqua inter cutem intumuerãt. Quin & icti, veterno altóque ſopore corripiuntur. Iiſdem iecur, veſicam & colon inteſtinum malè affici Eraſiſtratus aſſerit: ſiquidẽ diſſectis corporibus iſthæc viſcera quodammodo corrupta deprehenduntur.

De Ceraſte. CAP. XVI.

A CERASTE demorſis pars in tumorem attollitur, cum duritia & puſtularum eruptione. Profluit è plaga ſanies, modò atra, modò quadantenus pallida: totus verò corporis habitus fulueſcit: ipſum quoque genitale arrigitur, mens labat, & oculis caligo ſuperuenit: tandémque neruorum diſtenſione prehenſi commoriuntur.

De Aſpide. CAP. XVII.

AB Aſpide commorſis vulnus perquàm exiguum, quaſi ab adacta acu, citra tumorem conſpicitur. Sanguis non ita copioſus, imò perpaucus, idémque ater, extillat: ac derepentè acies oculorum hebetatur: totóq; corpore dolor multiplex, ſed omnino leuis & non ſine voluptate conſequitur. Quapropter rectè Nicander cecinit: --at vir perit abſque dolore. Color minimè conſtat, at

potiùs malignè virescit: accedit exigua stomachi rosio: frons assiduè reuellitur: palpebræ sine sensu conniuent, veluti vrgente somno: atque inter hæc vix interposito diei triente mors ipsa prehendit.

De Basilisco seu Regulo. CAP. XVIII.

ERASISTRATVS, in libro qui de medicaminibus ac venenis inscribitur, de vocato Basilisco ad verbum ita scribit: Cùm momorderit Basiliscus, vulnus ad auri colorem efflauescit, &c. Cæterùm istæ ferè sunt notæ, quæ plerorunque virulentorum animalium ictus morsúsve comitantur. Proinde superest vt ad medendi rationem transeamus: ac primùm communia, quoad eius fieri poterit, curationis præcepta tradamus.

Communis vulnerum à venenatis animantibus inflictorum curatio.

CAP. XIX.

ORIS quidem suctio aduersus quemuis virulenti animalis ictum conuenit. Sugentem verò oportet minimè ieiunum esse, sed & priùs cibum sumpsisse & os vino colluisse, prætereáq; dũ vulnus exugit, olei pauxillũ ore continere. Ipse autem locus spõgia fouendus, deindéq; scarificãdus: sed vulnuscula altiùs imprimere expedit, quò fœliciùs virosa materies è profundo reuocetur. Verumenimuerò carnis circinatio sectióque, scari-

ſcarificatione ipſa longè potentiùs opitulantur. Priuatim ſiquidem hæc duo ſecum afferunt commoda: vnum, quòd virus è loco tollitur: alterum, quòd eius veneni pars, quæ iam ad interiora peruaſerat, cum multo copioſóque ſanguine excernitur. At ſi locus circinationem haudquaquam admittat, cucurbitulæ cum largiore flamma affigendæ ſunt. Quòd ad vſtionem ſpectat, de ea iam antè inter rabioſorum remedia diſſeruimus. Si verò icta pars, vtpote extrema, ſectionem commodè admittat, pręſertim in omniũ ſerpentium morſibus, vti aſpidis, ceraſtæ ſimiliúmque, ea proculdubiò amputanda eſt. Porrò ceu antè memoratis remediis leniora blãdioráq; meritò cenſentur, quæ epithemata vocant. Imponatur ergo ſarmentitius cinis aut ficulneus, cũ lixiuio percolato ſubactus, addito garo & acri ſalſamento. Porri quoq;, cepę & allia modò quàm minutiſſimè trita illinãtur, modò cremata vulneribus adhibeantur. Iuuant & pulli gallinacei bipartitò ſecti, & protinùs dum maximè calẽt percuſſo loco appliciti. Neque deſunt qui iis ceu diſcordia quadã naturali cũ veneno pugnantibus vſi fuerint: verùm in prõptu eſt eiuſce remedij ratio. Gallinæ ſiquidem calida natura prӕditæ ſunt, argumento quòd deuoratum certiſſimum virus conficiunt, &

aridiſſima quæque ſemina conſumunt: interdum & arenas calculóſque deuoratos molliunt atque diſſoluunt. Itaque animantis admoti natiuo calore adiutus ſpiritus ab icta parte impetum capeſſens, ſimul & ſemel venenum exigit. Neque nos fugit, quid apud Ægyptios in eiuſmodi caſu fieri ſoleat. Dum ſpicas metunt, ollam picis paratam habent, & appenſam ollæ faſciam. Tunc enim à ſerpentibus ſibi maximè timent; tum propter æſtuoſam anni tempeſtatem, tum quòd opacis abditi cauernis denſóque aruorum ceſpite deliteſcunt: plurima verò & infeſtiſſima è venenatis animalibus Ægyptus in campeſtribus alere conſueuit. Cùm primùm ergo quiſpiam in pede aliáve parte demorſus fuerit, illicò qui adſunt faſciam in ollam picis immittunt, ac ſemel aut iterum brachium aut crus paulum ſupra vulnus obligant, & arctiſſimè duo è præſentibus vndique conſtringunt, locúmque incidentes quà circumactus eſt laqueus, picem inſtillant: vbi verò ſat picis infudiſſe ſibi videntur, laqueũ reſoluunt, & cepas aliáque memorata adhibent. Quin & citra hæc pix liquida cum ſale trito ac feruente illita præſentaneo eſt auxilio, ſi modò frequentiùs deinceps innouetur. Similiter & conuenit cedria, itémque fimum caprinum ex vino

deco-

decoctum. Sed & locũ aceto calente & calamintha in lotio & aqua marina ſeu acida muria decocta foueri ſalutare eſt. Sunt præter hæc etiam emplaſtra calidiſſima ſimul & acerrima, quæ venenum elicere, euincere, ac etiamnum diſcutere poſſunt: cuiuſmodi ſũt quæ ex ſale aut nitro, ſinapi & canchry componuntur, de quibus deinceps erit agendum. Eraſiſtratus autem non immeritò eos reprehendit, qui incognita remedia in hunc vſum conſcripſêre: qualia ſunt fel elephanti aut crocodili, ſanguis ouáque teſtudinis, aliaque conſimilia. Videntur enim literis nõnulla tradidiſſe, quæ iuuare poſſint: iſta verò ſola lectoribus impoſuêre. Quamobrem talia repudianda ſunt: quippe quæ non niſi facultatib⁹ Regiis facilè redimi poſſint, neque pluribus experimentis fidei faciendæ idoneis comprobari potuerint. Quæ autem ad communem omnium vſum pertinent, quæque paratu facilia ſunt, & paſſim quibuſcunque à ſerpẽte percuſſis auxilium ferre queunt, ſubiungenda videntur. Intubus itaque, erica & aſtragalus ex aceto pota, contra omnes ſerpentium morſus auxiliantur. Itidem & aſphaltium, ac virentes platani pilulæ in vino diluto coctæ, paliuri decoctũ, radix ariſtolochiæ & eryngij: decoctæ etiam lauri baccæ in cibo ſumptæ, piper lar-

giùs eſitatum, ruta, anethum & cyclaminus: coma porrorum priuatim ex pane, aut allia vel cepæ & ſalſamentum quàm acerrimum: itémque origani decoctum è vino potum: quinetiam fœniculi, pulegij, calaminthæ porrorúmque ſuccus cum melle exſorptus. Et hæc quidem è plantarum genere deſumuntur. Quędam verò ab animalibus etiam vtiliter peti ſolent, veluti cerebella gallinaceorum eſitata, & leporinum coagulũ ex vino potum: itidem & caſtorij ſextans. Marinæ quoque teſtudinis teſtes aſſumpti opitulari feruntur. Celebratur & muſtela aſſiccata. Hæc priùs exenterata vndiquaque diſcinditur, ac deinde exiccatur, ex eáque binæ drachmæ cum vino bibuntur. Sed de ſimplicibus quę exhiberi ſolent, hactenus. Porrò conuenit etiam à ſerpente percuſſis purgatio per aluum, vti & ſudoris euocatio, & copioſa vrinæ excretio. Extant & compoſitæ quædam potiones, quæ mira remedia polliceri traduntur: vti quæ cõſtat ex opij ac myrrhæ ſingulis obolis, & piperis drachmis duabus. Ea melle excipiuntur, & inſtar Ægyptiæ fabæ dantur cum vino. Similiter rutæ ſyluaticæ ſeminis, melanthij, cumini Æthiopici, galbani, ariſtolochię, pares ſingulorum portiones tritæ & cum erucæ ſucco ſubactæ digeruntur in paſtillos, quorum ſinguli drach-
maın

mam pendeant: dãtur verò ex vini heminæ ſemiſſe. Hęc aduerſus omnes ictus communia ſunt. De peculiaribus contra beſtiam vnamquanque venenatam auxiliis deinceps agendum.

Curatio à Veſpis & apibus morſorum.

CAP. XX.

INTER venenatorum ictuum morſuúmve notas minimè de veſpis & apibus ſpeciatim diſſeruimus: quòd conſpicuæ omnibus forent, neque eximium aut notatu dignum quicquã in iis obſeruaretur. Inter remedia tamen & earum meminiſſe, non abs re fuerit. Igitur aduerſus apum veſparúmq; ictus prodeſt impoſita malua & hordeacea farina cum aceto, itémque lac ficulneum ictibus inſtillatum, denique fotus ex muria aquáve marina.

Curatio à Phalangijs morſorum.

CAP. XXI.

PHALANGIORVM verò morſibus iſthæc imponere oportet: ficulneum cinerem adiecto ſale trito cum vino ſubactũ, aut radicem ſylueſtris Punicæ quàm minutiſſimè contritam, aut ariſtolochiam cum hordei farina & aceto ſubactam. Vlcera autem aqua maris perfundenda, aut meliſſophylli decocto, ac eiuſdẽ folia illinẽda. Porrò balneis perquàm frequenter vtendum,

itémque potionibus è pharmacis proximè ſequentibus: abrotoni inquam ſemine, aniſo, ariſtolochia, cicere ſylueſtri, cumino Æthiopico, baccis cedri tritis, platani cortice, & trifolij herbæ ſemine: ſeorſum autem ſingulorum binas drachmas dare cõuenit cum vini hemina. Exhibetur & myricæ fructus: ſimiliter & chamæpityos ac viridium cupreſſi pilularum decoctum vino temperatum. Sunt & qui aſſerant, fluuiatilis cancri expreſſum cum lacte ſuccum, adiecto apij ſemine, omnibus quamprimùm liberare moleſtiis.

De Scolopendræ morſu.

CAP. XXII.

SI SCOLOPENDRA morſu vulnus impreſſit, ſal quam tenuiſſimè tritus ex aceto vulneri inſpergendus, aut ruta ſylueſtris ſuperponenda. Locus acida muria fouendus, & danda in potu ariſtolochia cũ vino, aut ſerpyllum, aut calamintha, aut ruta ſylueſtris.

De Scorpionis ictu. CAP. XXIII.

ICTIS à Scorpione præſentiſſimo eſt auxilio lac ficulneum in vulnera inſtillatũ. Scorpius etiam ipſe qui ictum vibrauit, tritus & percuſſo loco impoſitus, ſui ipſius ictus remedium eſt: ídque, vti videtur, naturalis cuiuſdam repugnantiæ ac diffidentiæ ratione, quam antipathiam vocant. Præterea con-

conuenit & ſcorpius tritus, & cum ſale, lini ſemine & althæa herba impoſitus. Auxiliatur & ſulphur ignem minimè expertum, reſina terebinthina exceptum, & emplaſtri mŏdo adhibitum. Similiter & galbanum ad ſplenij formam diductum, itémque calamintha trita & illita, necnon & cruda hordei farina cum vino ſubacta addito rutæ decocto. Iuuat etiamnum ſemen trifolij herbæ tritum ac vulneri iniectum. Et de his quidem quæ foris admouentur, hactenus. Neque verò interim negligendus potionum quàm efficaciſſimarũ vſus, quales parantur ex ariſtolochiæ, præſertim corticis, binis drachmis cum vino, è gentiana tuſa, & pulegio plurimùm decocto, tritis itidem lauri baccis numero decẽ, & calamintha in poſca diu multúmque diſcocta. Valet & cyperis cum vino, & ruta eodem modo: ſic & lac ficulneum & laſer, ſi affuerit: ſin minùs, Parthico vtendum ſucco. Efficax quoque eſt epotum trifolij ſemen, necnon & ocimi. Sed his omnibus æquipollent frequens balnei vſus cum multa ſudatione, dilutáque potio.

De Paſtinacæ marinæ ictu. CAP. XXIIII.

QVAE deinceps à vipera demorſis conferre dicemus, eadem planè omnia & eodem modo percuſſis à paſtinaca marina conueniunt.

De marinorum Scorpij Draconisque ictibus.
CAP. XXV.

SVNT & virulenti ictus qui à Dracone Scorpióque marinis inferuntur: quippe qui acerbissimos dolores, interdum etiam, quanuis raró, nomas [hoc est, depascentia vlcera] excitent. Hisce absinthij aut saluiæ, vel sulphuris ex aceto triti potio subuenit. Quin & mullus in longitudinem diffissus & impositus, eorum ictibus remedio est.

De Muris aranei morsu.
CAP. XXVI.

DE MORSIS à mure Araneo splenium è galbano vulneri impositum per se, aut ex aceto tritum auxiliatur: itémque hordeacea farina ex aceto mulso illita. Quin & mus ipse araneus qui morsum intulerit, si diuulsus imponatur, contra ictum suum remedio est. Idem præstat dulcis mali Punici corium decoctum & illitum. Similiter porri cocti & adhibiti, itémque allia contrita, necnon & calidæ muriæ fotus. Atque hæc quidem affecto loco imponuntur. Prodest verò potum abrotoni decoctum in vino exhibitum: prætereà serpyllum, galbanum & eruca, si in vino diluantur, itémque tenellæ cupressi pilulæ cum aceto, cyclaminus ex aceto mulso, & pyrethrum cum vino: denique

que & chamæleontis herbæ radix. Nec desunt qui literarum monumentis tradiderint, tritum murem araneum contra ſuos ictus cõmodè bibi. Quam hiſtoriam apud alios inuentam dignam tantummodò cenſuimus, quę annotaretur. Aſſeuerant etiam nonnulli vix vlcerari demorſum, niſi mus araneus prægnans fuerit, ac tùm demum auxiliari ferunt.

De Viperæ morſu. CAP. XXVII.

DE MORSIS à vipera fimum caprinum vino ſolutum præſentaneo eſt auxilio: ſimiliter & laurus, abrotonum & galbanũ ſplenij loco ſuperiecta, necnõ & origanum viride contritum: itidem pulli gallinacei diſcerpti, ac protinùs vt calẽt appliciti: erui farina vino ſubacta, radiculæ cortex vſque eò tuſus vt in puluerẽ ſolutus abeat: ſcilla toſta, itémque chamæmelum, ſiquidẽ terantur: & cruda hordeacea farina ex aceto mulſo ſubacta: ſed locus antè calida foueatur. Et hæc quidem affectæ parti admouentur. Rubus verò intrò ſumptus, contra viperinos ictus in vino prodeſt. Sunt & qui anchuſã tenui conſtantẽ folio auxiliari prodiderunt. Bibuntur & leporini coaguli oboli terni, & porracei ſucci dimidiata cotyla in mero: itémque foliorũ meliſſophylli ſuccus & ſylueſtris ruta: hæc ipſa quoque in vino

propinari debent. Quin & ipsa frequens vini potio iuuat, alliorúmque, cæparum ac porrorũ tenellorũ esus, salsamentáque acerrima & exquisitissima. Simplicia hæc sunt. Compositum verò medicamentum contra viperarum morsus celebratur, quod è myrrhę, castorij, piperis, sandarachæ anethíque seminis singulorum dimidio constat acetabulo. Hæc omnia in passo Cretico aliòve quopiam generoso teruntur. Erasistratus, eo in libro quem de facultatibus inscripsit, complura etiam alia tradidit, quæ ictis à vipera auxilium ferre possunt: [quo in genere sunt gallinarũ cerebella in vino pota, & brassicæ satiuæ seminis triti acetabulum cum vino bibitum. Vtile præterea censetur digitum in picem liquidam intingere, ac deinde in vinum demergere, atque hoc tandem potui dare. Et de iis quidem hactenus, quæ contra viperarum morsus auxiliantur.]

De Amphisbænæ morsu.

CAP. XXVIII.

DE Amphisbæna priùs agentes, simul & semel admonuimus, localia remedia eadem ab ipsa percussis adhiberi, quæ contra viperarum morsus descripta fuêre.

De morsu Dryini. CAP. XXIX.

A DRYINO ictis conuenit aristolochîa cum vino pota, & trifolium herba: similiter

ſimiliter & aſſumpta radix aſphodeli, & cuiuſcunque generis quercus glandes epotæ. Parti verò ictæ ilicis radices tuſæ & impoſitæ auxiliantur.

De morſu tum Hæmorrhoi, tum etiam Dipſadis. CAP. XXX.

HÆMORRHOI Dipſadíſque morſus, ceu immedicabiles, à pleriſque priſcorum pro deploratis habiti ſunt: quamobrem & proprietate quadã iuuantibus contra dipſadem auxiliis deſtituti fuêre. Attamen cõmunia experiri operæpretium fuerit. Protinùs ergo ſcarificationes vſtionéſq; adhibẽdæ: ac ſiquidem id permittat locus, ad extremorum amputationẽ deueniendũ eſt. Deinde verò acria imponenda cataplaſmata, quorum ſæpenumerò meminimus. Deprehendi etiamnum acres cibos, potiſſimùm verò ſalſamenta, vſui eſſe. Quin & meri potio balneáque iuuant: ſed hęc continuò poſt ictum, ac ſubinde breuibus ex interuallis vſurpanda ſunt, priuſquàm ſeſe morbus patefecerit: quo ſemel oborto ne tantillum quidem opis vlla Medici opera conferre potis eſt. In ictu Hæmorrhoi eadem illa cõmunia proſunt. At localia deſcripta comperimus, in dipſadis quidem morſu, portulacæ folia trita cum aceto, & polentam, ac rubi folia trita cum melle, plantaginem, hyſſopũ, allium

candidum, porrum, rutam & vrticam. In hæmorrhoi verò morſu, tum eadem hæc, tum inſuper vitis folia cocta, cum melle trita. Ipſius quoque hæmorrhoi crematum caput potui datur, aut allium cum vino. Eſitantur & vuæ paſſæ.

De morſu Natricis. CAP. XXXI.

MORSIS à Natrice confert origanum tritum aqua ſubactum, itémque cinis è quercu oleo exceptus, aut ariſtolochiæ cortex radíxve minutim contrita, & hordeacea farina cum aqua & melle coacta & quaſi colliquefacta. Bibũtur & ariſtolochiæ drachmæ binæ in dilutæ potionis aut poſcæ cyathis binis: aut marrubij ſuccus, aut alterutrius decoctum cum vino. Fauus item recens cum aceto exhibetur.

De Cenchridij morſu. CAP. XXXII.

MORSIS à Cẽchridio auxiliatur lactucæ ſemen cum lini ſemine cataplaſmatis in modum applicitum, itémque thymbra, ſylueſtris ruta, & ſerpyllũ cum aſphodelo tritum. Dantur verò protinùs in potu centaurij radicis drachmæ binæ cum ternis vini cyathis, aut ariſtolochiæ radix eodem modo. Similiter & naſturtium ac gentiana.

De morſu Ceraſtæ. CAP. XXXIII.

A CERASTE & aſpide ictis cita ſuccurrit extremæ partis amputatio. Quare

ſine

ſine mora totam partem ictam reſecare oportet, aut certè tũ partes affectas, tum & iis vicinas ſcalpello confeſtim circuncidere. Tandem verò reliquiæ cauteriis exiccandæ: ſiquidem horum animalium virus baſiliſci veneno ſimile eſt.

De morſu Aſpidis.

CAP. XXXIIII.

ICTIS ab Aſpide eadem quæ aduerſum ceraſtæ morſus (vti modò ſcriptum eſt) accommodanda remedia. Horum enim, vti & baſiliſci, virus, haud ſecus atq; taurinus ſanguis, ſpiritum ſanguinémque arteriis contentum celerrimè cogit atque coagulat.


De Baſiliſci morſu. CAP. XXXV.

MORSIS à Baſiliſco Eraſiſtratus auxiliari aſſerit caſtorij drachmam vnam in vino potam, itidémque papaueris ſuccum. Et ictuum quidem morſuúmque venenatorum remedia ita ſe habent.

FINIS.



I. A. SARACENVS LECTORI S.



ON ſum neſcius, Lector beneuole, varia extare tum manu ſcripta, tum etiam typis excuſa Dioſcoridis exemplaria, tam Græca quàm Latina, in quibus multiplices ſimplicium appellationes, etiam Barbaræ, ſingulorum penè capitum principiis annexæ reperiuntur: nec deeſſe, in quibus præterea remedia multa ſanè perquàm vana aut nimiùm ſuperſtitioſa, adeóque ipſo etiam Dioſcoride, tantæ apud Galenum commendationis Autore, penitùs indigna, ex variis Scriptoribus temerè ac citra delectum deprompta, in contextum ipſum perperàm irrepſerint.

pſerint. Sed & alia non pauca diuerſis in bibliothecis ſtudiosè aſſeruari mihi compertum eſt aliquantò & accuratiùs & religioſiùs exarata eiuſdem Autoris exemplaria, in quibus tum peregrina illa vocabula, tum quæcunque alia vel eſſe ſuperflua, vel ſtylo diſſimili ſcripta conſtabat, omiſſa fuêre: aut, ſi qua fortè leguntur, ea non quidem inſerta contextui, ſed margini tantummodò inſcripta reperiuntur. Quamobrem in iſta codicum varietate diu multúmque fuit animus in dubio, an illa omnia, quæ vt aliis nonnullis Interpretibus, ita & mihi meritò ſuſpectiora videbantur, quòd eſſent Autoris ſtylo planè diſſentanea, omnino prætermitterem. Tandem verò quoniam inter illas varias variarum linguarum appellationes, ac medicinas etiam, quanuis non ſatis certas, aut etiam à Dioſcoridis mente prorſus alienas, nonnulla interdum occurrere viſa ſunt, è quibus pollens iudicio Lector fructum qualemcun-

que carpere poterat: icciircò etiam iis te penitus defraudare nolui, ſed doctiſſimorum virorum, Hieronymi Roſcij, Io. Cornarij & Iac. Goupyli exemplo, talia, ſi non omnia, ſaltem pleraque, tanquam ſuppoſititia & falsò aſcripta Dioſcoridi, à contextu remouenda cenſui, ſatque habui hunc iis locum ad operis calcem aſſignaſſe. Hiſce paucis te, ſtudioſe Lector, admonitum volui, quò noſtri conſilij ratio etiam apud te conſtaret.

Vale.





INTER DIOSCORIDIS VERBA, HAEC IN QVIbusdam codicibus falsò adscripta reperiebantur, & iis ipsis locis quæ numeris designauimus, quorum prior paginam, posterior versum indicat.

Cap. De Iride.

Pag 7.lin.15.



B aliquibus Iris Illyrica, ab aliis thelpide, ab aliis vrania *quasi cœlestis*, à nonnullis catæron *quasi purgatrix*, ab aliis thaumastos *quasi admirabilis*, à Romanis marica *seu Naronica* radix, à quibusdam gladiolus, ab aliis opertritis, ab aliis consecratrix, ab Ægyptiis nar appellatur.

De Acoro.

*9.9.*aliqui chorõ aut aphrodisian, Romani Veneream, alij nauticam radicem, Galli piper apum vocant.

De Cypero.

10.24. Romani iunci radicem, alij iuncum.

De Asaro.

16.6. Magi ſanguinem Martis, Oſthanes theſan, Ægyptij cerceram, Romani perpenſam, alij baccharin, Hetruſci ſuccinum, alij nardum ruſticum, Galli bacchar.

Ibid. lin. 11. Radices ſubiacent.

odore cinnamomi. Solum amat aſperum miniméque humidum. Huius radix ruptis, conuulſis, tuſſi veteri, ſpirandi difficultati, ac vrinæ difficili auxiliatur. Mẽſes quoque pellit, & contra ſerpentium morſus vtiliter ex vino propinatur. Folia, vtpote quæ aſtringunt, capitis doloribus adhibita proſunt, itémque oculorum inflammationibus, ægilopis incipientibus & mammis à partu inflammatis, atque etiam eryſipelati. Cæterùm & ipſe odor ſomnificus eſt. Et certè quidem Crateuas herbarius de eo ita ſcriptum reliquit.

De Aſpalatho.

29.15. Alij ſphagnon, alij phaſganon, Syri diaxylon vocant.

De Croco.

32.26. Ab aliquibus Caſtor, ab aliis cynomorphos, à Magis ſanguis Herculis appellatur.

Ibidem.

Ibidem.

32.22 Thessalus quidem ipsum duntaxat vehementis esse odoris asserit, alij etiam lethalem, si quis illius drach. iij. ex aqua propinet. At reuerà vim habet, &c.

De Helenio.

34. 28. Symphyton aliqui vocant, alij Persicam, alij Medicam, alij orestion, alij nectarion, alij cleonian, alij rubum Idæum aut verbascum Idæum, Latini terminalium aut inulam campanam, Ægyptij, lenen.

62. 22. Est & oleum quod sponte naturæ è petra extillat, odoratum cum quadam grauitate. In Arabia & Italia nascitur, ad multa perquàm vtile. Vim habet siccandi & obstructiones aperiendi, ac neruos glutinandi. Facit ad scabiem & vlcera. Flatus itidem lenit & euincit.

De Iasmino oleo.

66. 21. Quòd verò Iasme dicitur, apud Persas ex albis violæ floribus conficitur: quorum vnciæ ij. in olei sesamini sextarium Italicum iniiciuntur, ac vicissim permutantur seu remolliuntur, velut in liliaceo dictum est. Huius vsus apud Persas inter conuiuia odoris gratia receptus est. Toti verò corpori post balnea adhibitum iis conuenit, qui calfactionē relaxationémque desiderant. Cæterùm odore grauiore

prǽditum eſt: quò fit vt à pleriſque minùs libenter admittatur.

De Iunipero.

88. 2. Iuniperum paruam Græci Arceuthida, alij Mneſitheum, alij acatalidem, Aphri zuorinſipet, Ægyptij Libium, Romani Iuniperum, Galli Iuniperellum vocant.

Ibidem ad cap. calcem.

folia habet acria: ideóque eorum ſuccus, & ea ipſa tum in vino pota tum etiam impoſita, viperarum morſibus opitulantur. At cortex vſtus, & ex aqua illitus, lepras remouet. Ligni verò ramentum deuoratum, lethale eſt.

De Iunipero magna. Cap.

Eſt & Iuniperus magna (quam aliqui cupreſſum ſylueſtrem appellant, alij Mneſitheum, alij acateram, Romani Iuniperum) vulgo cognita, cupreſſo aſſimilis, aſperis maritimiſque locis plerunque naſcens. Eaſdem porrò, quas ſupradicta, vires obtinet.

De Sabina.

88. 16. Aliis barython, aliis baron, Romanis herba ſabina appellatur.

De Lauro.

90. 27. Sunt qui danaben, qui ſtephanon, *quaſi coronam*, qui daphnon nominent. Alij mythracicen, alij mithrion, alij hypogloſſion.

De

De Rhamno.

97.2. Sunt qui Persephonion, qui leucacantham, Latini spinam albam, alij spinam cerualem, Aphri atadin.

De Alimo.

97.18. Aliqui damassonium vocant, alij erymon, alij brittanicam, alij rabdion, *quasi virgulam.* Sunt qui basilion, *quasi regiam*, Magi Mercurij basin, similiter Sapsis, alij Osiridis diadema, alii heliostephanon, *quasi Solis coronam*, alii denique sacrum caulem, Pythagoras anthenoron, Ægyptii asontiri, alii asphe, alii asealuri, alii asariphen, Latini albucum aut ampeluciam.

De Hypocistide.

100.22. Aphri phyllesade.

De Rosa.

103.12. Latinis Rosa.

De Vitice.

109.9. Aliqui agonon vocant, *quasi infœcundum*, alii lygon, *quasi vimen*, alii amictomiçnon, alii tridactylon, Magi semnon, *quasi venerandum*, alii Ibis sanguinem, Ægyptii sum, Romani salicem amerinam, alii piper agreste, alii ligusticum.

De Moro.

134.16. Esse quoque videntur mora quædam syluestria, humilis rubi fructibus similia, sed astringendi maiore vi prædita. Eorũ

ſuccus minùs teredinem ſentit, vtilis fouen-
dis inflammationib. [vlceratis] faucibus ci-
catrice obducendis, & ipſis vulneribus carne
implendis. Naſcuntur locis vmbroſis atque
frigidis.

De Purpura.

143.2. Purpuræ opercula cum oleo deco-
cta & illita fluentes capillos retinent. Pota
verò cum aceto, lienem tumentem repri-
munt. Suffita, ex vtero ſuffocatas excitant, &
ſecundas pellunt.

De Gallinaceis.

159.11. Horum ventriculus ſale conditus
& in vmbra ſiccatus, contra immodicas pur-
gationes à medicamẽtis vacuantibus factas
drach. iij. pondere ſumptus præſenti eſt au-
xilio: quandoquidem protinùs deiectionem
cohibet. Teri autem debet, & aqua ſubactus
exhiberi.

De Fœnogræco.

206.6. Alij carpon, alij buceras, alij ægo-
ceras, alij ceraitin, alij loton, Latini fœnum-
græcum, Ægyptij itaſin.

De Lino.

ibid.27. Aliquibus linocalamis, allis an-
non, aliis linon agrion, Romanis linomy-
rum, aliis linum agreſte, Aphris zeraphis.

De Lente.

210.25. Latini lentẽ aut lenticulam vocant.

De

De Eruo.

212.15. Latinis eruum, seu itidem orobum.

De Lupino satiuo.

213. 21. Latinis lupinus, Ægyptiis brechu.

De Lupino syluestri.

214.20. Quem Latini lupinum agrestem vocant.

De Rapo.

ibid.24. Alij gongylida, alij golgosium, Romani rapum vocant.

De Radicula, seu Raphano.

216.4 Quidam polyides eryngium, Latini radicem nostratem, Aphri thorpath appellant.

De Lampsana.

219.2. Latini napium, Ægyptij euthmæ nominant.

De Blito.

ibid 7. Ægyptij echlotoripam appellant, alij riplam, Latini blitum, Daci bles.

De Malua.

ibid. 11. Satiuam maluam Latini hortensem appellant, Pythagoras anthema, Zoroastres diadesma, Ægyptij chocorten, Magi capræ lienem, alij muris caudam.

De Atriplice.

220.8. Latini atriplicē, Ægyptij ochi vocāt.

De Brassica satiua.

ibid. 17. Aliis crambe cepæa, *quasi hortensis*,

Latinis braſſica.

De Braßica ſylueſtri.

222.2. Quam Latini braſſicam ruſticam vocant.

De Beta.

ibid.24. Nigram Latini betam ſyluaticam vocant.

De Portulaca ſylueſtri.

224.7. Portulaca ſylueſtris, quæ nonnullis aïzoon agrion, *quaſi ſemperuiuum ſylueſtre*, dicitur, aliis telephium, Latinis illecebra aut portulaca, Aphris mœmoem, Dacis lax, Ægyptiis mochmutim.

De Aſparago.

ibid.20. Nonnulli myon vocant.

De Plantagine.

225.22. Nonnulli arnion, *quaſi agninam*, alii probatiō, *quaſi ouillam*, alii cynogloſſon, *quaſi canis linguam*, alii heptapleuron, alii polyneuron, *quaſi multineruiam*, Magi caudā ichneumonis, Ægyptii aſchat, Romani plantaginem minorem, Galli tarbidolopion, Hiſpani theſaricam, Pœni atiircon.

Ib. ad capitis calcem.

227.17. Syri huius & calaminthæ iuſculum cum melle produnt mederi paralyticis, ſi ſecunda & quarta paraſceues, *id eſt, Veneris*, die exhibeatur. Hoc autem velut arcanum accipito: eſt enim veriſſimum & experientia

tia comprobatum.

De Sio.

ibid. 19. Sunt qui anagallidem aquaticam vocent, alii ſchœnon aromaticam, *quaſi iuncum odoratum*, alii daren ion, alii lauer.

De Siſymbrio.

228.3. Alii Veneris coronam, Latini auſteralem aut herbam Veneream.

De Coronopode.

229.17. Nonnullis ammonos, aliis aſtrion, Aphris atirſipte, Romanis caciatrix, aliis ſtilago, aliis ſanguinaria.

De Soncho.

ibid. 25. Sonchum aſperum aliqui cichorium vocant, Romani cicerbitam aſperam, Aphri gathuonem. Eius autem &c.

De Seride.

230.14. Alii picrida appellant, Ægyptii agon, Romani intibum agreſtem.

De Lactuca ſatiua.

233.18. Latini lactucam, Ægyptii embroſi vocant.

De Lactuca ſylueſtri.

234.2. Magi Titani ſanguinem, Zoroaſtres pherumbrum, Romani lactucam ſylueſtrem appellant.

De Gingidio.

ibid. 24. Romani biſacutũ, Ægyptii doryſaſtrũ, Syri adorion, Aphri tiricta nominãt.

De Scandyce.

235.5. Romanis herba ſcanaria,ſeu acicula nominatur.

De Caucalide.

ibid.11.Alij caucum,alij myitin,Democritus bryon, Romani pedem gallinaceum ſeu pulli pedem,Ægyptij ſeſelin vocant.

De Eruca.

ibid.20. Romani erucam vocant, Ægyptij ethrecicen,Aphri aſuric.

De Orobanche.

236.25. Alij cynomorion appellant, alij leonem,Cyprij thyrſinem : communiter autem lycos,*quaſi lupus*,vocitatur.

De Porro.

239.11. Latinis porrum.

De Cepa.

240.23. Aliqui polyidos, Magi calabotin, Latini cepam nominant.

De Allio.

242.2. Alij geboſcum,alij elaphoboſcum, *quaſi pabulum cerui*,Romani allium vocant.

De Sinapi.

244.2.Latinis ſinapi.

De Naſturtio.

245.11. Aliis cynocardamum , aliis iberis, aliis cardamina ſeu cardamantica , Ægyptiis ſemeth , Latinis naſturtium dicitur.

De

De Thlaſpi.

246.2. Alij thlaſpidium, alij ſinapi Perſicũ, alij ſinapi ſylueſtre, alij myiten, alij myopteron, alij daſmophon, alij bitrum, Ægyptij ſuitempſum, Romani ſcandulaceum, alij capſellam aut pedem gallinaceum vocant.

De Eryſimo.

247.5. Aliqui chamæplion, Magi Herculis alphita, *hoc eſt, polentam*, Ægyptij erethmu, Romani irionem vocant.

De Struthio.

251.16. Ab aliquibus cerdon, ab aliis catharſis, ab aliis ſtruthiocamelus, à quibuſdam chamærrhytos, *quaſi humiſparſa*, à Magis chaliryton, à Latinis lanaria radix ſeu herba, ab Ægyptiis œno, ab Aphris ſyris appellatur.

De Cyclamino.

252.4. Aliqui ciſſanthemon, alij ciſſophyllon vocant, alij chelonion, alij ichthyotheran, Zoroaſtres chelonam ſeu triumphalitẽ, Oſthanes aſpho, Magi miaſpho, Ægyptij theske, Romani rapũ terræ aut vmbilicum terræ, aut orbicularem.

Poſt caput de Cyclamino altera.

Dracõtium maius, alij aron, alij ariſarum, alii iarrum, alij hieracicum, alij biarum, alij aron agreſte, alij cyperida vocant. Romani colubrinam, alij ſauriariam, alii ſigin-

gialion. Naſcitur in vmbroſis circa ſepes. Caulem habet læuem, rectum, propè bicubitalem & baculi craſſitudine, draconis inſtar verſicolorem & purpureis maculis abundè reſperſum: folia lapathi figura, mutuò implicita. Fructum ſummo caule producit racemoſũ, colore primùm quidem cineraceo, ſed cùm ematuruit, ad croceum & puniceum vergente: radicem prægrandem, rotundam, candidam, tenui veſtitam cortice. Colligitur autem & ſuccus ex ea exprimitur dum fructus matureſcit, ſiccatúrque in vmbra. Radix quoque meſſibus effoditur, lotáque fruſtatim conciditur, & loro traiecta in vmbra ſiccatur. Vim autem habet excalfaciendi cum diluta vini potione. Succurrit ſeu toſta ſeu etiam elixa, ſi cum melle delingatur, orthopnoicis, ruptis, conuulſis, tuſſi atque deſtillationi: pota verò ex vino, impetus ad Venerem concitat: vlcera maligna & phagedænica cum melle trita & impoſita expurgat, maximéque cum vite alba. Ex ea quoque cum melle collyria efformantur ad fiſtulas extrahendóſque partus: facit & ad vitiligines cum melle illita: polypos verò & carcinomata abſumit. Vtilis & ipſius ſuccus oculorum medicamentis, cõtra nubeculas, albugines & caliginem. Porrò tum radicis tum & herbæ odor, recèns conceptos fœtus

tus

tus in vtero enecat & abigit, æquè ac tricena ſeminis grana, ſi in poſca bibantur. Sunt & qui ex eodem ſemine expreſſum ſuccum cum oleo dolore aurium infeſtatis infuderint: quin & folia, quippe quæ aſtringant, recentibus vulneribus impoſuerint, eadémque cocta in vino pernionibus adhibuerint. Sed & aiunt, qui folia manibus confricuerint, aut radicẽ ipſam effoſſam geſtent, neutiquam à vipera morderi.

De Aro.

256.7. Aliqui alimon, alii thymon vocãt. Sunt & qui dracontium, quod Cyprii etiam colocaſium dicunt.

De Aſphodelo.

257.3. Alii anthericum, Romani albucum vocant.

Ad calcem eiuſdem capitis:

Floret autem meſſis tempore. Sed Aſphodelus albus circa æquinoctium vernum demetendus, anteaquàm ſemen augeſcat. Radicem verò potam Veneris appetentiam inhibere aiunt. Idipſum Crateuas herbarius aſſeuerat, prætereáque ſanare podagræ dolores, ſi drachmæ pondere cum vino bibatur.

Ad calcem capitis de Bulbo eſculento:

Coctus cum polenta bulbus & adipe ſuillo addito impoſitus, tumores ac tubercula

ocyſſimè ad ſuppuratione͂ perducit ac ru͂pit.

De Cappari.

262.2. Aliqui cynoſbato͂, *quaſi canis ſentem*, alij capriam appellant, alij corui malum, alij ophioſcorodon, *quaſi ſerpentis allium*, alij ophioſtaphylen, *quaſi vuam ſerpentariam*, alij thallian, alij petræam, alij holophyton, alij ionitem, nonnulli oligochloron. Sunt qui aconiton, qui hippomanes, qui trichomanes. Magi potera ſeu peuteron, alij cor lupi, alij haloſcorodon, alij lilium, alij thlaſpin: Romani ſinapi Perſicum ſeu inturin, Afrrherbiæathum.

De Anemone.

264.24. Anemonem alij ſylueſtrem, alij nigram, alij puniceam cognominant. Sunt qui anemion vocent, alij meconium, alij tragocerota, alij geſparinem, alij barbyle͂. Oſthanes berylium, ſimiliter & ornios ceranion, Pythagoras atractylida, Magi cnicum agreſtem, Romani orci tunicam, Afri chuffis.

De Argemone.

266.13. Aliquibus œnone vocatur, aliis anthemis, aliis homonoia, *quaſi concordia*, aliis flos campeſtris, Romanis liburnia ſeu concordialis aut pergalia, Gallis corona.

Ad calcem eiuſdem capitis.

Eiuſdem, vti Crateuas herbarius autor eſt, herba contuſa cum axungia, ſtrumas diſcutit.

tit. Facit & ad vitiligines, cum nitro & sulphure ignis experte sicca tusa & cribrata. Sed iis qui ea vtuntur priùs in balneo siccam frictionem adhibitam oportet. Est & contra scabiem efficax.

De altera Argemone.

Alteram Argemonem quidam artemonem, alij arselam seu sarcocollam, Romani argemoniam vocãt. Et ea quidem foliis syluestri papaueri similis est. Vim habet hæc viridis ad læuorẽ trita & imposita, incisuras sanandi & oculorum inflammationes mitigandi: dysentericis quoque pota cum aqua auxiliatur. Sed & vulnera conglutinat, & inflammationibus est vtilis. Similiter imposita, conuulsionibus & vellicationibus medetur. Vtiliter denique contra virulentarum bestiarum morsus ex vino bibitur.

De Anagallide.

ibid.23. Anagallidem puniceam, alii aëritim vocant, alii augitin, alii sauritin, Magi oculi sanguinem, alii chelidonion, Romani maciam, Hetrusci masitipos, Galli sapana, Daci cerceraphron. Anagallidem verò cõmunẽ alii corchoron nominant, alii halicacabũ, alii zeliauron, Magi nycteritin, Ægyptii micii, Romani meciatõ, Aphri asirrhizi.

De Hedera.

267.16. Quibusdã cissaros, seu cittaros, aliis

chryſocarpos, *quaſi aureis acinis prædita*, aliis poëtica, aliis corymbias, aliis ciſſion, *quaſi hederula*, aliis Dionyſia, *quaſi Bacchica*, aliis erythranon, aliis Perſis, aliis cemos, aliis aſplenos, Romanis ſyluæ mater, ſeu hedera, Gallis ſubites.

De Chelidonia maiore.

269. 2. Quidam præoniam vocant, alij cratæam, *quaſi egregiis pollentem viribus*, alij aubion, alij glaucion, alij Pandionis radicem, alij philomedion, alij othonion, Romani fabiũ, Galli thona, Ægyptij mothoth, Daci cruſtane.

Ad calcem cap. de Chelidonia minore. 270.

Similiter & huius decoctum cum melle gargarizatum, ſtrenuè caput cunctáque pectoris vitia purgat.

De Myoſotide.

271. 14. Aliqui myoton, alij anthyllion, alij alſinen, alij myortochon, alij myrtoſplenon, Romani muris auriculam vocant, Aphri labatholabat.

De Iſatide ſatiua.

272. 3. Satiuam Iſatin quidã augion, alij egnen vocãt, Magi aruſium, Romani luteam.

De Iſatide ſylueſtri.

ibid. 13. Sylueſtrem Iſatin quidam egnen paruam vocant, Romani luteam minorem.

Ad

Ad capitis eiuſdem calcem.

Sciendum Iſatidis vtriuſque deſcriptiones erroneas eſſe. Siquidem ſatiua Iſatis luteum fert florem, & tenuiores ac multifidos ramulos, folliculos verò in cacumine linguarum figura, in quibus ſemina. In his porrò ſemen continetur nigrum, melanthio ſimile. Sed & caulis non vnicum cubitũ, imò verò duos altitudine ſuperat. Syluestris autem nigriora quàm hæc folia profert, & caulem minorem atque craſſiorem: florem purpureum, aut cæruleum, fructum cruciformem, aſperum, in quo ſemen foliolis exiguis quinis, iiſque æqualibus, quaſi diſcretum diſtinctúmve.

De Telephio.

ibid. 23. Quibuſdam ſemperuiuum ſylueſtre: ſunt & qui hanc ipſam portulacam ſylueſtrem appellant, Romani illecebram, Ægyptij anoth, Aphri atirtopurin.

De Rha.

275. 26. Aliqui rhiam, Romani Rha Ponticum vocant.

De Gentiana.

277. 3. Aliqui radicem centauream, alij aloën Gallicam, alii narcen, alii Chironium, Dardani aloëtin, Romani Gentianam ſeu cicendiam, alii cyminalem vocant.

De Aristolochia longa.

278.21. Quidam melocarpum, *quasi fructus mali figuram referente præditum*, alij texinon, Romani herbam aristolochiam vocant.

Ad calcem cap. de aristol. clematitide. 279

Vocatur & hæchadrariza, *quasi crassiuscula radix*, & melocarpũ & Ephesia, & tocites, & pyxionyx, Dardanis iontitis. Galli eandem vocãt theximõ, Ægyptij sophoeph, Siculi chamæmelum, Itali terræ malum, Daci absinthium rusticum. Nascitur locis mõtosis & calidis, iísque planis, aut etiam asperis & petrosis. Ad grauem febrim ita efficax est, vt si ipsius iniectæ carbonibus nidore febricitans suffiatur, febris desinat. Vulnera impositione sanat. Cum cypero, dracunculi semine ac melle, narium carcinomatis auxiliatur: rigoribus medetur cocta in oleo aut adipe suillo, illitáque. Eadem tum Crateuas herbarius tum Gallus de ipsa prodiderunt, insupérque eam podagricis opitulari.

De Glycyrrhiza.

280.2. Aliqui Ponticam cognominant, alij glyceraton, *quasi amabiliter dulcem*, vocant, alij symphyton, alij leonticam, alij glycyphyton, *quasi dulcem plantam*, alij Scythicam radicem: alij adipson, *quasi arcentem sitim*. Sũt & qui sylithram, qui libyestason, qui homœ-

mœnomœam, quam peenthaomœon: Latini dulcem radicem appellauêre.

De Centaurio maiore.

ibid.25. Aliqui limnesion seu limnitin, *quasi palustrem*, alij maroniam, alij pelethroniam, alij Chirôniam, vocant. Magi Herculis sanguinem, Romani ferum, seu vuam feram, seu fel terræ.

De Centaurio minore.

282. 4. Quidam limnesion, alij helleboriten, alij amaranton, Magi Herculis sanguinem, Romani febrifugam, alij herbam multiradicem, Daci tulbela.

De Chamæleone albo.

283. 22. Quibusdam chrysisceptron, *seu erysisceptrum*, aliis ixias, Romanis carduus varius, Ægyptiis epher seu ephthosechin.

De Chamæleone nigro.

284. 18. Pancarpō aliqui, alij vlophonon, alij ixiam, alij cynomazon, alij ocimoides, alij granum Gnidium, alij cynozolon, Latini carduum nigrum, seu vernilaginem, Ægyptij sobel vocant.

De Dipsaco.

286.2. Aliqui crocodiliū appellāt, alij chamęleonē, alii onocardiū, *quasi carduum asininū aut cor asininum*, alii Veneris lauacrū, Romani labrū Veneris seu carduū Veneris, Ægyptii feseneor, alii chir, alii meleta, Daci sciare.

De Spina alba.

286.27. Aliqui ſylueſtrẽ cinaram, alii donacitin, *quaſi arundinaceam*, alii eryſiſceptrō, Romani ſpinam albam ſeu regiam, alii carduum ramptarium.

De Spina Arabica.

287.15. Quibuſdam acanthis, Latinis ſpina dicitur.

De Scolymo.

ibid.21. Aliis ferula, quibuſdam pyxacantha, Romanis ſtrobilus, Ægyptiis chnus.

De Poterio.

288.4. Aliqui phrynion, alii acidotum, *quaſi cuſpidatum ſeu aculeatum.*

De Acantho.

ibid. 27. Aliqui melamphyllon, *quaſi nigro folio præditũ*, alii pęderota vocãt, alii acanthũ topiariam, alii marmorariã, alii cræpulam.

De Acantha ſylueſtri.

289.14. Acantha ſylueſtris, quam Latini ſpinam agreſtem vocant.

De Leucacantha.

290.10. Quidam polygonatum, alii phyllon, alii iſchiada vocant, Romani gniacardum, Hetruſci ſpinam albam.

De Eryngio.

291.9. Aliqui eryngen, alii erynerin, alii acaryon, alii gorgonium, alii hermium, alii origanum clunium, alii myracanthum, alii

alii moly, Ægyptii crobyſon, Magi ſiſerton, Romani capitulum cardui, alii carteræ, Daci ſicupnoex, Hiſpani centum capita, Aphri cherdam, alii orian chloen, *quaſi montanam herbam*, alii chida appellant.

De Aloë.

292.7. Aliquibus amphibion, aliis eryngium, aliis herminium, aliis tragoceros, Romanis aloë, Barbaris itidem aloë dicitur.

De Abſinthio.

294.15. Ægyptij ſomi, Latini abſinthium ruſticum vocant.

De Abſinthio marino.

296.7. Sunt qui Sandonicem, ſunt qui ſeriphum, Romani Santonicum vocant.

De Abrotono.

297.5. Aliqui abutonon, alii abſinthium, alii heraclion, alii cholopœon, *quaſi bilem gignens*, alii thelyphthorion, alii abſinthiomenon, alii procampylon, Magi palmæ neruos, alii cynanchiten, Romani abſinthium Ponticum, nonnulli thelythamnon, *quaſi fœmineum fruticem*, alii glycyn ancona, *quaſi dulcem cubitum*, vocant.

De Hyſſopo.

298.5. Latini hyſſopum, alii later, alii caſſialam, Ægyptij peſalem.

De Stœchade.

299.2. Aliqui ſyncliopa, alii Alcibiadē, alii

pancratiō, alij styphoniam, Ægyptij suphlo, Magi Pythonis oculum, Romani sciolebinam vocant.

De Pulegio.

301.18. Quibusdam blechon, aliis arsenicanthū, Romanis polium, Aphris apuleium, Gallis albolon, aliis galisopsis.

De Dictamno.

302.12. Aliqui embactron, alii beloacum, *quasi telorum remedium*, alii artemideion, alii Creticam, alii ephemeron, alii heldian, alii belotocon, alii dorcadium, alii helbunium, Romani vstilaginem rusticam appellant.

De Saluia.

303.26. Aliqui ciosmin, alii phagnon, alii bechion, Ægyptii anusi, Romani tussilaginem, corsaluium seu saluiam vocant.

De Mentha satiua.

304.17. Romani mentham, alii nepetam vocant, Ægyptii tis, alii pherthumerthrumonthu, alii perxo, alii macetho.

De Mentha syluestri.

305.11. quam Latini menthastrum nominant.

De Thymo.

306.18. Quidam thymum candidum seu capitatum cognominant, alii epithymida vocant, alii thyrsion, Latini thymum, Ægyptii stephane, Daci mozula.

De

De Serpyllo.

307. 19. Aliqui zygin ſylueſtrem, alij polion vocant, Ægyptij meruopyos, Romani ſerpyllum aut cicer erraticum.

De Sampſucho.

308.18. Nonnulli trifolium, alij amaracũ vocant, alij agathides, alij cnecion, alij acapnon, Pythagoras thrambes, Ægyptij ſopho, Armenij myurum, Magi ſacerdotis aſinum, alij Iſidis genituram, Latini maioranã.

De Maro.

310.3. Sunt qui origanida appellant.

De Acino.

ibid. 13. aliis ſylueſtre baſilicum, Latinis ocimaſtrum.

De Ruta.

311.15. Sunt qui rhytem montanam vocẽt, Latini rutam montanam, vti quam Græci peganon cepeuton, rutam hortenſem, Ægyptij epnubu, Syri harmala ſeu beſaſa, Aphri churma.

Poſt id caput.

De Ruta ſylueſtri.

Rutam agreſtem, alij hypericon, alij androſæmon, alij corion, alij chamæpityn vocant, Romani hederalem ſeu ſentinalem. Afri churma ſemmaked.

De Moly.

314.23. Aliqui ſylueſtre leucoion appellãt.

De Ligustico.

318.2. Alii panaceam, alii panaces vocant.

De Pastinaca.

319.7. Quidam ceraſcomen, Romani carotam aut paſtinacam ruſticam vocant, Ægyptii barbibyru, Aphri ſicham.

De Seseli Maßiliensi.

ibid. 28. Sunt qui ſphagnon, alii platycyminum, *quaſi latum cuminum*, vocant.

De Seſeli AEthiopico.

320.16. Ægyptii cyonophricen appellant.

De Tordylio.

321.5. nonnullis Tordylon.

De Aniso.

ibid.26. aliqui ſion, Latini aniſum dicunt.

De Anetho.

322.21. Anethum quod eſtur, aliis polgidos, aliis anicetum, Magis cynocephali genitura aut pili, aliis genitura Mercurii, Ægyptiis arachu, Romanis anethum, Aphris ſicciria, Dacis poltum.

De Cumino ſylueſtri.

323. 2. Latini cuminum agreſte aut cuminum ſyluaticum vocant.

De Ammi.

324.20. Latini ammium Alexandrinum.

De Coriandro.

325. 10. Ægyptii ochion, Aphri goïd vocant.

De

De Hieracio magno.

ibid. 28. aliis ſonchites, Romanis lactuca *erratica ſeu ſyluatica*, Aphris ſithileas.

De Hieracio paruo.

326. 11. ſunt qui etiam hoc ſonchiten vocent, alii intybum ſylueſtrem, Latini intubum agreſtem, Aphri ſithileſade.

De Heleoſelino.

327. 8. quidam pedinon, *quaſi campeſtre*, cognominant, alii hydroſelinon agrion, *quaſi aquaticum apium agreſte*, vocant, Romani apium ruſticum.

De Oreoſelino.

ibid. 12. petroſelinum ſylueſtre nonnulli, Romani apium montanum, Ægyptii anonim vocant.

De Hippoſelino.

328. 7. Romani verò olus atrum.

De Elaphoboſco.

330. 5. quidam elaphicon, alii nebrium, alii ophigenium ſeu ophioctonon, alii herpyxe, alii lyme, Romani cerui ocellum vocant, Ægyptii chemis, Aphri aſcaucau.

De Hippomarathro.

331. 17. aliqui marathin, alii marathron agrion, *quaſi fœniculum ſylueſtrem*, vocant, Ægyptii ſampſos, Magi thymarnolium, Latini fœniculum erraticum ſeu equinum, aliqui meum, Galli ſiſtrameor.

De Delphinio.

333. 2. aliis diachyſis, aliis diachytos, aliis paralyſis, aliis camaros, aliis hyacinthus, aliis delphinias, aliis nerion, aliis nereadium, aliis ſoſandros, aliis cronios, Romanis buccinus minor vocitatur.

De Pyrethro.

ibid. 24. Aliqui dorycnion, alij pyrinon, alij pyroton, alij pyrothron, alij arnopyriten, Magi pyriten, Romani ſaliuarem vocant.

De Spondylio.

336. 18. Aliqui arãgem nominant, alij phalangium, alij aſterium, alij niſyrin, alij ſphõdylin, alij chorodanon, alij œnanthen, Romani herbam rotularem, Ægyptij apſapher, Magi oſirin.

De Ferula.

337. 15. Latini ferulam vocant.

De Peucedano.

338. 2. Aliqui *ſiſona* agrion vocant, alij agriophyllon, *quaſi agreſtè fœniculum*, Magi bonum dæmonem, alij pinaſtellum, Romani ſatanariam, ſeu ſtatariam gerbam.

De Melanthio.

339. 23. Alij mecona agrion melana, Romani papauer nigrum *ſylueſtre* appellant.

De Hammoniaco.

347. 7. herba eſt, ex qua ammoniacum thymiama colligitur, aliqui agaſyllon, alij crio-

criotheon, alij heliuſtrum, Romani guttam nominant.

De Alyſſo.

351. 2. Aliqui aſpidion *quaſi clypeolum*, alij haplophyllon, *quaſi folijs teneris præditum*, alij accyſeton, alij adeſeton nuncupant.

De Aſclepiade.

ibid. 17. aliis ciſſion, *quaſi hederula*, aliis ciſſophyllon, *hoc eſt, hederæ foliis prædita.*

De Atractilide.

ibid. 27. Sunt qui amyron, qui cnicum ſylueſtrem, qui aſpidium vocent. Magi aphedron, *hoc eſt, menſtruam purgationem*, Ægyptij cheno, Romani præſepium, aliqui fuſum agreſtem, alij colum ruſticam.

De Polycnemo.

352. 12. Quidam clinopodium, *quaſi lecti pedem*, alij polygonatum, alij Iouis colum, alij echeonymon, Romani puteologonthriam vocant.

Ad calcem eiuſdem capitis.

Edocuit experientia, ipſius ramulos in vino albo contritos lymphatico furore correptis magno eſſe præſidio.

De Clinopodio.

352. 22. Aliqui cleonicum, alij ocimaſtrum, alij zopyron vocant.

De Leontopetalo.

353. 8. Aliqui leontopodion, alij leuceorō,

alii leontium, alii dorin, ſeu doricterin, alii pardalẽ, alii lychnidem ſylueſtrem, alii thorybcthron, alii rapeium, alii corniculatum papauer, alii anemonen, Romani papauerculum aut ſemen *ſeu pedem* leoninum appellãt.

De Teucrio.

ibid. 21. Aliquibus teucris.

De Triſſagine.

354. 4. Latinis triſſago minor dicitur.

De Lychnide coronaria.

355. 6. Quidam athanaton, *quaſi immortalẽ*, vocant, alii aquilonium, alii ballarion, alii geranopodium, *quaſi gruis pedem*, alii corymbion, alii taurion, alii ſceptron, alii maloïon, Ægyptii ſemeon, Magi ſanguinem menſtrua patientis mulieris, Romani genicularem ſeu vallariam.

De Lychnide ſylueſtri.

ibid. 10. Aliis tragonaton, aliis atocion, aliis hieracopodion, *quaſi pes accipitrinus*, aliis lampas, *hoc eſt, lucerna*, vocatur, Ægyptiis ſemura, Magis menſtrua patientis mulieris genitale, Romanis intybus agreſtis, aliis lapathũ ſeu caphaguina, aliis ſeris appellatur.

De Lilio.

ibid. 17. Alii crinanthemon vocant, alii callirium, *quaſi pulchrum lilium*, Magi Martis ſanguinem, Oſthanes auram crocodili, Ægyptii ſymphæphon, quidam tialon, Latini lilium,

lium, ſeu roſam Iunonis, Syri ſuſan, Aphri abiblabon.

De Ballote.

356.17. Aliqui nophthan appellant, alii notianoſcemin, alii cynoſpraſion, *quaſi caninum marrubium*, alii notheran, alii nochelin, alii noſtelin, alii nophryn, alii gnothurin, alii gnoteran, Romani apnium aut medatam, alii vlcerariam, alii marrubium: ſunt qui cantherinum adiiciant, Ægyptii aſphos ſeu eſce, Prophetæ ſanguinem Ixionis.

De Apiaſtro.

357.2. Aliqui melittæon, alii meliphyllō, alii erythran, alii temele, Romani apiaſtrum ſeu citraginem, *quaſi citreum malum redolentem*, Galli meriſimorion vocant.

De Marrubio.

ibid. 23. Aliqui eupatorium, alii phyllophares, alii tripedilon, alii camelopodium, *quaſi cameli pedem*, alii philochares, Ægyptii aſterion aſteropémve, Prophetæ tauri ſanguinem, alii aphedron, genituram Hori, Romani marrubium, ſeu labeoniam, Aphri atierberzia nominant.

De Phyllitide.

359.4. Aliqui phyllin, alii acaulon, *quaſi caule carentem*, alii lapathum agrion, *hoc eſt, rumicem ſylueſtrem*, vocitant.

De Trifolio.

360.2. Latinis trifolium ſeu trifolium acutum ſeu odoratum.

De Polio.

361.7. Montanum aliqui teuthrion, alij pheuxaſpidion, *quaſi aſpides fugans*, alij achemenin, alij libanitin, alij meloſmon, alij belion, alij leontocaron, *quaſi leoninum caput*, appellant.

De Scordio.

361.25. Quidam ſcorbium nominant, alij pleuritin, alij dyſoſmon, *quaſi grauiter olens*, alij calaminthaam ſylueſtrem, alij chamædryn, alij Mithridation, Prophetæ ſanguinem Podotis, Ægyptij apho, Romani trixaginem paluſtrem.

De Tußilagine.

362.22. Nonnulli richion, alij petrinam vocant, alij peganon, alij pithion, alij pagonaton, alij chamæleucen, *quaſi humilem populum albam*, alii procheton, alii acrophyllon, alii chamægiron, *quaſi humilem populum nigrã*, Ægyptii ſaartha, Romani tuſſilaginem, ſeu farfaram aut puſtulaginem, *ſeu populaginem*, Beſſi aſa.

De Artemiſia.

363.14. Artemiſiam ſeu polyclonon, *à multiplicibus ramulis ſic dictam*, ſeu monoclonon, *à ſingulari ramulo*, quidam toxotin, alii Epheſian,

ſian, alii anactorion, alii ſozuſam, *quaſi ſalutarem*, alii læuem, alii leucopin, Prophetæ hominis ſanguinem, alii chryſanthemon vocant, Romani valentinam, alii ſerpyllum maius, vel herbam regiam, alii rapium, alii traganthen, alii artemiſiam, Galli ponem, Daci zuoſten.

De Ambroſia.

364.23. Romani caprum ſyluaticum, ſeu apium ruſticum, Ægyptii merſeo.

De Geranio.

365.19. Quibuſdam pelonitis, aliis trica, aliis geranogeron, Romanis echinaſtrum, Aphris ieſce dicitur.

De Geranio altero.

ibid. 23. Aliqui oxyphyllon, alii mertryga, alii myrrhin, alii cardamomum, alii origanum vocant, Prophetæ hierobryncas, Latini pulmoniam, cicutariam aut herbam gruinam, Aphri ieſce.

De Gnaphalio.

366.2. Quidam hires, alii ampetocon, alii anaxeton, alii gnaphalin, *quaſi tomentitiam herbam*, vocant, Ægyptii ſemeon, Galli gelaſinem, Romani centunculum ſeu centuncularem herbam, alii albinum.

De OEnanthe.

ibid. 28. Alii ceraſcomion.

De Conyza magna.

367.9. Conyza magna, quibusdam cynozematitis, aliis danais, aliis tanachium, aliis phycos, aliis ischys, aliis dinosmos, *quasi grauevlens*, Magis brephoctonos, *quasi infantes enecans*, aliis anubias, aliis hedemias, Ægyptiis ceti, Romanis intybum aut militaris herba, quibusdam delliarium, aliis febrifuga nuncupatur. Sunt & qui phragmosam, qui musteri, qui pissan nominent.

Eodem capite:

Aliqui conyzam paruam, alii panion, alii libanotin, Prophetæ Cronon, *id est, Saturnum*, appellant. *De Hemerocalle.*

368. 9. Aliqui hemerocatallacton, alii erinon agrion, *quasi lilium syluestre*, alii crināthemon, *à flore lilij*, alii porphyranthes, *à flore purpureo*, alii bulbum vomitorium *seu sanguineū*, alii anticantharon, Ægyptii iocri, Romani bulbum aut lilium syluestre, seu marinum, Aphri abiblabon vocant.

De Leucoio.

ibid. 23. Alii basilion, *quasi regiam*, Romani opulam albam, seu violam albam, aliqui augustiam, nonnulli violam matronalem, aut passarinam, alii polyphoram, *quasi flores multos proferentem*, vocant.

De Satyrio erythronio.

372. 3. Alii melium aquaticum, alii entaticon, *quasi arrectorium*, nonnulli priapiscū seu

satyri-

ſatyriſcum, alii Satyri teſticulum, Romani teſticulum leporinum nominant.

De Hormino.

ibid. 14. Latinis geminalis, Dacis hormia dicitur.

De Nymphæa altera.

374.26. Nymphæam alterã ſunt qui nymphona vocent.

De Androſace.

375.6. Sunt qui pierada, *à ſapore amaro*, appellent, alii leucem, *à folij colore candido*, alii thalaſſiam, *quaſi marinam.*

De Aſpleno.

375.15. Alii lonchitin, alii aturium, alii phrygiam, alii phrygitin, alii philtrodoten, Prophetæ muſtelæ, *aut felis*, ſanguinem.

De Anthyllide.

376.16. Quidam anthyllon, alii anthemida vocant, alii eranthemin, alii leucanthemon, alii ſoranthis,, alii florem campeſtrem, Romani ſolaſtrum *ſeu Solis aſtrum.*

De Anthemide.

377.4. Romani malium, Aphri aſtertiphe appellant.

De Parthenio.

378.16. Alii anthemida: ſunt qui chamæmelum, alii chyſocalin, alii malobathron, alii florem campeſtrem, Romani Solis oculum, aut millefolium, Hetruſci cautan, Aphri thamacth.

De Buphthalmo.

379.2. Alii balſaminã, Prophetæ hæmorrhã,

alii Mercurii genituram, aut ſemen incorruptibile, alii Mneſitheum, Romani cappacoraniam, Aphri narat.

De Pæonia.

ibid. 13. Pæoniam marem, alii orobelium nominant, alii orobacem, alii hæmagogum, alii pæſæden, alii menogenion, *quaſi lunæ ſobolem*, alii menion. *i. lunarem*, alii pæonium, alii panacos ceras.

Ibidem. 14.

Alii aglaophotida, quidam theodonium, *quaſi diuinum donum*, alii ſelenion, *hoc eſt, lunarem*, Prophetæ ſelenogonon, *quaſi Lunæ genituram*, alii phthiſin, Romani caſtam.

De Lithoſpermo.

380. 21. Alii leontion, alii leoninum lapidem, alii gorgonium, alii tantalitin, alii dioſporon, *quaſi à Ioue ſatum*, Romani columbã, Daci gonoletam.

De Rubia.

381. 18. Aliis dracanos, aliis cinnabaris, Romanis rubia ſatiua, Hetruſcis lappa minor, Ægyptiis ſophobi.

De Lonchitide.

382. 19. Aliis ceſtron ſeu Meduſa dicitur, Romanis Venerea ſeu lanceola.

De Lonchitide altera.

383. 2. Latini longinam aut calabrinam.

De Al-

De Althæa.

ibid.11. Alii althiocon.

De Cannabi satiua.

385.2. Aliqui cannabium, alii schœnostrophon, *quasi intorquendis funibus aptum*, alii asterion, Latini cannabin appellarunt.

De Cannabi syluestri.

ibid.10. Aliqui hydrastinam, Romani terminalem seu cannabin vocant.

De Anagyri.

ibid.20. Alii agnacopum.

De Onobrychide.

387.6. Aliqui onobrochilon, alii eschasmenen, alii hypericum, alii corion, alii chamæpityn, Romani opacam, alii brichilatam, alii loptam, alii iocinalem, Daci aniassexe appellant.

De Chamæpity.

389.20. Alii pityorizon, alii oryzelon, alii bryoniam syluestrem, Prophetæ Mineruæ sanguinem, Romani cupressum nigram, Daci dochela.

In alio codice & hoc de Vettonica caput inseritur: cuius magna pars ex Ant. Musa desumpta videtur.

Vettonica nascitur in pratis & montosis locis, itémque mundis & opacis circa frutices. Animas hominum & corpora custodit.

Contra nocturnas ambulationes ac loca à maleficiis & periculis non ſatis tuta, necnõ & ſomnos difficiles efficax eſt: denique ad omne genus medelæ celebratur. Totam radicem rubram habet & odoratam, folia porracea, medium foliorum puniceum, cauliculos in rectum calamum deſinentes, triangulos, & in ipſis flores purpuraſcentes. Vis ipſius hæc eſt: Contuſa recens & ſupra fracti capitis ictum impoſita, dolorem eximit, & vulnera glutinat: quin & oſſa fracta vi ſua extrahit. Illud verò eò efficaciùs præſtat, ſi quotidie permutetur, donec vulnus ſaneſcat. Sanat & dolorem capitis ſeu decocta cum aqua & capiti affuſa, ſeu etiam cum bitumine oblita temporibus. Ad idem valet & ipſius radicis ſuffitus.

De Polygono mare.

394. 13. Aliqui polygonaton appellant, *à frequentibus geniculis, ſeu internodiis*, alii cynochalen, alii herculeam, alii aſphaltion, alii chiliophyllon, *quaſi millefolium*, alii clema, *hoc eſt, viticulam*, alii polycarpon, *à copia ſeminis*, alii carcinethron, alii teuthalida, alii myrtopetalon, *à folio myrti*, alii clinopodion, alii zaritheam, alii pedalion, Ægyptii thephin ſeu ſtemphin, Prophetæ genituram herois, ſeu vnguem muris, Latini ſanguinalem, aut ſcorpinacã ſeu proſerpinacam, Aphri chulũ.

De

De Polygono fœmina.

395.7. Latinis ſanguinalis ſeu ſanguinaria dicitur.

De Clematide.

396.2. Aliqui philetærium vocant.

De Clematide altera. Cap.

Clematidem alteram ſunt qui epigetida vocent: Ægyptii phylacuum, Romani ambuxum. Viticulam ex ſeſe mittit rubentem, vitilium modo lentam, folium guſtanti perquàm acre, vt etiam exulceret: arboribus in modum ſmilacis ſeſe aduoluit. Huius ſemen tritum ex aqua aut hydromelite potum, per inferna pituitam & bilem educit. Pellunt verò lepras folia emplaſtri modo impoſita. Cęterùm cum lepidio condiuntur, ſeruantúrque ad cibos.

De Symphyto altero.

397.25. Latini ſolidaginem ſeu conſolidam.

De Stœbe.

399.2. Quidam ſtœbium, Latini ſtupam appellant.

De Clymeno.

ibid.9. Alii calycanthemon, alii periclymenon, alii heliophyes, *quaſi Solis plantam*, nonnulli hepatitin, alii ſmilacem, alii anatolicon, alii dyticon, alii merginem, Latini volucrum, ſeu volucrum maius, Ægyptii o-

xiui: clymenon, alii clymenium, quod & ægonon nuncupant.

De Periclymeno.

ibid.25. Aliqui æginen, alii clymenon, alii carpathum, alii ſplenium, alii hepatitin, alii helxinen maiorem, alii clematitin, alii myrſinen, alii calycanthemon, Prophetæ pileum Veneris, Ægyptii turcum, Romani volucrum maius, Aphri lanath appellant.

De Tribulo.

400.18. Aliquibus bucephalus, aliis tauroceros, Latinis tribulus aquaticus dicitur.

De Sarxiphago. Cap.

Sarxiphagon, aliqui ſaxifragum, alij empetron, Romani ſaxifragiam vocant. Frutex eſt ſurculoſus in petroſis & aſperis locis naſcens, epithymo ſimilis. Coctus in vino, mox potus, febricitantibus opitulatur, itémque vrinæ ſtillicidio ac ſingultui prodeſt: calculum quoque in veſica frangit, vrináſque ciet.

De Limonio.

401.21. Aliquibus potamogeton appellatur, aliis lonchitis, aliis rapioniũ, Myſis mendruta, Syris Meüda, aliis lycoſemphyllon, aliis helleboroſemata, aliis ſcyllion: Magis cor lupi, Romanis veratrum nigrum, ſeu tintinabulum

tinabulum terræ, Gallis iumbarum, Dacis dacina.

De Lagopode.

402. 2. Aliqui leporis cuminum vocant.

De Medio.

ibid. 7. Aliqui Medicam appellant, alij trifolium, alij clemantion, alij osmon, quidam trigonon, alij cybellium, alij polyphyllon, *quasi multifolium*, Romani trifolium odoratum, Ægyptij epaphon.

De Epimedio.

ibid. 17. Ab aliis erineos, *hoc est, caprificus*, ab aliis thrias, à nonnullis polyrrhizon, à Romanis vindicta nominatur.

De Xiphio.

403. 2. Aliqui anactorion, alij arion vocant, Romani gladiolum segetalem.

De Spárganio.

Aliqui xiphidion, alii bolon appellant.

De Xyride.

ibid. 24. Ab aliquibus iris agria, ab aliis cactos, à Romanis gladiolus seu iris agrestis, à Dacis aprus dicitur.

De Anchusa.

404. 21. Aliqui catanchusan vocant, alii Libycam, alii archibellion, alii alcibiadion, alii onophyllon, alii porphyrida, alii mydusam, alii salycem, alii noncan, Aphri buinesath.

De Echio.

406.17. Latinis Alcibiacum dicitur.

De Ocimoide.

407.10. Sunt & qui hanc echion appellent, alii ſcorpiuron, alii ſparganon, alii althæam, alii amaranthida, alii probateam, alii elaphion, alii antimimon, alii porphyridem, alii augion, alii nemeſion, alii hyænopſolon, *quaſi hyænæ nudatam glandem*, alii thyrſiten, alii thermutin, alii miſopathos, Romani ocimaſtrum.

De Erino.

ibid. 19. Aliqui ocimoides, alii hydreron, *quaſi aquaticam herbam*, Romani ocimum appellant.

De Gramine.

408.2. Aliqui ægicon, alii amaxitin, Ægyptii anuphi vocant, Romani gramen ſeu aſſefolium, ſeu ſanguinalem, aut vniolam, Hiſpani aparian, Daci cotiata, Aphri iebal.

De Sideritide.

409.7. Prophetæ genituram aut ſanguinem Titani, alii ſcorpionis caudam, Pythagoras parmiron, Andreas xanthophanea, Oſthanes buphthalmum, *hoc eſt*, *bouis oculum*, Ægyptii ſendionor, Romani vertumnum ſeu ſolaſtrum, Aphri vdedonin.

De

De Achillea.

410.13. Aliqui myriomorphon nominant, alij chiliophyllon, alij stratioticon, alij Heracleon, Romani supercilium Veneris seu æcorum syluaticum, alij militarem, alij millefolium, Aphri asterchillos.

De Rubo.

411.2. Alij cynosbaton, *quasi canis rubum*, nominant, alij selinorition, alij asyntrophon, Prophetæ Titani seu ibis sanguinem, Romani sentem seu rubum, alij mora vaticana, Daci mantiam, Ægyptij hæmoos seu ametros.

De Helxine.

412.4. Sunt qui helitin, *quasi palustrem*, vocant, qui canochersæam, qui amelxinen, qui eusinen, qui amorginen, qui sucotachon, qui psychuacon, qui melampelon, qui cissampelon, qui cissanthemon, qui anatetamenon, Romani volutum laparon, Ægyptij hapap.

De EVpatorio.

412.20. Aliis hepatorium seu hepatitis, Romanis volucrum maius.

De Quinquefolio.

413.10. Aliqui pentapetes, alij pentatomon, *à quinis foliorum diuisuris*, alij pentadactylon, alii pseudoselinon, alij callipetalon, alij xylolotom, alij xylopetalon, alii asphal-

tion, alii pentacœnon, alii thymiatitin, Ægyptii orphitebeocen ſeu enothron, Prophetæ ibis vnguem aut alam, alii hermodactylon, Romani quinquefolium, Galli pempedulam, Daci propedulam appellant.

De Phœnice.

414.17. Alii phœnicopteron, alii rhun ſtachyos, *quaſi fluxum ſpicæ*, alii oſthalen, Romani lolium ſeu hordeum murinum, Ægyptij athnon nominant.

De Rhodia radice.

415.11. Alii rhodida nuncupant.

De Equiſeto.

ibid. 17. Aliqui trimachion, alii anabaſin ſeu anabaſion, alii charadranon, alii phædran, alii iteandendron, *quaſi ſalignam arborem*, alii gis, alii ſchœnioſtrophon, alii ephydron, *quaſi aquaticum*, vocant, Ægyptii pherphra, Prophetæ, Saturni cibum, Romani equinalem, ſeu ſalicem equinalem.

De equiſeto altero.

416.8. Aliqui equitium, alii chedran, alii gynon, Romani ſalicem equinalem appellant.

De Tragio altero.

417.13. Aliqui tragon, alii tragocerota vocant, alii ſcorpion, alii garganon, Latini cornulacam, ſeu bituenſam, Daci ſaliam, Ægyptii ſopher, Aphri achioſim.

De

De Iunco.

418. 8. Aliquibus ſchœnos leia.*i.iuncus læuis*, aliis oxypternos, aliis Solis ſupercilium, Romanis iuncus marinus ſeu manualis, Aphris chudua.

De Paronychia.

419.7. Aliquibus adocetos, aliis neuras, aliis phrynion, Romanis vnguinalis dicitur.

De Chryſocome.

ibid. 12. Quibuſdam chryſitis dicitur, aliis chryſanthemon, aliis amarantus, aliis Dios pogon, Latinis Iouis barba, Aphris dubath, aliis burchumath.

Ibidem.

Sunt qui chryſoſpermon vocent, *quaſi aureo ſemine præditam*, alii daſpin, alii origanon, alii arcophthalmon, *quaſi vrſi oculum*, Romani aureliam.

De Chryſanthemo.

420.19. Aliqui chalcitin vocant, alii chalcanthum, alii chalcanthemon, Romani caltham, Hetruſci garuleum, Aphri churzetan.

De Periſtereone.

421. 17. Aliqui periſterion, *hoc eſt, columbinam*, alii trygonium, alii bunion, alii hieran botanen, *hoc eſt, herbam ſacram*, alii philtrodoten nominant: Ægyptii pempſempte, Prophetæ Iunonis lacrymam, alii muſtelæ ſanguinem, alii Mercurii ſanguinem, Romani

criſtam gallinaceam, alii ferream, alii trixalin, alii exuperam, alii denique herbam ſanguinalem.

De Hierabotane.

422. 3. Alii erigenion, alii chamælygon, *quaſi humile vimen*, alii ſideritin, alii curitin, alii Pherſephonion. *i. Proſerpinacam*, alii Iouis colum, alii dichromon, alii colletin, alii cypariſſon, alii Demetriada, Ægyptii pemphthemphtham, Pythagoras eryſiſceptron, Romani cincinnalem vocant.

De Aſtragalo.

423. 2. Aliqui chamæſycen, alii onycha, alii gatalen vocant, Romani pinum triuium, ſimiliter & ficum terræ, alii glandulam, alii talum, alii nonariam.

De Hyacintho.

ibid. 16. Nonnulli heloniam, alii porphyranthes, Romani vaccinium, alii vlcinum vocant.

De Papauere erratico.

424. 3. Aliqui oxytonon, Romani papaueralem, Ægyptii nanti nominant.

De Papauere ſatiuo.

ibid. 27. Sunt qui chamæſycen vocent, *quaſi ficum humilem*, alii mecona rhœada, *hoc eſt, papauer erraticum*, alii oxytonon, Romani papauer, Ægyptii nanti.

De Cornuto papauere.

428.9. Latini ſabulum marinum, Aphri ſiſimaca vocant.

Ibidem ad calcem.

Ab huius corniculati papaueris eſu potúve eadem planè inferuntur ſymptomata, quæ ab hauſto opio. Sed & iiſdem ſuccurritur auxiliis. Semen æſtate dum ſiccum eſt colligitur. Radicis verò decoctum ex vino bibitum, ſanat dyſenteriam.

De Apollinari.

429.18. Quidam dioſcyamũ, *quaſi Iouis fabam*, alij pythonion, alij adamantem, alij adamenon, alij hypnoticõ, *hoc eſt, ſomnificũ*, alij emmanes. *i. furialem*, alij auginõ, alij dithyrãbiõ vocãt. Pythagoras & Oſthanes xyleoma, Zoroaſtres typhonion, Latini inſanam aut dentariam, alij Apollinarem, Prophetæ rhaponticum, Ægyptii ſaphtho, Hetruſci fabuloniam, Galli belinuntiam, Daci dieliam.

De Pſyllio.

431.23. Aliqui cataphyſin, alij cynocephalion, *quaſi caninum caput*, alij cryſtallium, alij cynomyiam, *quaſi caninam muſcam*, alij pſyllerin, alij Sicelioticon, *quaſi Siculam herbam*, Siculi conidiin, Romani ſilbacium ſeu herbam pulicariam, Aphri vargugum appellant.

De Solano hortenſi.

432.19. Alii ſatiuũ ſeu domeſticũ cogno

minant, Latini ſtrumam, alij cacubalum, Ægyptij allelo, Galli ſcubulum, Aphri aſtriſmunim.

De Solano halicacabo.

433. 19. Nonnulli dircæon appellant, alij ſtrychnon manicon, *hoc eſt, ſolanum furiale*, alij dorycnion, alij callaïda, Romani apollinarem minorem, ſeu herbam vaticam, alii opſaginem, Daci cocalida, Aphri cacabum.

De Solano manico.

434. 29. Alij anydron, alij pentadryon, alij enoron, alij orthogyion vocant.

De Mandragora.

436. 11. Alij circæon, alii xeranthen, aliqui antimnion ſeu antimion, alii bombochylon, nonnulli minon, Ægyptii apemum, Pythagoras anthropomorphon, alii aloëten, alii thridacian, alii cāmoron, Zoroaſtres diamonon ſeu archinen, Prophetæ hemionous aut gonogeonas, Romani mala canina ſeu mala terreſtria.

De Aconito altero.

440. 2. Alii cyamon leucon, *hoc eſt, fabam candidam*, Romani colomeſtrum.

De Cicuta.

ibid. 16. Aliquibus ægynos, aliis ethuſa, aliis apolegouſa, aliis dolia, aliis amauroſis, aliis paralyſis, aliis aphron, quibuſdam creidion, aliis cœte, aliis catechomenion, aliis abioton.

abioton, aliis apſeudes, aliis ageomoron, aliis timoron, aliis polyanodynos, aliis dardanis, aliis catapſyxis, Oſthani babathy, Ægyptiis apemphin, Latinis cicuta dicitur.

De Apocyno.

441. 28. Alii cynoctonon aut cynanchen, *à præfocandis canibus*, alii phaleon, alii oligoron, alii hippomanes, alii oniſtin, alii ophioſcorodon, alii cynarican, alii elaphoſcorodon, Prophetæ paralyſin, Latini braſſicam ruſticam ſeu caninam appellant.

De Nerio.

442. 16. Aliis ſpongos, aliis hæmoſtaris, Romanis rhododendron, Lucanis icmane, Ægyptiis ſcinphe, Aphris, *&c.*

De Colchico.

444. 2. Latinis bulbus agreſtis.

De Alſine.

445. 27. Alii anthyllion, alii myortochon, alii myortoſplenon, Latini muris auriculam, Aphri labotholabat.

De Lenticula paluſtri.

446. 10. Aliis phacos agrios, *hoc eſt, lens paluſtris*, aliis epipteron, Latinis viperalis, aliis iceoſmigdonos.

De Semperuiuo magno.

ibid. 21. Aliqui aithales, *quaſi ſemper virens*, alii ambroſion, *quaſi immortale*, alii chryſoſpermon, *ab aureo ſemine*, alii zoophthalmon

ſeu bouophthalmum, *quaſi animantis aut bouis oculum*, alii ſtergethron, *quaſi amorificum*, alii æonion, *quaſi ſempiternum*, alii aïchryſon, ſeu holochryſon aut chryſanthemon, *ab aureo flore*, alii protogonon, *quaſi primogenitum*, alii borion, alii notion, Prophetæ paronychian, aut chryſitin, Romani ceracuſiam, ſeu Iouis caulem, alii leapetes, alii ſedum maius, Ægyptii pamphanes nominant.

De Semperuiuo paruo.

447.18. Alii petrophyes, *quaſi in petris naſci ſolitum*, appellant, alii brotion, alii theobrotion, *quaſi à diis datum hominibus*, alii crobyſſon, alii chimerinen, *quaſi hyemalem*, alii ceraunia m, Latini vitalem ſeu ſemperuiuam, Ægyptii eriicelta.

Ad calcem eiuſdem capitis.

Semperuiuum, quod tenui conſtat folio, aliqui aïzoon paruum, alii petrophyes, *quaſi in petris naſcens*, alii aïzoon ſylueſtre, Latini ſemperuiuum minus appellant.

De Vmbilico Veneris.

448.7. Aliis hortus Veneris, aliis terræ vmbilicus, aliis ſtichis, aliis ſtergethron, Latinis vmbilicus Veneris dicitur.

De Vmbilico Veneris altero.

ibid. 21. Quod quidam cymbalium ſeu cymbalariam appellant.

De

De Vrtica.

449.4. Alii adicen, Latini vrticam, Ægyptii ſelepſion, Daci dyn appellant. Alteram etiam acalyphen aliqui cniphen, Latini vrticam mollem vocant.

De Galiopſi.

450.4. Alii galephos, *quaſi muſtelæ oculum*, Ægyptii Æthopi, Latini vrticam labeonem.

De Senecione.

451. 2. Aliis erechthites, Latinis herbulum aut ſenecio.

De Muſco marino.

452. 2. Aliqui ballarin, alii iranen, Romani gnomeuſilum vocant.

De Potamogetone.

ibid. 22. Aliis ſtachyites, *quaſi ſpicata*, Latinis fõtalis ſeu fontinalis, Ægyptiis ethẽchis.

Ad calcem cap. de Potamogetone.

Eſt & alter Potamogeton, cui folia ſimilia, at longiora tenuioráque: cauliculi itidem ſimiles ac tenues, ſemine rubente referti. Hoc eſitatum aſtringit. Tritum verò cum vino potúmque acetabuli menſura, dyſentericos ac cœliacos iuuat: ſiſtit & rubentem fluxum muliebrem. Naſcitur in aquoſis & paluſtribus.

De Stratiote.

453. 2. Ægyptii tibus, Prophetæ felis ſanguinem.

De Verbasco.

ibid.26. Alj phlonon, Latini verbascum, seu fœminalem vocant.

De Personata.

456.8. Alij aparinem, Latini personatiam seu lappam appellant.

De Epipactide.

ibid.27. Alij borion vocant.

De Fumaria.

457.4. Aliqui corydalion aut corion à foliorum coriandri diuisura vocant, alij syluestre corydaliũ, alij capnon in segetibus hordeaceis nascentem, alij capniten seu capniõ, alij marmariten, alij capnogorgion, alij chelidonion paruum, alij peristerion, alij cantharida, alij chalcochrun, Romani apium seu fumariam, Ægyptij cnyx, alij tucin.

De Loto satiua.

ibid.15. Alij tripodion, alij trifolium.

De Loto syluestri.

ibid.20. Alij triphyllon, Latini trifolium minus vocant.

De Cytiso.

458.4. Alij telinen, alij grandem lotum, alij triphyllon, Romani trifolium maius appellant.

De Millefolio.

459.3. Alij melophyllon, alii stratioticen, *quasi militarem*, alii Achilleam, Romani mille-fo-

lefolium aut ſupercilium Veneris appellãt, Galli bellicocandium.

De Myrrhide.

ibid. 15. Alii cunilam vocant.

De Cirſio.

460.18. Alii bugloſſum magnum vocant, Latini ſpinam mollem.

De Aſtere Attico.

461.2. Aliqui aſteriſcon ſeu aſterion, *quaſi ſtellulam*, alii bubonium, alii hyophthalmum, *quaſi ſuis oculum*, Latini inguinalem, Daci rathibida vocant.

Ad calcem eiuſdem capitis:

Naſcitur inter petras, locíſque aſperis: ſtellares huius radij noctu ſplendent. Quapropter qui hoc ignorant vbi ipſum viderint, ſpectrum quoddam eſſe arbitrantur. Inuenitur autem ab opilionibus. Cæterùm Crateuas herbarius hanc herbam refert, ſi viridis cum axungia vetere tundatur, contra rabioſorum morſus gutturíſque ramices prodeſſe, ac ſuffitu quoque ſerpentes fugare.

De Viola nigra.

462.3. Purpuream violam alii daſypodiõ, alii priapeïon, alii violam ſylueſtrem, alii Cybelion, Romani ſetialim aut murariam, aut violam purpuream vocant.

De Bunio.

ibid. 27. Aliqui aton, alii arction, alii ane-

mosphoron vocant, Prophetæ paradacry, Ægyptij erxoen, Romani scopam regiam, Aphri zigar, nonnulli theinpso.

De Chamæcisso.

463.18. Aliquibus chamæleuce, aliis cissos acarpos, *quasi hedera sterilis aut infructuosa*, aliis terræ corona, aliis selinitis, *à foliis circa radicem apio similibus*, Romanis hedera pluuiatica dicitur.

De Buglosso.

464.7. Prophetæ felis genituram, Osthanes tzauuchi, Ægyptii antuērin besor, Romani linguā bouis aut libanium, Aphri anfanaph nuncupāt. Nascitur sabulosis & exæquatis in planitiem locis. Colligitur verò Iulio mense: ferúntque contra febrilium accessionum rigores herbam vtilem: & ad tertianos quidem, eam quæ tres thyrsos emiserit: ad quartanos verò, quæ quatuor, totam cum radicibus & semine ad tertias in vino decoctam propinant: quin & ad curandos abscessus valere aiunt.

De Cynoglosso.

ibid.13. Aliqui phyton, alii caballion, alii splenion, alii scolymon, Romani linguam canis aut caninam appellant.

De Leontopodio.

465.2. Aliqui zoonychon vocant, *quasi animalis vngulam*, alii aëtonychon, *quasi aquilæ*

vnguem,

vnguem, alii camum, *hoc eſt, capiſtrum*, alii damnamenen, *quaſi domitricem*, alii idiophyton, *hoc eſt, peculiarem plantam*, alii phytobaſilan, *quaſi plantam regiam*, alii crotſion, alii croſſophthoon, Magi ſanguinem crocodili, alii crocomerion, Ægyptii daphnoenen, Romani Mineruium ſeu Palladium, alii neumatum, alii flammulam.

De Hippogloſſo.

Aliqui & id antirrhinon, alii anarrhinon, nonnulli lychnida ſylueſtrem vocant.

De Catanance.

466.5. Aliquibus damnamene, aliis Dionyſias, aliis thyrſiō, aliis demos, aliis camus, aliis crotion, Prophetis archaras, aliis arcopus, *quaſi pes vrſi*, Romanis herba filicula, ſeu datiſca, ſeu Iouis radius, Dacis caropithla dicitur.

De Tripolio.

ibid.20. Aliqui pſychen, alij merida, alij potamogetona ſeu ſtachyiten, Romani calamarem nominant.

De Adianto.

467.4. Alij callitrichon, alij trichomanes, alij ebenotrichon, alij argion, alij coriandrū aquaticum, Ægyptij epier, Romani cincinnalem, ſeu terræ capillum, ſeu ſupercilium terræ, Daci philophthethela vocant.

De Trichomane.

468.6. Aliqui pterion, *quasi filiculam*, aliĩ eupteron, Romani capillarem, ſeu pinnulam, ſeu filiculam, appellant.

De Xanthio.

ibid.15. Latini lappam.

De AEgilope.

469.7. Aliquibus ſitoſpelos, aliis ſiphon, *quaſi tubus*, aliis bromos, Romanis auena dicitur.

De bromo.

ibid.15. Aliqui ſiphonion, alii acroſpelon vocant, Latini auenam.

De Smilace aſpera.

470.21. Aliqui hepatitin, *quaſi iecorariam* appellant, alij lycanthemon, *quaſi florem lupinum*, alij cynoſbaton, *quaſi ſentem canis*, alij aniceton, *quaſi inuictam*, alij heliophyton, *quaſi plantam Solis*, alij anatolicon, *hoc eſt, oriẽtalem*, alij dyticon, *occiduam*, alij helidem, Ægyptij ſyiſthe, Romani merginam, Hetruſci rhadiã.

De Ruſco.

471.25. Aliqui myrtacanthan vocãt, *quaſi myrtum ſpinoſam*, alij hieromyrton, *hoc eſt, myrtum ſacrã*, alij oxymyrſinem, *quaſi myrtum aculeatã*, alij myacanthan, *hoc eſt, ſpinam murinam*, alij agonon, alij ſcincon, alij minthen, alij catangelon, alij anangelon, alii acaron, alii ocneron, alii cinen, alii lichenẽ, alii chamępityn, alii chamæmyrſinen, *quaſi humilẽ myr-* *tum,*

tum, Bœoti gyreniam, Prophetæ genituram Herculis, Latini ruſcum.

De Lauro Alexandrina.

472.17. Alii daphnon, alii Samothracicam laurum, alii mithrion, alii hypogloſſion.

De Daphnoide.

473.2. Alypo ſimile, flos ceu nymphææ, cuius mediũ cono non diſſimile, in quo ſemẽ.

De Chamædaphne.

ibid.20. Alii daphnitin, alii hydragogon, Latini laureolã ſeu lauraginẽ, Galli vſubim.

De Elleboro albo.

474.6. Aliqui aſcidem nominãt, alii ectomon, quidam pignatoxarin, Prophetæ genituram Herculeam, alii polyides, alii anaphyſton, Ægyptii ſomphian, alii vnre, Galli laginum, aliqui anepſa.

De Elleboro nigro.

475.29. Alii Prœtium, alij melanorrhizon, *quaſi nigra radice præditum*, alii Anticyraicon, Prophetæ zomarition, Ægyptii Iſæam, ſeu elaphinen, ſeu cemeleg, Latini veratrum nigrum, alii ſaraca, Daci prodiorna.

De Seſamoide magno.

478.2. Aliqui ſeſamiten, alii ſeſamin, alii lycoſcytalium, *quaſi lupinam ſcuticam*, alii elleboron album, alii Anticyricon appellant.

De Seſamoide paruo.

ibid.12. Aliqui coronion, alii ſeſamon ſyl-

ueſtre nuncupant.

De Cucumere ſylueſtri.

ibid.23. Aliqui elaterion vocant, alij grinon, alij balin, alij ſyncriſin, alij bubalion, alij ſcorpion, alij pherombron, *quaſi imbriferum*, alij peucedanon, alij notion, Romani anguinum, ſeu agreſtem *cucumerem*, Aphri cuzimezar.

De Staphide agria.

482.15. Aliqui trifolium, alij ſteſium, alij aſtaphida, alij phthiroctonon, *quaſi pediculos enecantem*, alij phthirion, alij apanthropon, alij polyides, alij pſeudopathes, alij arſenoten, Ægyptij ibeſaoeden, Romani herbam pedicularem appellant.

De Thapſia.

483.9. Aliqui hypopion, *quòd ſugillatis medeatur*, vocant, alii pancranon, alii ſcammonion, alii thelypterin, *quaſi filicem fœminam*, Romani ferulaginem ſeu ferulam ſylueſtrem, Pœni bœden.

De Spartio.

485.19. Aliqui lobon. *i. ſiliquam*, alii lygon, *hoc eſt, vimen*, appellant.

De Narciſſo.

487.11. Aliis narciſſus anydros, aliis autogenes, aliis bulbus emeticus, aliis lirium, Romanis bulbus vomitorius.

De Hippophaë.

488.6. Aliqui hippophyes vocant, alii hippophanes, alii hippion, alii equinum, alii pelecinon, Romani lappaginem seu lappulam minorem.

De Ricino.

489.15. Ægyptii systhamna, alii trixin, Prophetæ sanguinem febris, Romani ricinum, seu lupam.

De Pityusa.

494.20. quam turpeth appellant.

De Chamæsyce.

497.4. Alii mecona aphroden, *hoc est, papauer spumeum.*

De Scammonia.

ibid.23. Aliquibus scambonia radix, aliis Colophonia, aliis dactylium, Romanis Colophonium, Prophetis apopleumonos, Ægyptiis salinum dicitur.

De Chamelæa.

499.21. Alii chamelæam nigram, alii Heraclion, alii bdelyran, *quasi execrabilem*, Romani citocacium, nonnulli oleaginem seu oleastellum vocant.

De Sambuco.

501.17. Aliqui dendron arctu, *hoc est, arborem vrsi*, alii hemeron, *quasi satiuam*, Romani sambucum, Galli scobien, Daci seba nominant.

De Chamæacte.

502.3. Aliis heliosacte, *quasi sambucus palustris*, aliis acte agria, *hoc est, sambucus syluestris*, aliis EVboica, Romanis ebulus, Gallis ducone, Dacis olma.

De Apio.

503.17. Latini radicem syluestrem, Pœni thorphathsadoe appellant.

De Colocynthide.

504.7. Zoroastri thymbra, Osthani autogenes, Romanis cucurbita syluatica, Dacis tutrastra.

De Epithymo.

505.8. Aliqui cedoes, Romani inuolucrum vocant.

De Vite nigra.

508.24. Alii bucranium, Romani vuam taminiam, alii batanutam, alii betisalcā, Daci priadela, alii peregrinam, Aphri lauothen.

De Filice.

509.15. Alii pterion, alii pterineon, alii dasyclonon, *ab hirsutis seu densis ramulis*, alii anasphoron, Prophetæ Mercurii surculum, Romani filicem fœnariam, alii laculam, alii filicem *simpliciter*, Ægyptii asini sanguinem.

De Thelypteri.

510.10. Latini linguam ceruinam vocant.

De Polypodio.

511.3. Aliqui scolopendrion, alii pterin, alii polyrrhizon, *à multifidis radicum incisuris*, Romani

mani filiculã ſeu filicularem herbã vocant.

De Dryopteride.

ibid.18. Aliquibus pterion, aliis nymphæa pteris.

De Linozoſtide.

512.23. Alii argyron, alii aritrillin, alii chryſitin, Ægyptii aphlopho, Latini herbam mercurialem maſculam, alii teſticulatam, Aphri aſumes.

De Cynocrambe.

513.12. Aphris harmas, aliis aſumeſlabon dicitur.

De Heliotropio magno.

ibid.24. Alii heliotropon, alii dialion, alii heliopun, alii ſcorpioctonon, *quaſi ſcorpios enecantem*, alii ſeſamon agrion, *hoc eſt, ſylueſtre*, alii ſcorpii caudam.

Ad calcem cap. de Omphacio. 520.

Vi pollens aſtrĩctoria, tardè concoquentibus diſſolutíſque ſtomachis conuenit, itémque fœminis malacia laborantibus, & ileoſis. Creditur etiam ſalutare, ſi in peſtilenti conſtitutione ſorbeatur.

De Stibio.

577.12. Alii gynæcion, alii chalcedonium.

Ad calcem capitis de Gagate. 616.

Aiunt & ſacro, hoc eſt, *comitiali*, morbo laborantes prodere ac deprehendere: quoniam dum eum ferunt, olfacto ipſo protinùs

ac momento in terram procidunt. Quin & morbos fœminarum occultos ſanare, ſi ſuffumigati vaporem exceperint.

De Magnete.

ib.19. Hũc aiunt naturali quadã vi pollere, qua mulierem caſtam ab adultera diſcernat. Si quis enim ipſum ſtrato clanculùm impoſuerit, quæ pudica eſt virique ſui amore tenetur, ſomno conſopita vlnis maritum ita arctè amplexabitur, vt in illius complexu quaſi hæreat: altera verò ſpurcis & indignis per ſomnum exercita laboribus, è lecto procidet. Sed & magnetem ſi duo viri ſecum tulerint, lites & controuerſias, ſi quę inter illos fuerint, dirimet, atque concordiam fouebit. Idem geſtatus ſupra pectus, populum lenit ac demulcet.

De Melitite lapide.

617.10. Melitites lapis etiã galactites nominatur, itémque lethæus, *quaſi obliuioſus*, quia ipſum geſtantes, ſi ad dominos ſuos acceſſerint, beneuolos illos & clementes comperient, ac etiamnum immemores ſcelerum & maleficiorum quæ ſæpiùs antè perpetrarint. Quin & capras oueſque deficiente lacte, ſi quis ipſum admixta muria tritum exhibuerit, eas non parum adiuuerit. Fertur & mulieribus itidem tritus potúſque ad lactis generationem vbertatémque conferre.

ferre. Sed & infantis collo adalligatus, arcet inuidiam, eúmque à morbis insidiíſque tuetur ac vindicat. Inſuper qui lapidẽ eiuſmodi geſtauerit, & apud Reges & apud Iudices venerabilis erit, ac omnium denique gratiam fauorémque demerebitur.

De Chamæmelo.

Febricitantes ſanat chamæmelum, cum roſaceo ad læuorem tritum. Vtilis inquàm planta mediocriter affectis. Naſcitur porrò in editioribus arenoſíſque locis quæ breuis eſt & optima, eámque auferunt Medici æſtatis initio.

De Rhamno.

Rhamnum ſiquis eruat ſilente Luna, & ſecum ferat, contra venena & improbos homines prodeſſe ſentiet. Vtiliter etiam & à pecoribus geſtatur, & nauigiis circumponitur. Valet & contra capitis dolores, dæmoniorúmque inſultus.

De Artemiſia.

Artemiſiam herbam ſiquis iter faciens ſecum habeat, itineris laborem non ſentiet: ſin ferat in pedibus, venenatas beſtias & dæmonia fugabit. Quòd ſi ſanguis circum articulos coaluerit induratúſque fuerit, ramulos maiores cum roſaceo in olla feruefacito, expreſſóque inde oleo locum affectum totum oblinito, diſcubitum eunte ægro. Quin

& vuluæ ſtrangulatu laborantibus fœminis mirum in modum auxiliatur, ac ſubſtillum quoque lotium & opiſthotonum leuat.

De Pentadactylo ſeu quinquefolio.

Pentadactylon ſi quis circa corpus geſtet, nullo dolore afficietur: oculos, ſtrumas, induratas tonſillas, vuam, & partium ſub lingua, articulorum & neruorum dolores, dentes & pſoran perniciali fame contractam iuuat: remoratos à partu menſes eiicit. Affuſa verò manibus cum aqua tepida, cõtra terrores, faſcinum ac dæmonia mirũ in modum cõmendatur. Cæterùm herbam legito dum augeſcit luna, oriente Sole.

De Verbenaca.

Verbenaca recta pudendum arrigit: ſupina verò, exiccandi vim habet. Recta amuleti inſtar adalligata, oculorum doloribus auxiliatur: contra eorundem hebetudinem & capitis dolorem efficax eſt: ſed & contrita ex aceto, laſſitudinem eximit: ſtrumas & induratas tonſillas confeſtim diſcutit. Cæterùm febriles horrores ſtatim ſanantur, ſi quis ſolùm ſtans ex aduerſo ramulos éius tenuerit.

De Dictamno.

Dictamnum ſiccatam manibus terito, & in farinam redigito, adiectáque vini gutta corpus tangito. Contra omnes ſerpentiũ iniurias auxiliatur: vlcera putréſque nomas

purgat

purgat priùs, dein etiam explet: adactis corpori aculeis præsenti adhibetur auxilio: ad lienem quoque & abditorum locorum inflammationes in farinam redacta imponitur. Herbam vere, magnis æstibus, autumnóque eruito.

De Saluia.

Saluia perfrictionem tussimque discutit: prauis etiam vlceribus omnibus, cera & rosaceo ammixtis, auxiliatur. Lienis dolorem dysenteriámque pota cum vino albo sanat. Pari quoq; modo sanguinem excreantibus potu medetur: & ad extrahendas quaslibet muliebres à partu purgationes efficax est. Cæterùm scelestissimæ mulieres subdito ex ea pesso partus excutere non verentur.

De Cupresso.

Cupressus herba cõtra raucedines prodest: auriculas, induratos tonsillarum tumores, aquam inter cutem & coxendicum cruciatus persanat.

De Centaurio.

Centaurium contra inflammationes & ictuum allisiones valet: fœminis vuluæ strãgulatione laborantibus auxiliatur: quin & substilli lotij calculorúmque tormẽta leuat. Herbam porrò Vere, oriente Sole legito.

De Buphthalmo.

Buphthalmum crescente Luna decerpere

oportet. Facit verò cõtra pauores, dæmonas, fascinationes & venena: ea siquidem omnia auertit. Quòd si quis radicem commanducando identidem expuat, dentium dolori, sedata simul & semel fluxione, auxiliabitur. Quin & aluum soluit.

De Pæonia.

Pæonia herba per æstus Caniculę ante Solis ortum vellitur: appensaque contra venena, fascinum, pauores ac dæmonum insultus prodest: item contra febres cum horrore adoriẽtes tam nocturnas, quàm diurnas, necnon & aduersus quartanam. Cęterùm dęmones à monte in quo nascebatur quondam fugasse proditur.

De Polio.

Polium herba circa corpus gestata, contra lunaticum morbum lassitudinémque auxiliatur. Siquidem trita ex aceto herba & summis pedibus affusa prodest.

De Moly.

Moly herba radicitùs excisa & circa corpus gestata, venenorum & fascinationis amuletum est.

De Marina quercu.

Marinam quercum extrema Luna cum rosaceo misceto, & faciem illinito, cùm ad negotia te conferes. Sub ventriculo gestata, fœtus vegetiores reddit: ad arcendos

verò

verò pauores nocturnos, manu tenetur. Sed & contra fascinum & maleficia omnia prodest, corpúsque tuetur. Cùm enim fascinantes recedunt, arescentem surculum illa occludit, & eundẽ, si propiùs accesserint, aperit.

De Chrysanthemo.

Chrysanthemon si terra ante Solis ortum eruatur, corporíque adalligetur, aut ex collo suspendatur, veneficas mulieres omnésque fascinationes amolitur.

De Erysimo.

Erysimum cum vino tritum, aduersus ventris dolorem bibitur. Quòd si quis grana septem in domum proiecerit, rixæ & iurgia concitabuntur.

FINIS.



